


A  
27  
488






FACULTAD  
DE...  
A  
3  
55  
Núm.



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRAN SA  
A  
027  
488





0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23




FACULTAD  
DE MEDICINA Y FARMACIA  
A  
3  
55  
Núm.



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA  
A  
027  
488











TRACTATUS  
DE INQUISITIONE  
VERITATIS

AUTHORE

R. P. NIC. MALEBRANCIO

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUS.

~~Ammonitionis in libris successum~~  
~~lib. 1. 2. 3.~~

Augustinus ab Siquias





TRACTATUS  
DE INQUISITIONE  
VERITATIS  
AUCTORE  
R. P. NIC. MALBRANCIO  
IN DUCOS TOMOS DISTRIBUTUS



TRACTATUS  
DE INQUISITIONE  
VERITATIS

AUTHORE

R. P. NIC. MALEBRANCIO

Oratorii Gallicani Presbytero,

VERSIO NOVISSIMA

PRIORI AUCTION MULTO ET ACCURATIOR.

IN QUA PRÆTER EMENDATOS

prioris versionis errores, adjecta sunt, non modò *Illustrationes* in eâ  
jam exstantes, verùm & Authoris ELOGIUM, quale a Celeberrimo  
FONTENELLIO exaratum est, tum & plurimæ novæ *Elucidationes*  
hic illic introsparsæ, nec non & varii *Tractatus* ab ipso Authore  
in ultimâ hujus Operis Gallicâ Editione  
postmodum superadditi.

TOMUS PRIOR.



GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLIII.









P R Æ F A T I O  
I N T E R P R E T I S .



N tibi, Lector Benevole, versio nova Tractatûs de Veritatis Inquisitione ex novissimâ Editione Gallicâ. Novam dico? Imo, si quædam excipias quæ in priori mutanda hîc illic judicavi, ipsam hîc habes viri celeberrimi D. LENFANT versionem, additâ duntaxat interpretatione eorum quæ in novissimâ Parisiensi Gallicâ Editione ipse adjecerat Author. Multa quippe videas in hac ultimâ editione passim interjecta quæ in prioribus non exstabant, quæque majoris elucidationis ergo vel mutanda, vel expungenda, vel adjicienda judicaverat MALEBRANCIUS. Cùm igitur hancce versionem Latinam prelo rursus subjicere vellet Typographus, eam complerem me rogavit, quod jam peractum tibi offero; Hîc insuper Authoris elogium, quale a Celeberrimo FONTENELLIO scriptum extat in Historiâ Academiæ Parisiensis, præemii loco reperies, quod ut subjicerem



## VI PRÆFATIO INTERPRETIS.

me monuerunt nonnulli eruditi Viri. Cæterum prioris Interpretis Præfationem æquo fortè longiorem expunxi, multa nempe Authori propria continebat, cetera per modò memoratum elogium supplevi: In genere Nova certo sensu dici potest hæcce Versio, utpote quam a principio ad calcem totam relegerim, & in multis, imo in singulis paginis, ac veluti phrasibus mutaverim aut emendaverim; in quo fortassis peccavi, atque audaciæ insimulandus venio, quòd viri tam eruditi lucubrations corrigere ausus fuerim; Verùm quid agerem? Ea quæ mutavi mihi mutanda videbantur. Poterámne ea intacta relinquere quæ aut minùs clarè reddita, aut minùs Latina, utut immeritò forsan, judicabam? Non igitur hâsce emendationes tibi protrudo ut certè necessarias, sed ut quæ mihi necessariae videbantur. Verùm jam diutiùs te moror; longa præfari a meis abhorret moribus. Totam hâncce meam qualemcumque opellam æqui bonique consulas rogo. Vale.





ELOGIUM  
 PATRIS MALEBRANCI  
 QUALE A FONTENELLIO  
 EXARATUM EST.



**N**ICOLAUS MALEBRANCIUS  
 Lutetiæ natus est 8<sup>o</sup>. Idus Sextiles anni 1638.  
 patre Nicolao Malebrancio Regis scribâ, &  
 quinque majorum Redempturarum Quæstore,  
 sub administratione Cardinalis Ricolocii,  
 matrè Catharinâ a Lauzon, cui frater erat  
 Canadæ Vice-Rex, Burdigalæ Præfectus, atque tan-  
 dem Regi a sanctioribus consiliis: Decem liberorum no-  
 vissimus fuit; unus ex fratribus Primarii Senatûs Judex  
 erat, atque in Supremâ Curiâ magni habebatur cùm diem  
 obiit supremum anno 1703.

Is e tot liberis natu minimus ex debiliori corporis ha-  
 bitudine, & valetudinis continuâ infirmitate haud faciliè  
 educari potuit; imò ipsi singularis admodum erat conforma-  
 tio, tortuosa nempe spina dorsi, atque longissimus in  
 pectore recessus: Domi ergo ipsum educari necesse fuit,  
 neque ex ædibus paternis antè egressus est, quàm cùm  
 Philosophiæ in gymnasio Marchiensi, atque in Sorbonâ  
 Theologiæ ipsi studendum fuit. In his vir ingenio qui-  
 dem, sed non summo tamen præditus adparuit: Vitæ  
 Ecclesiasticæ a primâ ætate se voverat, utpote ad quam  
 naturâ



naturâ & gratiâ perinde vocaretur; utque huic vitæ fortius se adstringeret, eâ tamen fruens libertate quâ ipsi non ita opus erat, Oratorii sodaliratem Lutetiæ ingressus est anno 1660.

Ut igitur ad aliquod incumberet studium quod Votis suis responderet, Ecclesiasticæ studuit historiæ, suadente Patre Le Cointe qui Francorum Annales Ecclesiasticos haud in gloriè scripsit, Eusebiûmque, Socratem, Sozomenum, Theodoretum Græcè legere cœpit. Verùm non facilè in ejus cerebro facta sibi cohærebant, mutuo contrâ sese expungebant, atque sic ex inutili labore brevi fastidium enatum est: Eum itaque historiæ transfugam ad se, hoc est ad Hebraicam linguam, sacrorûmque codicum interpretationem pellicere tentavit illustris Simon, qui tunc Oratorii sodalis erat, & Lutetiæ sedebat; illum in hoc novo curriculo ducem sequutus est Malebrancius, sed cum a priori parum differret novum hoc studium, in eo mediocres pariter faciebat progressus.

Ipsi autem aliquando per viam Jacobæam transeunti a librario quodam oblatum est nuper in lucem editus Cartesii tractatus de Homine; annos natus erat 26, Cartesiûmque nomine tantùm noverat, aut ex nonnullis quæ, dum Philosophiæ studebat, adversus eum objici audierat; librum illum cœpit evolvere, atque ejus oculos veluti feriit ex eo effulgens novum omnino lumen; scientiam sibi prorsus incognitam quasi per caliginem prospexit, eamque sibi convenire sensit. Philosophia Scholastica, quam ex longo studio fati superque noverat, non ei tantum Philosophiæ studium injecerat quantum unius Cartesii voluminis prima lectio, vim suam non exeruerat sympathia, id Philosophiæ genus cum ejus ingenio non erat unisonum, nec ei vera Philosophia visum fuerat. Librum emit, cupidissimè legit, imo, quod fortasse incredibile videbitur, tantâ exultatione, ut cor ipsi micaret, unde lectionem suam interdum interrumpere cogebatur. Non tanto solent homines veritatis studio moveri, ut pote quæ cerni non possit, & inutilis vulgò  
habea-



habeatur; imo vulgares eorum cupiditates præclare secum agi putarent, si tanto explerentur studio.

Omne aliud ergo studium abjecit ut totus ad Cartesianam Philosophiam incumberet; quod cum ipsi exprobrarent sodales & amici, critici scilicet aut historici quibus hæc inania videbantur, ab ipsis quærebat nonne Adamo perfecta fuisset scientia, fatentibusque, ea enim erat Theologorum opinio, Ergo, inquiebat, neque in arte criticâ, neque in historiâ sita est scientia illa perfecta, nec quicquam aliud scire gestio quàm quod noverat Adamus.

Atque sic intra paucos annos tantumdem didicit quantum saltem ipse sciebat Cartesius, in Philosophiâ enim quò plus quis cogitat, eò majores facit progressus, jam verò intra idem temporis spatium hic illo plus multò cogitat, sed in scientiis quæ facta spectant, intra certum tempus non plura leges quàm quivis alius legere potuisset; ingenio igitur formantur Philosophi, non secus ac Poëtæ, tempore Docti; Tam subitò Philosophus evasit Malebrancius ut intra decem primos annos quibus Cartesii dogmatibus studuerat, jam Tractatum de Veritatis Inquisitione scripserit.

Ac primò quidem, uti publicam pertentaret sententiam, hujus tractatûs prius volumen manuscriptum adhuc emisit, eoque lecto Abbas Divi Jacobi, vir eximiâ præditus virtute, & cujus nutu ac voluntate res libraria regebatur sub Patre Aligrio qui Cancellarius erat, illius e-dendi privilegium gratis ipsi concedi subitò curavit anno 1674.

Ingens fuit de eo libro rumor, etsi enim jam notis niteretur dogmatibus, verè primigenius visus est; Cartesianus quidem erat author, sed Cartesio par, ipsum non sequutus sed nactus videbatur. In eo ubique libro magnâ arte elucidantur ideæ etiam abstrusissimæ, eæ unâ junguntur, & ex conjunctione nervi ipsis adduntur; in eo etiam videas scitè commixta multa minus abstrusa quæ, cum faciliè intelligantur, Lectorem ad reliqua attentè perse-

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

††

quen-



quenda exstimulant, ipsi se omnia intellecturum pollicentur, imo fortè omnia propemodum intellexisse persuadent: Dictioni puræ & emendatæ additur simul ea verborum dignitas, quam postulant argumenta, additur & omnis lepos quem pati possunt; neque tamen Imaginationis dotes excolere studuerat, cum contrà semper eas enixè damnaverit, verùm ipsi innata erat nobilissima & vividissima imaginatio, quæ ingrato obnitentique famulabatur, rationemque veluti clanculum ornabat.

Feliciorem habuit exitum prius illud de Veritatis Inquisitione volumen, quàm ut censoriâ virgulâ non notaretur; ipsum reprehendit Folcherus Divionensis Canonicus, cui respondit Malebrancius in præfatione alterius voluminis quod edidit anno sequenti. Completus ita ille tractatus tantò splendidior existit; ex superioribus nova enascebantur dogmata, & in eâ quidem familiâ, quò plures sunt generationes, eò sunt nobiliores; Plurimi viri, iique illustrissimi scriptum adprobavere, &, ut alios taceam, Arnaldus ipse, cujus adeo suffragium, & per se, & ex iis quæ secuta sunt, magni erat momenti.

Folcheri responsa prætermitto, ut & Malebrancii novas Illustrationes, & quæ ad Folcheri responsa respondit Benedictinus Pater a Gabetis qui Malebrancii placitis calculum adjecerat. Hinc inde multa prodiere scripta, sed quæ nihil ferme docebant, quippe hinc parum intellecta Veritatis Inquisitionis dogmata malè exponebantur, inde eadem fusiùs explicabantur, aut aliter enuntiabantur; sic parum sæpe est Philosophiæ in longâ etiam de Philosophicis disputatione.

Quàm vividam autem nonnullis jam persuasionem injecisset ille de Veritatis inquisitione Tractatus, patet vel ex ipso Patris a Gabetis exemplo; nec, nisi eam produxisset persuasionem, author, cui docere mens fuerat, publicis delectabatur plausibus; hi quippe ad suam tantummodo, illa ad veritatis gloriam cedebat; Verùm non utrumque semper, sed meros sæpe plausus obtinebat; quid mirum?

Duras



Duras admodum conditiones statuit ejus Doctrina, ut quisque scilicet sensus indefinenter atque imaginationem veluti exuat, utque continuæ nisu meditationis ad certam assurgat idearum regionem, quæ ita est ardua, ut etiam inter Philosophos, quorum respectu vulgus sunt plerique omnes homines, aliud adhuc exstet vulgus quod eò usque pertingere non valet: Ea tamen dogmata, ut ut abstrusa, & ad purum intellectum pertinentia, temporis progressionem invaluerunt, & e numero Malebrancianorum haud mediocris humanæ menti accessit gloria; revera illis ipsis tam duris conditionibus veluti illecebris mens quandoque pellicitur & capitur.

Plenus est Deo liber de Veritatis Inquisitione. Deus solus agit, & quidem strictissimo sensu; ad eum immediatè pertinet omnis agendi vis, omnis actio; quæ vulgò dicuntur causæ secundæ non causæ sunt, sed occasiones tantùm Dei actionem determinantes, causæ denique occasionales. In eo præterea tractatu probantur aut explicantur nonnulla Christianæ Religionis dogmata, uti de peccato originis: Neque suum tamen de Religione systema totum hæcenus exposuerat author, quippequi nondum docuisset quæ sua Philosophica placita cum Religione conciliaret? Id autem, sollicitante Duce Chevreusio, anno 1677 præstitit in suis Christianis conversationibus.

In his tres introducit personas, Theodorum scilicet, qui ipse est Malebrancius, Aristarchum urbanæ frontis hominem, accuratis & Philosophicis parum assuetum ideis, qui multa legit, tantòque minùs cogitat; Erasum denique adolescentem, neque vulgaribus præjudiciis, neque scientiâ adhuc corruptum, quique diligentia ac docili attentione adprehendit quæ tumultuosam Aristarchi imaginationem fallunt; Eruditus est Dialogus; in eo unicuique proprius color, proprium ingenium scitè redditur, atque Aristarchus speciatim Philosophicè comicus, ut æquam erat, exhibetur. In eo solertiùs adhuc quàm Socrates apud Platonem auditoribus veritates in ip-



sis latentes quasi obstetricatur Theodorus; sic Dei existentiam, naturæ humanæ corruptionem ex peccato originis, atque Reparatoris cujusdam sive Mediatoris & gratiæ Divinæ necessitatem, vel ipsis probat, vel eò ipsos adducit ut per se detegant. Ex his demum hoc efficitur colloquiis, ut authoris nostri Christianum systema amplectatur Aristarchus, Monasteriúmque ingrediatur Erasmus.

In alterâ harum Conversationum editione novas his addidit meditationes, in quibus ex unâquâque Philosophicâ consideratione aliquam ad Deum elationem deducit, sic fortasse quorundam religiosis mentibus respondere voluit, quibus abstrusa ipsius, adeòque jejuna Philosophia fatis teneros pietatis motus ciere non posse videbatur; sed, ut quod sentio dicam, plerisque semper erunt eo respectu ideæ illæ Metaphysicæ non secus ac spiritûs vini flamma, quæ subtilior est quàm ut lignum accendat.

Illustrissimis e Christianis eadem mens fuit quæ Malebrancio, Religionem scilicet cum Philosophiâ conjungere, non quòd non facilè queat utraque separata manere, aut quòd non possint, omnis tumultûs vitandi causâ, utriusque Imperii statui limites, verùm præstat adhuc inter Potestates gratiam componere, easque ad sinceram pacem adducere. Qui verò in eâ re operam posuerunt cum Philosophiâ viginti semper pacti sunt, cum Platonicâ nempe veteris Ecclesiæ Patres, cum Aristotelicâ Divus Thomas; hos ergo sequutus Malebrancius cum Cartesianâ tantò libentior pepigit, quòd eam non ad tempus ut ceteras, sed in sempiternum, quoad præcipua saltem ejus dogmata, gratiâ valituram auguraretur: Nec solùm eam Philosophiam cum Religione conciliavit, verùm multas insuper, easque magni momenti Religionis Veritates ex illâ depromi demonstravit, atque fortasse in uno ipsi omnia ferme tribuit. Neminem latet id ex argumento quo mentem spiritum esse probat Cartesius necessariò sequi, mentis nimirum cogitationes physicas corporis motuum,

aut



aut corporis motus physicas mentis cogitationum causas esse non posse, sed hæc sibi mutuò tantùm causas occasionales esse; Deumque solum veram ac physicam esse causam quam ad agendum determinant occasionales causæ; cùm enim corpus movere nequeat mens quæ corpore & superior & nobilior est, tantò minùs e duobus corporibus hoc illud movere valebit, sicque nihil aliud est eorum conflictus quàm id cujus occasione Deus certos inter hæc corpora motus distribuit, ex certis a se ipso institutis legibus quæ dubio procul corporibus ignotæ sunt. Deus ergo solus est qui sive in corpora, sive in spiritus agat, atque ex hoc ipso efficitur illum planè & omnino solum esse a quo beati aut infelices reddi queamus, quo quidem ex dogmate innumera deduci possunt in Ethicâ Christianâ. Quoniam in corpora Deus ex generalibus Legibus agit, eodem modo in spiritus agere censendus est; ubique ergo vigent Leges generales, atque ex iis tot enascuntur nævi, qui tum Naturæ tum Gratiæ ordinem perturbant, & quos Deus aliter arcere non potuisset quàm per Leges speciales quæ ipso parum quidem dignæ sunt: Sic respondetur ad omnia & speciosissima quidem quæ contra Providentiam objici solent. Tale est summatim totum ejus systema, verùm ex hac epitome cognosci nequit totum ejus pretium, quò quis illud fusiùs expositum leget, eò longior simulque strictior erit idearum catena, nec ullus unquam Philosophus tales neccendi catenas artem æquè calluit.

Hinc autem quamdam sibi propriam de gratiâ sententiam hauserat, non dogmatis quidem, sed rationis illud exponendi respectu; sic ergo cum celebri Patre Quesnel Oratorii itidem sodali, qui Arnaldi sententiam amplexus erat, nequaquam consentiebat, utque utri potius sibi credendum esset meliùs cognosceret, optabat Pater Quesnel ut Malebrancii sententiam Magister suus audiret, & eo consilio utrumque sibi invicem occurrere curavit in domo communis amici.



manam Christi mentem gratiæ distributionis causam occasionalem esse, certos videlicet deligendo homines quibus eam gratiam a Deo precabatur, cùmque ea mens, etsi perfecta, finita tamen esset, hinc fieri ut gratiæ non secus ac naturæ ordo suos etiam nævos haberet; nec multùm erat verosimile Arnaldum nova hæc dogmata docili aure accepturum esse; vix loqui cœperat Malebrancius cùm jam disputari cœptum est, ideoque neuter alterius mentem satis intellexit, de nullo capite inter ipsos convenit, atque a se discesserunt alienato satis utrinque & offenso animo; saltem nihil aliud ex hoc effectum est colloquio, nisi quòd sententiam scriptam se propositurum Malebrancius, se responsurum Arnaldus pollicitus est, seu, quod ad idem ferme redit, bellum alter alteri indixit.

Quantâcunque autem famâ gauderet Arnaldus, ac speciatim ut ut acer erat in argumento de gratiâ, quod veluti ejus erat dominii, promissis tamen stare ausus est Malebrancius, atque suum scripsit de Naturâ & Gratiâ Tractatum; ejus exemplum Arnaldo transcribi jussit, verùm e Galliâ tunc ille Doctor excessit, & quamvis illud ipsi in Hollandiam missum fuisset, nihil de eo quicquam toto anno audivit Malebrancius; ab amicis tandem exoratus librum suum publicavit, atque ad Elzevirum misit a quo in lucem editus est anno 1680; Cùm ibi præsens adesset Arnaldus, nonnulla ejus legit folia, atque vel propriæ sententiæ, vel ipsius Malebrancii commodis studens, hanc editionem prohibere conatus est, quod cùm non potuisset, ad respondendum continuò se accinxit.

Suas interea scripsit Malebrancius Christianas Metaphysicâsque meditationes quæ anno 1683, vulgatæ sunt; Dialogus erat Verbum inter & Malebrancium; verbum videlicet universam esse rationem, in hac increatâ substantiâ creatos spiritus quicquid vident, imo & corporum ideas cernere, verbum utique solum esse quo illuminemur lumen, solum a quo doceamur Magistrum, persuasum habebat:



bebat : Eo itaque nixus fundamento, verbum illud cum ipso ut cum Discipulo loquens, ipsique altissimas Metaphysicæ & Religionis veritates aperiens introducit, neque hos tamen sermones pro veris verbi sermonibus obtrudit, in præfatione enim præmonere non oblitus est ea quidem esse responsa quæ a verbo, dum interrogaret, audivisse sibi videtur, verum se aut ipsum forsitan malè interrogasse, aut ipsius responsa malè intellexisse, nec aliam sibi mentem esse quàm docere illum unicum & communem Magistrum semper esse consulendum. Cæterum affirmare licet in eo Dialogo observatam fuisse verborum majestatem tanto Magistro dignam quantum saltem eam assequi valet humana imbecillitas : Ea quippe authoris ars fuit, aut potiùs naturalis habilitas, ut in eo scripto quamdam affecutus sit gravitatem, verè augustam ac majestate plenam, quæ sensus & imaginationem compescere, rationemque attentam reddere, & in reverentiâ continere valet; verbo, si ornamenta sua Philosophiæ commodare posset Poesis, ea non possent esse magis Philosophica.

Eo ipso anno scilicet 1683 Malebrancium Arnaldus primùm adgressus est, nec Tractatum de Naturâ & Gratiâ impugnabat, sed illud dogma fusè in libro de Veritatis inquisitione expositum, quo docet in Deo cerni omnia, quòdque olim ipse multùm laudaverat. Eam selegit viam etsi non compendiosiore, quàm Malebrancium, ut aiebat, carissimis diffidere Metaphysicis speculationibus edoceret, sicque faciliùs ipsi suam de Gratiâ falsam opinionem eriperet.

Questus est aurem Malebrancius quòd argumentum illud, de quo nullatenus agebatur, malignè selegisset, quia facilè, utpote maximè Metaphysicum, plerisque tanquam ridiculum exhiberi poterat : Multa hinc inde scripta fuerunt, instar Epistolarum ad communem amicum, unde initio, cum a ter de altero loquerentur, ambo adversarii sæpe dicebant, *Amicus noster* &c. sed ille postea evanuit titulus,



tulus, ipsique successerunt exprobrationes omnibus tamen conditæ mitigationibus & mollitudinibus quas dictare possunt & Charitas & Urbanitas. Tandem criminationes conflavit Arnaldus quas probare non potuisset, Malebrancium putà corpoream in Deo extensionem supponere, aliâque dogmata Religionem corrumpentia artificiosè instillare. Ad hæc Malebrancius Deum compellat, orans ut pennam atque animi motus compescat. Ex his utrinque scriptis satis liquet Arnaldo fuisse polemicum omnino animum, Malebrancio pacis amantissimum; imo hic alicubi se invitum hæctenus profitetur Christianis spectaculum præbuisse non minùs periculosum quàm ea contra quæ vulgò tantopere declamitant: Arnaldo præterea multi aderant fautores, qui, ubi primùm in arenam descende-  
bat, Jo triumphe clamabant; contra Malebrancius, ut quidem volebat, homo erat sine nomine, imo etiam abjectus, quod utique rectè acceptum ei haud quaquam nocebat, ut ipse monebat interdum:—Quod ad ipsam verò attinet quæstionem, quàm subtiliter, quàm nervosè simul ea tractata fuerit faciliè quivis intelligit; vix duo adhuc patres Athletæ in torâ reperti fuissent Europâ, verùm undenam Judices accersiti fuissent? Pauci erant qui vel certaminis spectatores esse valerent, atque ex his omnes ferme alterutri favebant; plenam victoriam vel unus attulisset transfuga, sed nullus unquam a suo duce defecit.

Dum hæc tanto æstu agitabantur, anno scilicet 1684 in lucem editus est Tractatus de Ethicâ qui cum his quæstionibus nullam habebat relationem, & antea quidem scriptus fuerat. In eo Malebrancius omnia nostra officia ex dogmatibus sibi propriis deducit. Mirantur nonnulli, imo forsân ægrè ferunt quòd ex solâ Philosophiâ peti queant severissimorum Christianæ Religionis officiorum fundamenta, vulgò quippe arbitrantur se minori pretio Philosophos esse posse.

Prælude modò fuerat totum de ideis certamen, externa tantùm, ut ita dicam, munimenta huc usque impugnaverat



gnaverat Arnaldus, arcemque tandem adgressus est, anno scilicet 1685, suas in Tractatum de Naturâ & Gratiâ Philosophicas Theologicâsque meditationes evulgavit. Novam Malebrancii Philosophiam aut Theologiam funditus diruere sibi videbatur; novam adpellabat eam quam tamen Malebrancius nec novam, nec suam esse contendebat, sibi quippe non eam esse dicebat ingenii sublimitatem quæ eam excogitare valuisset, quâ affirmatione summis sanè laudibus eam efferebat. Suam revera Philosophiam Cartesio, Theologiam Divo Augustino tribuebat; Verùm si ædificii fundamenta ii substruxerant, ipse illud totum superstruxerat, & ad tantam perduxerat altitudinem, ut ii ipsi non sine admiratione vidissent. Eodem semper modo atque successu Arnaldo respondit; inter suos uterque victor exstitit. Multa quidem adversus Malebrancii opiniones objici queunt, verùm hoc est fatum omnis merè Philosophici systematis, ideòque, & tantò magis Philosophici simul & Theologici. Atque hoc quidem systema cum ipso Mundi systemate, quale a Malebrancio concipitur, libens ego contulerim; finium scilicet amplitudine, dignitate, ordine, universitate reparantur ejus nævi.

Cùm ita Arnaldo, aut sibi saltem bonâ fide satisfecisset, certamini finem imponere decrevit, sive quia pacis amans erat, sive quia nihil veritatum feriem atque contextum magis interturbare autumabat quàm istiusmodi certamina; Lectores enim huc illuc diù pertractos ex his quæ in utramque partem differuntur, tandem ubi sient non ampliùs videre.

Controversa omnia argumenta, aut potiùs totum systema suum in novo Libro recollegit, qui nullam altercationis speciem præ se ferret, & ille est quem inscripsit *Colloquia de Metaphysicâ & Religione*, quique prelo subjectus est anno 1688; hic quidem liber, ut ipse fatebatur, nihil aliud continebat quàm superiores libros, atque ii omnes nihil aliud simul complectebantur quàm ipsum de Veritatis Inquisitione Tractatum, sed eadem in novo lumine proferebat, novis argumentis confirmabat, novâsque ex iis consequen-



quentias deducebat, atque vel ex eo solo patebat quàm fixum atque statutum, quàm probatu facile, quàm denique consequentiarum ferax esset ipsius systema. Veritatem sciebat sub certâ propositam facie hunc illumve quandoque ferire, quem sub aliâ non feriisset; sic propemodum Plantarum semina tantâ prodigentiâ profundit natura, satis habens si vel unum inter multa quæ pereunt bene vertat.

Quid autem cum Regillio de apparenti Lunæ atque omnium in genere quæ cernuntur magnitudine concertationis habuerit Malebrancius, <sup>a</sup> alibi jam notavi, nec ibi quæstionem ipse decidere suscepi, hoc enim non est ullius historici officium, nedum sit meum; sed eam a quatuor e Celeberrimis Geometris in gratiam Malebrancii judicatam fuisse observavi in ipso Regillii Elogio, quia merè historica, hoc est vera sunt hæcce Elogia; concertationem de ideis renovavit Regillius, atque Malebrancium idcirco damnavit, quòd homines voluptate beatos effici dixisset; sic ergo ut ut erat Philosophica & maximè Christiana ejus vita, voluptatum tamen defensor deprehensus est; sed simul fatendum est ita subtilem atque Metaphysicam evasisse quæstionem, ut voluptatum ardentissimi sectatores ipsis in omne ævum nuncium mittere maluissent, quàm ipsas eodem quo defendebat modo defendendas habere.

Nonnullos autem minùs quidem illustres ejus Adversarios, & quasdam minoris momenti concertationes omitto. Contradictiones non invenire non poterat ejus dogmatum novitas atque singularitas, imo sola ipsius fama tales in eum concitasset. Multi etiam eum eo fine adgrediebantur ut cum eo concertasse dici possent, sed novum ei aliunde omnino bellum intervenit. Dominus scilicet Franciscus Lami Pater Benedictinus in suo de sui notitiâ libro, propriam de gratuito Dei amore opinionem Malebrancii auctoritate confirmare voluit: Amicissimi erant hi duo Patres, imo Malebrancii Discipulus habebatur Pater Lami, verùm eo offensus est Malebrancius quòd sententia quam suam non

<sup>a</sup> Vid. historiam anni 1707. p. 160. & seq.



non agnoscebat, suâ tamen auctoritate firmaretur, atque ea tunc materies plus oneris habebat quàm ullo tempore, quia ad Quietismum, de quo tum magno æstu disputabatur, cujusque ramus videbatur esse ille amor gratuitus, proximè accedebat. Malè ideo admodum audiebat, atque monstrum veluti impugnabant Theologi cujus nomen maximè, vera existentia nequaquam periculosa erat.

Ut igitur quid sentiret publicè profiteretur, suum edidit Malebrancius *de Amore Dei* Tractatum anno 1697; in eo neminem adgressus, imo ne nominato quidem Patre Lami ex suis exponit dogmatibus qualis esse debeat amor ille, utque propriæ utilitati semper serviat; verùm illum non magis ad vulgi captum accommodari fatendum est quàm Patris Lami amorem gratuitum.

Eum librum controversiam nullatenus redolentem, sed quicquid in hoc argumentum effari poterat quod ad mentes docendas aptum esset, continentem, secuta sunt alia scripta multas controversias, nullum documentum completentia: Contendebat Pater Lami se Malebrancii mentem rectè interpretatum fuisse, sed eum sententiam mutasse; quod utrumque sedulò negavit Malebrancius. Querebatur utique quòd cum a Regissio Epicureismi respectu voluptatum infimulatus fuisset, Ethicam simul ita puram ipsi tribueret Pater Lami ut omnem ex amore Dei voluptatem excluderet; nec rarò ita questus est id sibi evenire incommodi, ut nemo, ne Arnaldus quidem, veram ipsius mentem rectè intelligeret; sunt quippe ideæ ejus metaphysicæ puncta ceu individua, quæ nisi rectà omnino impingantur, nullâ parte attinguntur.

Anno 1694 fato functus fuerat Arnaldus, verùm ex ejus cineribus quinquennio post veluti prodierunt duæ Epistolæ quæ quæstionem de Ideis ac voluptatibus tam sæpe jam agitatam iterum revocabant; His respondit Malebrancius, responsioque brevem subjecit contra mentis ante occupationem Tractatum. Neque hic est, ut sibi quis in animum inducere posset, moralis Tractatus contra hunc



antiquissimum, vulgarissimum, atque sanatu difficillimum generis humani morbum; sunt tantummodo variæ Demonstrationes formæ, & ut volebat author, evidentia Geometricæ miri hujus paradoxo, Arnaldum scilicet nullum horum qui sub ejus nomine contra Malebrancium editi sunt, librum scripsisse; atque ipsi quidem unum ponere satis est, Arnaldum videlicet verè locutum fuisse cum Deum testem facit se horum quos impugnabat mentem rectè assequi semper sincerè cupiisse, idque semper a suis moribus abhorruisse ut eos authores eorūve libros alios atque erant exhiberet; hoc posito thesim suam facilè probat; cum nonnulla in iis Malebrancii loca manifestò fuerint detruncata, aut eorum sensus non semel & de industriâ malè redditus, cum in iis appareant doli apertissimi ideoque voluntarii, inde evidenter patet, non ab eo libros fuisse scriptos qui illo se adegit jurejurando. Saltem non aliter eos scripsisset Arnaldus quàm ut generalis causa imperfectis & vitiosis occasionalibus causis determinata, nempe alicujus scribæ excerptis.

Dum autem in propriâ regione tot inveniebat contradictiones Malebrancius, ejus interea Philosophia ad Sinenses usque penetraverat, ibique eam omnibus arridere affirmavit Rosaliæ Episcopus; imo quidam Jesuita Evangelii in his regionibus præco fratribus in Galliam scribebat non alios eò mitterent quàm qui Mathematicam Malebrancii-que scripra edidicissent. Mathematices certè studiosiores quàm eidem nati videntur Sinenses, quorum huc usque tantopere jactatum est ingenium; verum fortasse id eorum quod ita laudatur ingenii acumen illud est ipsum quod postulat Metaphysica. Quicquid sit Malebrancium enixè rogavit Rosaliæ Episcopus ut in gratiam Sinensium scriberet; & id quidem peregit anno 1708 in brevi Dialogo qui inscriptus est *Christianum inter & Sinensem Philosophum de naturâ Dei Colloquium*: Materiam æternam infinitam, increatam esse contendit Sinensis Philosophus, atque certum quemdam Ly, qui nihil aliud est quàm certa quædam materia



materiæ forma, summam esse intelligentiam & sapientiam, ita tamen ut non sit natura quædam intelligens & sapiens a materiâ distincta, & ab eâ non pendens. Nec Christiano Philosopho difficile est illum Ly absurdissimum impugnare, aut potius ideam ejus corrigere, & in veri Dei ideam convertere, idque tantò facilius est quòd ille non multùm ab illâ ratione differat quâ, ut censet Malebrancius, omnes illuminantur homines, & in quâ cernuntur omnia, utpote qui ex ipsâ Sinensis sententiâ sit universa ratio. Cùm autem tam longinqui essent Sinenses Philosophi quos spectabat ille liber, quis ex eo novas Malebrancio concertationes enaturas suspicatus fuisset? Atqui tamen enatæ sunt, nempe cum Trevoltii diurnorum scriptoribus; nimirum Litteratos e Sinensibus Atheos esse negaverunt, quod dixerat Malebrancius, dictùmque defendit ex innumeris præconum Jesuitarum libris.

Ultimus tandem ejus liber qui anno 1715 evulgatus est fuere ejus in præmotionem Physicam considerationes: In his cuidam respondet libro de actione Dei in res creatas, in quo huic præmotioni fidem dare conans author Malebrancii autoritate propriam interdum sententiam firmabat, eùmque ad se adducebat; Verùm neque hunc quòd ducebat sequi voluit Malebrancius, neque se a viâ aberrare fateri, cùm non idem iter uterque insistebant: Libertatem scilicet verbis servabat ille, re tollebat, Malebrancius verò exposuit quâ eam totam ipse servaret. Præmotionem physicam per exemplum exhibet non minùs decretorium fortasse, aut certè movendis animis aptius quàm omnia Metaphysica argumenta. Statuam fecit opifex quod caput per verticulos reverenter coram ipso inclinat, dummodo funiculum ipse trahat; quotiescunque eum trahit funiculum, clientelam profitetur statua, eamque tunc adprobat opifex, verùm aliquando ipsum non salutatur, quia funiculum ipse non tetigit, atque eam ideo iratus diruit: Facile igitur demonstrat Malebrancius Deum, si ita ageret, neque satis bonum, neque satis æquum fore, simulque



probare suscipit Deum, ut eum agentem exhibet, talem satis esse, & quantum debet, etiam non quousque voluissent Baylius & nonnulli Philosophi. Sic ergo ex unâ parte Deo non inesse probat falsam illam quam ei nonnulli tribuunt Theologi inclementiam, & ex alterâ veram illam quam in Deo commonstrat Religio severitatem omni vituperio liberat, & ambos Theologiæ severioris & ad desperationem adigentis, ut & humanioris ac remissioris Philosophiæ scopulos perinde vitat. Librum tandem absolvit orans unumquemque ne ipsum judicet quin prius totum attentè scriptum legerit atque intellexerit; quâ prece in ultimo tot scriptorum iteratâ satis indicatur quàm difficilè id a lectoribus impetretur.

Atque Malebrancium huc usque quatenus Metaphysicæ aut Theologiæ doctorem ferè solum exhibuimus; quo sub utroque nomine ad Scientiarum Academiam non pertineret, limites enim suos ea prætergrederetur, si Theologiam vel extremis tangeret digitis, & a Metaphysicâ pariter abstinet utpote incertiori & nimis contentiosâ, aut quæ non ita manifestas habeat utilitates. Verùm Geometriæ ac Physicæ non minùs erat peritus, atque ejus in his doctrina, quæ in præcipuis ejus scriptis splendidè adparet, ei honorarium in eo cætu locum obtinuit; cum anno 1699 renovatus est. Imo per Geometriam & Physicam quasi per gradus ad Metaphysicam & Theologiam ascendit, atque eæ deinceps ferè semper maximè sublimes ipsius meditationes vel fundavere, vel firmavere, vel denique exornavere.

Anno 1712 postremùm editus est *Tractatus de Inquisitione Veritatis*; atque in eo tunc plenam legum motûs adjecit theoriam; quod argumentum cum diu meditatus fuisset, pristinas suas de eo opiniones multùm correxit, earum falsitatem postmodum edoctus, hominum enim est errare, sed nonnisi præclarorum virorum errores suos agnoscere: Huic etiam addidit Editioni novam nec ita brevem de Physicâ dissertationem, de generali scilicet orbis



orbis universi systemate; ipsum est Castesii systema ita reformatum ut sit tamen aliud omnino systema: Nititur quippe dogmate huic ingeniosissimo Inventori familiarissimo, sed quod minus æquo pertendit. Ex eo solo, si Malebrancio credatur, eorum omnium ratio redditur quæ in Physicâ sunt generalissima atque occultissima, corporum scilicet duritiei, vis elasticæ, gravitatis; lucis pariter ipsiusque reflexionis, refractionis, & quâ uno momento quoquoersum propagetur; ignis denique generationis & colorum. Id quidem hypothese esse necesse est, vix tamen illud dogma eo nomine adpellari potest, quippe quod ab alio dogmate deducatur quod Cartesianis indubitatum est, quodque ceteri diffiteri non possunt quin absurdissima quæque admittant. Verbo, quemadmodum apud Cartesium Orbis universus innumeris & penè immensis constat vorticibus quorum centra sunt stellæ fixæ, quemadmodum ii non ita se mutuò destruunt ut unum constituent vorticem, sed eâ ratione suos aptant motus ut cuncti simul sed in eam quisque partem circumagantur quæ tori congruat systemati; quemadmodum denique vi suâ centrifugâ sese mutuò indefinenter atque æqualiter comprimunt, & in primo suo perstant æquilibrio; sic etiam imaginatur Malebrancius totam subtilem materiam quæ per unum speciatim vorticem, per nostrum putâ, diffusa est, in innumeros & infinitè ferme parvos divisam esse vortices quorum summa est velocitas, adeoque ferè infinita vis centrifuga, cum sit ipsum velocitatis quadratum per circuli diametrum divisum. Hic ergo abundè vires suppetunt ad omnes Physicæ necessitates. Cum quædam juxta se invicem quiescunt, seque immediatè tangunt crassæ particulæ, id ex eo fit quod in omnem sensum comprimantur centrifugis minorum vorticum viribus quibus circumcinguntur, quibusque nullâ vi resistunt; atque inde oritur corporum durities. Si verò ita flectantur ut minores intra earum interstitia contenti vortices non ampliùs, ut antea, in his moveri queant, eò tendunt



hi circumvicini vortices eâdem illâ vi centrifugâ, ut hæc corpora in pristinum restituant statum, atque hæc est vis elastica. Lux itidem est pressio quam in spherâ minorum circumcingentium vorticum operatur corpus lucidum, cùmque omnia sint plena, uno eodémque momento ea e centro spheræ ad ejusdem extremam usque superficiem communicatur pressio. Præterea cùm sæpius iterentur eæ corporis lucidi pressiones, quia cùm pellit, ipsum simul repellitur, multæ fiunt pressions vibrationes quæ, prout certo tempore plures aut pauciores sunt, diversos efficiunt colores, quemadmodum oriuntur diversi toni ex majori minorive vibrationum numero quæ in crassiori aëre a corpore sonoro cientur. Atque innumeras quidem diversas pressiones simul pati potest vel minimus vortex, quod secùs se haberet in corpore duro, unde fit ut per idem punctum physicum transire possint innumeri radii diversè colorati qui se se nec destruant nec alterent: Cùm autem inæqualiter prematur radius qui e fluido in fluidum transit, hinc oritur ejusdem refractionis. Ex eodem dogmate sequitur corporum gravitas quæ, ut ut vulgare omnino phænomenon, hætenus tamen comprehendi non potuit; verùm longior esset ipsius explicatio. Suos denique minimos vortices ut clavem totius physicæ spectabat Malebrancius, nec parum ab ipsis facit quòd tot rebus inserviant.

Ut ut infirma in Malebrancio esset corporis habitudo, bonâ satis valetudine usus fuerat, non solum quia eâ utebatur diætâ quam ei præscribebant ejus & pietas & solemnia vota, sed quia insuper quasdam identidem adhibebat necessarias cautiones. Præcipuum ejus remedium, ubi aliquam sentiebat invaletudinem, magna erat aquæ copia quâ internas corporis partes sibi abunde abluebat, omnia bene se habere persuasus, cùm bene officio fungebatur hydraulica; verùm tandem gravissimo morbo affectus est anno 1715, ætatisque 77, atque continuò de ipso desperatum est. Universum erat deliquium, nulla aderat febris, nulla



nulla fluxio, nulla obstructio, sed vehementissimi dolores.

Novæ autem quæ supervenit & ejus quietem perturbatura fuisset concertationis dolorem ab eo avertit ille morbus; bellum ei indixerat Jesuita Tertzius qui eo anno amplam totius ejus systematis refutationem typis subjecit: Majorem vitæ partem armatus vixerat Malebrancius, sed invitatus atque sui tantum defendendi causâ, nec aliter quam supremo fine domita fuit ea fatalis necessitas; imò aliûs generis contradictiones passus est, minùs quidem splendidas, sed multò graviores. Longa texi posset historia earum quæ ab hominibus malè acceptæ sunt veritatum, ut & injuriarum quas passi sunt qui has infelices alienigenas introduxerunt.

Menses quatuor ægrotavit Malebrancius, vires quotidie ipsum deficiebant, & ita omnem amittebat humorem ut nihil tandem aliud esset quàm larva nudis ossibus cohærens. Ipsius morbus ad ejus Philosophiam sese veluti accommodavit, ad nihilum ferè redactum est corpus quod ita semper contempserat, mens verò quæ semper imperaverat, sana atque integra mansit, eâque tantum utebatur ut ad Religiosos sensus sese exstimularet, aut interdum relaxationis ergo de corporis interitu philosopharetur. Quietò semper animo longam spectavit mortem, cujus ultimum tale fuit momentum 3°. Idus Octobres, ut somno molli requiescere visus sit.

Ex quo rectas ei aperuerat vias Cartesii scriptorum lectio, eo fine tantum studuerat ut menti lumen præferret, non ut memoriam pluribus oneraret; luminibus enim eget mens, neque ea unquam abundant, sed multis sæpe inutilibus obruitur memoria, unde ea semper onera excutere conatur. Non multa igitur legerat, multa tamen didicerat; quæ ad meram eruditionem pertinebant ea prorsus negligebat; uno jucundiùs afficiebatur insecto quàm omni Græcâ Romanâve historiâ; & revera multas in unâ certi generis consideratione historias uno perspicit intuitu vir summo præditus ingenio. Id etiam Philosophiæ genus

*Malebrancii de Inquisitione Verit.* †††† asper-




aspernabatur quod nihil aliud docet quàm variorum Philosophorum sententias; hominum enim cogitationum historiam aliquis nosse potest, expers ipse cogitandi. Nemini ergo mirum erit quòd decem uno tenore versus nunquam sine fastidio legere potuerit: Assiduè meditabatur, & certis quidem cum cautionibus, clausisque speciatim fenestris. Operosum attentionis habitum ita adeptus erat, ut, ubi quid difficile ipsi proponebatur, ad rem continuò collineare, eamque ferire mens ejus veluti conspiceretur. Oblectamento habebat lusus merè pueriles, & eam quidem specie tenus pudendam puerilitatem in his ob certam rationem Philosopho dignissimam sectabatur; volebat enim ut nullum in mente vestigium relinquerent, cùmque ab his cessabat, restabat aliud nihil nisi quòd animum non semper intenderat; mentis virium parcissimus erat, ut eas Philosophiæ totas reservaret. Perfecta in eo fuit ea simplicitas quam soli sibi permittunt viri magni, cujusque repugnantia summis eorum virtutibus novum addit splendorem: Eruditissima, attentissima, severissimèque pietas mores ejus perficiebat qui naturâ jam tales erant ut iis, si fieri posset, ornamentis non ita opus haberent. In colloquio de iisdem argumentis ac in libris agebat, cum eâ tantùm differentiâ ut, ne plerosque effareret, minùs Christianè paulò, sed haud minùs philosophicè loqueretur. Exquisitissimus erat ipsius sermo, licèt ita sapiens & ita ad docendum idoneus; in sermone ab eo, quo revera supereminebat, principatu affectando æquè alienus erat, ac plerique ad eum quo non gaudent usurpandum prompti sunt; veritati prodesse cupiebat, eamque noverat non aliter in hominum animos se insinuare posse quàm sub vultu modesto ac submissio. Clientelam ipsi profitebantur omnes ferè Docti alienigenæ qui Lutetiam veniebant; imò ferunt nonnullos Germaniæ Principes ipsius tantùm visendi gratiâ Lutetiam se contulisse; id saltem certò scio, Præfectum quemdam Anglum, qui in bello Guillelmiano captivus fuerat, cùm Lutetiam deportaretur,



PATRIS MALEBRANCI. XXVII

taretur, id sibi solatii esse dixisse, quod Regem Ludovicum XIV & Malebrancium videre semper gestiisset. Eum invisit ipse Jacobus II Angliæ Rex. Verùm ipsi minùs honorifica erat horum fugitiva curiositas, quàm eorum constans assiduitas qui eum non semel vidisse, sed singulis videre diebus avebant. Dynastes Quadrington qui Jamaicæ Vice-Rex obiit, per biennium & amplius quod Lutetiæ mansit, singulis ferè diebus cum eo duas aut tres horas ante meridiem agebat. Nescio quonam fato tot nobis suffragia suppeditat Gens Anglica; his addi posset Anglica Tractatùs de Veritatis Inquisitione interpretatio quam exaravit Taylorus qui celeberrimi Taylori cognatus erat. Quicquid sit, id fatum, si fatum est, felix est; magni est pretii Gentis illius existimatio, utpote quæ sit perspicacissima, nec ad temere laudandum proclivis. A popularibus etiam magni fiebat Malebrancius, nec pauci eum circumveniebant viri clari; eorum plerique ejus simul erant & discipuli & amici, & revera vix alterutrum sine altero esse poterat, nec enim facilè eo familiariter usus fuisses qui systemate quod rejecisses semper imbutus erat, si verò ipsum systema admisisses non potuisses quin ipsum adamavisses authorem qui vivens, ut ita dicam, erat systema. Ideo etiam nullus unquam Philosophus, ne Pythagoras quidem, tam penitus persuasos habuit sectatores; atque suspicari licet, Malebrancii virtutes ejusdem ratiociniis non minimam opem tulisse.





## P R Æ F A T I O.

Nihil est potentius illâ creaturâ, quæ mens dicitur rationalis; nihil est sublimius. Quicquid supra illam est, jam Creator est. *Tr. 23. in Joan.* Quod rationali animâ melius est, omnibus consentientibus, Deus est. *Aug.*



**I**NTER Creatorem & res corporeas naturâ suâ medium tenet mens hominis, cum, iudice D. Augustino, supra illam nihil sit, præter Deum solum, nihil infra præter corpora. Sed quemadmodum ingens ipsius supra res materiales eminentia non obstat, quominus is connexa sit, immo ab aliquâ materiæ portione pendeat; ita distantia infinita, quæ inter Ens summum & mentem humanam intercedit, non obstat pariter, quominus hæc illi immediatè, & perquàm intimè connexa sit. Hac postremâ connexionem mens supra omnia eminet, vitam, lucem, & totam sui felicitatem ab eâ mutuatur; & Augustinus de illâ connexionem, tanquam de connexionem omnium maximè naturali & menti essentiali, passim loquitur: Contrâ verò connexio mentis cum corpore illam maximè deprimit, & omnium ipsius errorum ac miseriarum nunc causa est.

Quòd Vulgus hominum aut Ethnicæ Philosophi in mente nihil aliud considerent quàm ipsius cum corporibus relationem & connexionem, non verò eandem ejus cum Deo, non equidem miror: Sed quòd Christiani Philosophi, quos Spiritum Dei ingenio humano, Mosem Aristoteli, D. Augustinum misello cuidam Philosophi Ethnicæ Commentatori anteponere decet, in eo versentur errore, ut mentem potius habeant tanquam formam corporis, quàm ut factam ad imaginem Dei & propter imaginem Dei, id est, iudice Augustino, propter veritatem, cui soli im-

mediate  
quare, omnia per ipsam sed ad ipsam non nisi anima rationalis. Itaque substantia rationalis & per ipsam facta est, & ad ipsam; non enim est ulla natura interposita. *Lib. Imp. de Gen. ad Litt.* Rectissimè dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei, non enim aliter incommuabilem veritatem posset mente conspiciere. *De ver. Rel.*



mediatè connexa est, illud est quod omnem superat admirationem. Mens quidem corpori est conjuncta, & illius naturalis est forma. Sed illam Deo conjunctione longè strictiori, & quæ ad ejus naturam propiùs pertinet, connexam esse constat. Ipsius relatio ad corpus posset non existere, sed ipsius relatio ad Deum ita ad ejus naturam pertinet, ut mentem a Deo creari, sine illà relatione, concipere nemo possit.

Evidens est Deum nonnisi propter se agere posse, non posse mentes creare nisi ut ab ipsis cognoscatur & ametur, nullam posse ipsis impertiri cognitionem, nullum imprimere amorem nisi propter se, & qui ad se non tendat; at mentes potuit non connectere corporibus, quibus jam connexæ sunt. Itaque relatio mentis humanæ ad Deum est naturalis & necessaria; sed relatio mentis ad corpus, quamvis naturalis sit, non est tamen omnino necessaria.

Neque hîc locus est omnes adferre authoritates & rationes quibus id ad mentis humanæ naturam propiùs pertinere persuademur, ut cum Deo quàm ut cum corpore jungatur, id per Præfationis angustias non licet. Ut enim hæc veritas dilucidè explanaretur, præcipua Philosophiæ Ethnicæ fundamenta essent convellenda, mala ex peccato orta exponenda, experientia falsò sic dicta impugnanda, ac denique adversùs sensuum præjudicia & errores esset ratiocinandum.

Res tamen ingenii attentis, veràmque Philosophiam edoctis facillè potest probari. Sufficit enim eos hujus commonefacere; nempe cum voluntas Dei naturam uniuscujusque rei determinet, certè id ex mentis naturâ magis est ut cum Deo per cognitionem veritatis & amorem boni jungatur, quàm ut cum corpore, quandoquidem, ut jam dictum est, certissimè constat mentes a Deo fuisse creatas ad ipsum cognoscendum & amandum, potiùs quàm ad informanda corpora. Illud argumentum mentes perspicaces primâ fronte commovere, postea attentas reddere, ac denique convincere potest. At verò homines totos corpore constantes, quos omnium præter eorum quæ sensibus percipiuntur cognitio fugit, ejusmodi ratiociniis convinci vix ac ne vix quidem sperari potest. Cum ejusmodi



hominibus, crassis & sub sensus cadentibus argumentis utendum est, quia ipsis solidum nihil videtur, nisi in sensus agat.

Mens quod non sentit, nisi cum purissima & beatissima est, nulli coheret, nisi ipsi veritati, quæ similitudo & imago patris, & sapientia dicitur.

Aug. lib. imp. de Gen. ad litt.

Primi hominis peccatum conjunctionem mentis nostræ cum Deo ita imminuit, ut duntaxat perspiciatur ab iis, quorum cor purum est & mens oculata; illa conjunctio iis omnibus qui judicia sensuum, & affectuum motus cæco impetu sequuntur, imaginaria videtur.

Contrà verò conjunctionem mentis cum corpore ita corroboravit, ut istas duas nostræ partes habeamus veluti unicam substantiam, seu potius sensibus & affectibus nostris ita nos mancipavit, ut duarum quibus constamus partium corpus potiolem esse existimemus.

Homines ita abjectè & crassè de se sentire facile tibi persuadebis si ad varias eorum occupationes attendas. Cum enim felicitatis & perfectionis sint omnes cupidi, & ad id tantum collaborent ut feliciores aut perfectiores evadant, quis non judicet, corpus & corporis bona ab illis anteponi menti & bonis mentis, dum perpetuò versantur circa res corporeas, ac prorsus ferè ea negligunt quæ ad mentis perfectionem omnino necessaria sunt.

Plerique labore indefesso in id duntaxat desudant, ut miseram hanc possint sustentare vitam, & liberis opes ad corporis conservationem necessarias relinquunt.

Si verò quos fortuna aut nascendi conditio ab isto necessitatis telo exemit, in exercitiis & occupationibus suis non magis arguunt se mentem ut nobiliorem sui partem existimare. Venatio, Chorus, Ludus, epulæ illos habent totos. Ipsorum mens corpori mancipata hæc omnia oblectamenta, quamvis se indigna, magni facit & cupidè quærit. Quia verò corpus iis omnibus afficitur quæ sub sensus cadunt, mens non modò corpori, verum etiam per corpus & propter corpus omnibus iis quæ sub sensus cadunt mancipatur; nam per corpus junguntur cognatis, amicis, civitati, muneri & omnibus quæ possident bonis sensibilibus, quorum conservatio ipsis æquè utilis & necessaria videtur ac sui ipsorum conservatio. Itaque bonorum quibus fruuntur conservatione, eorum quæ non possident cupidine,



dine, gloriæ & dignitatum ambitione, longè magis occupantur & agitantur, quàm mentis perficiendæ studio.

Ipsi docti, quique ingenii laudem ambiunt, maximam vitæ partem consumunt in actionibus merè animalibus, aut quæ saltem ejusmodi sunt, ut arguant illos valetudinem, bona & famam mentis perfectioni præferre. Eo sine potius studio vacant, ut magnitudinem chimericam in hominum imaginatione positam sibi concilient, quàm ut mentis vim & capacitatem augeant. In caput suum, ut in armarium quoddam indiscriminatum & sine ordine congerunt quicquid certum eruditionis characterem præ se fert, hoc est, quicquid rarum & extraordinarium videri, & aliorum admirationem movere potest. Illis Apothecis similes esse gloriantur in quibus varia conspiciuntur antiqua, aliaque curiositatem moventia opera, quæ tamen nihil habent solidi, & quorum pretium ab imaginatione, a cupiditate aut fortunâ totum pendet, ac nullam ferme ad id conferunt operam, ut accuratum & justum sibi præstent ingenium, animique motibus dominantur.

Id tamen ex eo non oritur, quòd homines omnino ignorent se mente præditos esse, & mentem illam esse præcipuam ipsorum partem. Immo centies experti sunt famâ, divitiis, valetudine per aliquot annos potiri non tanti esse; & omnia in genere corporis bona, quæ non nisi per corpus & propter corpus possidentur, esse bona imaginaria & caduca. Neminem hominum latet præstare justum esse quàm divitem, rectum admittere rationis usum quàm eruditum esse, acri & perspicaci ingenio, quàm corpore agili præditum esse. Non possunt quin has veritates videant, dum se ipsos seriò consulunt. Homerus, exempli gratiâ, qui Achillem suum ob pedum velocitatem laudat, si ad rem attendisset, vidisset sanè hanc laudem equis aut canibus venaticis meliùs competere. Alexander insignibus atrociniis famosus, easdem nonnunquam in intimâ ratione audiebat objurgationes ac sicarii & latrones, licet assentatoribus undique stipatus. Et Cæsar in Rubiconis transitu terrorem a conscientia sibi incussum non potuit non patefacere, ubi propriam ambitioni Patriæ libertatem immolare tandem decrevit.

Non exigua hominis portio, sed totius humanæ universitatis substantia est. Ambros. 6. hec. xa. 7.

Mens



Ubiue ve-  
r tas præsi-  
det omni-  
bus confu-  
lentibus te,  
simulque  
respondes  
omnibus  
etiam di-  
versa con-  
sulentibus.  
Liquidè tu  
respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. *Conf. S. Aug. l. 10. C. 26.*

V. Quint.  
Curt. l. 7. c. 8

Intus in  
domicilio  
cogitatio-  
nis, nec He-  
bræa, nec  
Græca, nec  
Latina,  
nec Barba-  
ra veritas  
sine oris &  
linguæ or-  
ganis, sine  
strepitu syl-  
labarum.  
*Conf. Aug.  
lib. 11. c. 3.*

Videtur  
quasi ipse  
à te occi-  
dere, cum  
tu ab ipso  
occidas.  
*Aug. in  
Psal. 25.*

*Alexander Scytharum admonitionibus linguâ exoticâ factis non indigebat, ut suum cognosceret officium; ab illo qui Scythas & Gentes maximè barbaras instituit, leges justitiæ edoctus fuerat. Lumen veritatis, quo omnes illuminantur homines, ipsi etiam affulgebat, & vox naturæ, quæ nec Græcè, nec Scythicè, nec Barbarè loquitur, ipsum ut cæteros homines sermone clarissimo compellabat. Frustra illum officii sui Scythæ admo- nebant, dum Deus ipsius animum non alloquebatur. Vel potius Deus quidem ipsius animum alloquebatur, verum ille solos audiebat Scythas, a quibus ipsius irritabantur affectus, proinde extra se ipsum rapiebatur, ita ut veritatis vocem, licet illâ territus, non audiret, ipsius lumen, quo tamen perfunde- batur, non videret.*

*Fateor equidem nostram cum Deo conjunctionem eò magis imminui & debilitari, quò magis nostra cum sensibilibus con- junctio augetur & corroboratur, sed tamen ea conjunctio nulla omnino esse nequit, quin toti prius destruamur. Quamvis enim qui in vitium ruunt, & sese voluptatibus ingurgitant, verita- tem non sentiant, cum eâ tamen conjunctionem habent, veritas ipsos non deserit, sed illa ab ipsis deseritur. Lumen veritatis lucet quidem in tenebris, sed tenebras non semper dissipat; quemadmodum Solis lumen cæcis, & iis qui oculos claudunt circumfulget, licet illos non illuminet.*

De

Nam etiam sol iste & videntis faciem illustrat & cæcis; ambobus sol præsens est, sed præ- sente sole unus absens est. Sic & Sapientia Dei Dominus J. C. ubique præsens est, quia ubi- que est veritas, ubique sapientia. *Aug. in Joh. Tract. 35.*



De conjunctione mentis nostræ cum corporibus res non se-  
cus se habet. Illa minuitur quò magis nostra cum Deo con-  
junctio augetur. Verùm nunquam tota perit nisi morte no-  
strâ. Licet enim eadem nobis esset illuminatio, & æquè a rebus  
sensibilibus abstraheremur ac Apostoli, ex quo peccatum irrep-  
sit, necesse est mentem nostram pendere a corpore, & legem carnis  
legi spiritus perpetuò resistere. Mens eò majorem puritatem,  
perspicacitatem, fortitudinem & capacitatem assequitur, quò  
magis ipsius conjunctio cum Deo augetur; quia ex illâ con-  
junctio pendet tota ipsius perfectio. Contrâ verò corrumpitur,  
debilitatur, occæcatur, coarctatur, quò magis ipsius cum cor-  
pore conjunctio augetur & corroboratur; quia illa conjunctio to-  
tam ipsius constituit imperfectionem. Omnium itaque maximè  
miserabilis est illius status, qui de omnibus per sensus judicat,  
in omnibus affectuum motus sequitur, & iis tantùm delectatur  
quæ ipsum palpant, & ille, quamdiu ita affectus est, a veritate  
& bono perquam longè distat. \* Sed ubi quis de rebus per ideas  
puras mentis tantùm judicat, rerum creatarum tumultum sedulo  
refugit, & apud se ipsum silentibus affectibus & sensibus summum  
Magistrum auscultat, extra omne erroris periculum versatur.

Deus eos numquam fallit a quibus interrogatur seriâ appli-  
catione, & integrâ mentis ad ipsum conversione, quamvis iis  
semper non respondeat; verùm ubi mens a Deo ad res creatas  
depicit, atque ad veritatem obtinendam corpus tantùm interro-  
gat, & sensus, imaginationem & affectus ipsi indesinenter ad-  
murmurantes audit, tum manifestum & perpetuum ipsi imminet  
erroris periculum. Sapientia & veritas, bonum & felicitas,  
non sunt bona, quæ a corpore possint sperari, ab eo solo qui est  
supra nos, & a quo nostram existentiam accepimus, perfectionem  
obtinere possumus.

Hæc egregiè nos docet Augustinus: Principium, inquit, crea-  
turæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium  
manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occu-  
tâ Malebrancii de Inquisit. Verit. †††† inf-

\* Quis enim bene se inspiciens non expertus est, tantò se aliquid intellexisse sin-  
cerius quantò remove, atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus po-  
uit. Augustin. de immortal. animæ cap. 19

Quod hic  
dico de du-  
plici con-  
junctioe men-  
tis cum Deo  
& cum cor-  
pore, intel-  
ligi debet  
juxta mo-  
dum vulga-  
rem res con-  
cipiendi.  
Etenim con-  
junctio non  
stat mentem  
non posse  
conjugi  
immediate  
nisi cum  
Deo; hoc est,  
mentem a  
Deo vere  
depende-  
re; ac si  
conjunga-  
tur cum cor-  
pore, aut ab  
eo pendeat,  
id sit, quia  
voluntas  
Dei opera-  
tur efficaci-  
ter hanc  
conjunctio-  
nem & de-  
pendentiam.  
Sed hæc in  
ipso opere  
satis perci-  
piuntur.

l. 1. de Gen:  
ad lit. c. 50.



inpiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quòd aliter formata ac perfecta esse non possit.

Joan. Ep. 1. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, inquit Johannes. Hac contemplatione veritatis æternæ, ad illud magnitudinis fastigium, ad quod omnes spiritus creati propriæ naturæ necessitate tendunt, extollemur.

Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. 9. 10. Verum quamdiu hic in terris degimus, corporis pondus mentem deprimit; illam perpetuò a Dei præsentia, aut ab illo lumine interno quo illuminatur abstrahit; in id omnino enititur, ut ipsius conjunctionem cum sensibilibus adaugeat, illamque ad id adigit, ut omnia sibi representet, non prout in se sunt, sed prout sunt relate ad vitæ conservationem.

Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile existimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Sap. 9. 15. Corpus, juxta Sapientem, menti tot simul offert sentienda, ut ea res maxime obvias cognoscere nequeat; corporis visus perstringit, & dissipat visum mentis. Nec fieri potest, ut veritas quæpiam oculis mentis percipiatur, eodem tempore quo ad eam cognoscendam oculis corporis utimur. Atque hinc patet solâ mentis attentione veritates retégi, & scientias addisci, cum revera attentio mentis nihil aliud sit præter ipsius conversionem ad Deum, qui noster solus est Magister, & a quo omnem docemur veritatem, solâ ipsius substantiæ manifestatione, ut loquitur Augustinus, & sine ullius rei creatæ operâ. \*

Ex his omnibus liquet impetu corporis adversus mentem esse perpetuo resistendum, & ad id paulatim nos informandum ut sensuum respuamus testimonium de omnibus quibus circumdamur corporibus, quæ semper ii nobis ut studio nostro digna representant, cum attentionem nostram ea sensibilia nec occupare nec sistere debeant. Hanc veritatem nos docuisse videtur Sapientia æterna incarnatione suâ. † Postquam enim carnem

\* Deus intelligibilis lux, in quo, & a quo, & per quem intelligibiliter lucent omnia. 1. Sol. Insinuavit nobis (Christus) animam humanam non vegetari, non illuminari, non beatificari, nisi ab ipsâ substantiâ Dei. August. in Job.

† Illa autoritas divina dicenda est quæ non solum in sensibilibus signis transcendit omnem humanam facultatem, sed & ipsam hominem agens, ostendit ei quousque se propter ipsum depresserit, & non teneri sensibus, quibus videntur illa miranda, sed ad intellectum jubet evolare, simul demonstrans, & quanta hic & cur hæc possit, faciat, & quàm parvi pendat. Aug. 1. de ord. 2. Tract. in Joan. 27.



*sensibilem ad supremam evexit dignitatem, summâ ejusdem carnis humiliatione, nobis quantopere sensibilia aspernari debeamus ostendit. Hanc fortè ob causam dicebat Paulus, se non cognoscere JESUM CHRISTUM secundum carnem: Etenim carni Jesu-Christi non est immorandum, sed spiritui carne velato. Caro vas fuit, quod habebat attende, non quod erat, inquit Augustinus. Quicquid est visibile aut sensibile in JESU CHRISTO non meretur adorationes nostras, nisi propter ejus connexionem cum verbo quod soli menti obversari potest.*

*Qui Sapientiæ & felicitatis sunt cupidi, iis suprâ dictâ altâ mente reposita manere omnino necesse est. Non sufficit eos dictis meis fidem adhibere, & hac veritate veluti subitaneo quodam lumine perstringi. Id apud eos innumeris experimentis & demonstrationibus extra omne dubium positis constare oportet, ita ut e mente deleri numquam possit, sed omnibus studiis & cæteris vitæ occupationibus semper præsens adsit.*

*Qui hoc nostrum opus attentè legere dignabuntur, hunc, ni fallor, animum induent. In eo enim multifariam ostendimus sensus, imaginationem & affectus nostros nobis ad veritatem & veram nostram utilitatem retegendam inutiles esse, imo nos potius perstringere & ubique decipere; ac in genere, omnes quas mens, per corpus, vel propter motus quosdam in corpore excitatos, recipit cognitiones, esse falsas & confusas, relatè ad res quas representant; quamvis sint utilissimæ ad conservationem corporis, & bonorum, quæ cum corpore relationem habent.*

*In isto quod publici juris facimus Opere multi impugnantur errores; ac ii præcipuè qui apud vulgus hominum maximè obtinuerunt, aut qui majorem mentis pariunt inordinationem; atque illos errores penè omnes procedere ex conjunctione mentis cum corpore ostenditur. Multis in locis menti servitutem suam, & a rebus sensibilibus dependentiam patefacere conamur, ut veternum excutiat, & liberationem suam aliquo conatu tentet.*

*Præter simplicem aberrationum nostrarum expositionem, ibi etiam mentis natura explicatur. Missâ, exempli gratiâ, longiori errorum specialium sive sensuum sive imaginationis enumeratione, causis illorum errorum præcipuè insistitur. Facultates*



mentis & errores generales quibus obnoxii sumus explicando, simul innumeri errores speciales, in quos incidere possumus, explicantur. Totum itaque istud opus circa mentem humanam versatur. Illam in se ipsâ, relate ad corpora, & relate ad Deum consideramus. Omnium ipsius facultatum natura examinatur; usus ex illis percipiendi ad vitandum errorem indicantur. Denique pleraque eorum, quæ ad progressum in cognitione hominis faciendum utilia existimata fuere, exponuntur.

Omnium cognitionum pulcherrima, jucundissima & maximè necessaria sanè est cognitio nostri. Ex omnibus scientiis humanis, scientia hominis homine est maximè digna, hæc tamen scientia omnium non est maximè exculta & perfecta. Hanc vulgus penitus negligit, ex iis qui scientias profitentur pauci huic operam dant; ex iis qui huic ex professo student pauciores adhuc felicem sortiuntur exitum. Qui periti apud homines habentur, non nisi confusè admodum differentiam vident omnimodam, quæ est inter mentem & corpus. Ipse Augustinus qui hæc duo entia ita apprimè distinxit, se illam differentiam diu ignorasse fatetur. Et quamvis mentis & corporis proprietates explicando eos omnes revera superaverit qui ante & post ipsum ad nostrum usque sæculum hac de materiâ scripserunt, operæ tamen pretium fecisset, si corporibus, quæ nos ambiunt, omnes qualitates sensibiles, quas eorum operâ percipimus, non tribuisset; Etenim illæ qualitates in ideâ quam habebat de materiâ clarè non continentur. Differentiam itaque mentis & corporis non nisi ab aliquot annis clarè notam fuissè, strenuè dicere possumus.

Nonnulli mentis naturam sibi optimè notam esse arbitrantur. Plurimi illam cognosci non posse persuasum habent. Denique maximus numerus, cui bono illa cognitio possit inservire, non deprehendit, illamque hanc ob causam spernit. Verùm omnes istæ adeo vulgares opinioniones ex imaginatione & inclinatione hominum potius oriuntur, quàm ex visu claro & distincto mentis, nempe non sine fastidio & labore possunt intra se colligi, ad suos nexos infirmitatèsq; noscendum; contra verò scientiis quæ curiositatem movent, & aliquem præ se ferunt fulgo-



fulgorem delectantur. Cum extra se perpetuò divagentur, propria mala non nôrunt. Se bene valere arbitrantur, quia sese non sentiunt. Immo eos qui morbum suum deprehendêre remediis uti ægrè ferunt, eosque, dum sanitatem suam restituere conantur, morbum sibi contrahere dicunt.

Verùm sublimes illi viri qui abditissima naturæ arcana scrutantur, qui mente cælos petunt, & in abyssos descendunt, quid ipsi sint recordari deberent. Hisce ingenibus naturæ operibus forsân duntaxat perstringuntur. Mentem extra se ipsam excedere oportet, ut tot & tanta possit attingere, jam verò extra se exire non potest quin dissipetur.

Homines ad id nati non sunt ut Astronomi & Chymici fiant, ut perpetuò ad telescopium pendeant, vel fornaci adhæreant, ac ex istis postea operosis observationibus consequentias satis inutiles deducant. Astronomus terras, maria, & montes in lunâ primus deprehenderit, maculas solis primus viderit, earumque motus accuratè supputaverit. Chymicus tandem invenerit artem figendi Mercurium, vel conficiendi istud Alkaert, quo Vanhelmonius se omnia dissolvere posse corpora jactabat; an inde sapientiores & feliciores evaserunt? Forsân aliquam sibi peperêre famam; verùm, si ad rem attenderunt, hæc fama ipso um auxit servitutum.

Astronomia, Chymia, & ceteræ penè omnes scientiæ possunt haberi tanquam viri cordati & ingenui oblectamenta: Verùm non debent propter suum fulgorem scientiæ hominis præferri. Quamvis enim imaginatio ideam quandam magnitudinis Astronomiæ alliget, quia hæc scientia versatur circa opera ingenia, fulgida, & supra alia infinitis distantiis edita; hanc tamen ideam mens non debet cœcâ amplecti veneratione, sed illius judicium se gerere, ac illam fastu sensibili, quo ratio prævertitur, spoliare. Mens de omnibus juxta lumina sua interna, rejecto falso & confuso sensuum & imaginationis testimonio, judicare debet, ac si juxta purum veritatis lumen de omnibus scientiis humanis judicet, ausim asserere illas penè omnes ab ipsâ contemptum iri, eam verò, quæ nos docet quid simus, ceteris omnibus antepositum iri.



Satius igitur ducimus Veritatis amantes hortari, ut de hujus operis materiâ judicent juxta responsa quæ a supremo omnium hominum magistro seriò ab ipsis interrogato accipient, quàm illos ingenti oratione, quæ fortè pro quodam loco communi, & vano præfationis ornamento haberetur, prævertere. Quòd si hanc materiam attentione & studio suo dignam existiment, illos iterum rogatos velim, ne de rebus in hoc libro contentis judicent

Nolite putare quentiam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit inusitatus, inanis sit strepitus noster. *Aug. in Joh.*

juxta bonam vel malam quâ exprimentur rationem, sed semper sese apud se recipiant, ut verâ judiciorum normâ utantur.

Cùm persuasum omnino habeamus homines sese mutuo docere non posse, nec eos qui nos audiunt, eas discere veritates quas ipsorum auribus infusurramus, nisi simul qui eas nos docuit eas etiam ipsorum menti manifestas faciat; eos adhuc monere tenor qui hoc opus legent, ne bono aliquo erga me affectu moti mihi temerariè credant, nève odio præoccupati dicta mea impugnent. \* Quamvis enim hîc nihil a me in medium produisse credam quod meditatione non fuerit acquisitum, me tamen pigeret si sententias meas alii admitterent sine maturâ cognitione, & in errorem aliquem laberentur, vel quia ea satis non intelligerent, vel quia ipse hallucinatus fuisset.

v. lib. de Magistro August.

Nonnullorum Doctorum qui in verba sua jurari exigunt, superbia nobis videtur intolerabilis. Deum, postquam loquuti sunt, interrogari agrè ferunt, qui ipsi Deum non interrogavere. Statim atque ipsorum placitis fidem quis adhibere negat, exacerbantur, ac tenebras ipsorum imaginationis puro veritatis lumine, quod mentem illuminat, præferri volunt.

Hanc agendi rationem absit ut imitemur, quamvis illam imitari sæpe accusemur. Qui nos præcesserunt Authores tanquam monitores habemus, iniquissimi igitur ac valde superbi essemus, si tanquam Doctoribus atque Magistris aurem præberi nobis postularem. Facta & experimenta a nobis allata credi revera optamus, quia hæc non addiscuntur applicatione mentis ad rationem supremam & universalem; sed quoad omnes veritates, quæ in veris rerum ideis deprehenduntur, quas veritas eterna

\* Auditus per me factus, intellectus per quem S. dixit aliquis & ad cor vestrum, sed non eum videtis. Si intellexistis fratres, dictum est & cordi vestro, Munus Dei est intelligentia. *Aug. in Joh. Tr. 40.*



*æterna in intimâ ratione nos docet; quoad illas, inquam, monemus non esse acquiescendum cogitationibus nostris; grande nefas enim ducimus se se Deo parem facere, illud in mentes imperium usurpando.*

*Noli putare te ipsam esse lucem. Aug. in Ps.*

*Cæterum inter rationes ob quas istud Opus attentissimè legi optamus præcipua est, ut errorum a nobis admissorum moneamur, etenim erroris immunitatem non affectamus. Mens corpori tam arctè conjungitur, & ab eo ita dependet, ut meritò vereamur ne tumultum confusum imaginationis a purâ Veritatis, quæ mentem alloquitur, voce, non semper accuratè distinguerimus.*

*Si Deus solus nos alloqueretur, ac de iis tantum quæ intelligimus judicaremus, hisce JESU-CHRISTI verbis forsan uti possemus, Sicut audio, sic judico; & judicium meum justum est: Verum corpus altiori voce loquitur quàm Deus ipse, & corpus illud veritatem nunquam docet. Philautia, illius qui Veritatem semper loquitur, verba corrumpit. Et superbia audaciam de rebus inconsultâ veritate judicandi nobis injicit. Præcipua enim errorum nostrorum causa in eo consistit, quòd judicia nostra latius pateant claro mentis visu. Eos igitur qui errores meos agnoscent enixè rogo, ut me corrigant, ut istud Opus quod veluti specimen quoddam trado, magis magisque perficiatur.*

*Johan. c. 5. n. 30.*

*Initio illud institutionis meæ gratiâ duntaxat susceperam, ut scilicet rectè cogitare, atque cogitata perspicuè proferre ediscerem; verum nonnullorum rationibus, qui illud evulgare utile futurum existimarunt, eò libentiùs obtemperavi, quòd præcipua illorum ratio apprimè consonabat cum isto meo propriæ institutionis proposito. Nempe, ajebant illi, nullâ apriori ratione possumus rei cujuscumque plenam cognitionem assequi, quàm nostras de illâ sententias viris eruditis proponendo; hoc pacto nostra & ipsorum attentio excitatur. Quidam rem aliter concipientes alias retegunt veritates; & nonnunquam veritates jam reiectas ulterius urgendo, res aut pigritiâ neglectas, aut pusillanimitate abdicatas indicant.*

*His de causis Authorem me gero. Verum ne spes mea me fallat,*



fallat, hoc adhuc monitum velim, ægrè ferendum non esse, si primo intuitu quædam reperiantur quæ vulgares & inveteratas, ac apud omnes in omnibus sæculis admissas impugnent opiniones. Errores maximè generales convellere hinc præcipuè animus est. Si homines essent omnes rectè eruditione ornati, approbatio universalis esset quidem ratio. Sed res omnino secus se habet. Maneat igitur altà mente repostum, rationem solam præesse debere iudicio omnium opinionum humanarum, quæ nullam habent relationem ad fidem, quam solam longè aliter ac res naturales nos edocet Deus. Unusquisque apud se ipsum se recipiat, ad lucem intus perpetuò lucentem accedat, ut ratio possit illuminari. Vitentur sensationes æquo vividiores, & commotiones mentis, quæ ingenii capacitatem nimis implent. Ete nim minimus strepitus, minimus lucis splendor visum mentis nonnunquam dissipant; hæc omnia vitare utile est, quamvis non omnino necessarium. Si verò conatibus nostris eò non possumus pervenire, ut perpetuis corporis nostri impressionibus, & infantiae præjudiciis resistamus, tum ad Deum oratione conjugendum est, ut ab illo, quod propriis viribus denegatum fuit, obtineamus. Interea tamen sensibus indefinenter resistendum; hæc perpetua debet esse eorum occupatio, qui, ut ait Augustinus, veritatem sincerè amant.

Nullò modo resistitur corporis sensibus; QUÆ NOBIS SACRATISSIMA DISCIPLINA EST, si per eos inflictis plagis vulneribusque blandimur. Ep. 72.

*Totius Operis divisio explicatur quarto Capite.*





# INDEX CAPITUM

## TOMI PRIMI.

### LIBER PRIMUS

#### *De Erroribus Sensuum.*

- C**APUT I. I. De naturâ & proprietatibus intellectûs, II. De naturâ & proprietatibus voluntatis, ubi quid sit libertas examinatur. *Pagina 1*
- C**AP. II. I. De judiciis & ratiociniis. II. Ipsa a voluntate pendere. III. Quomodo respectu illorum quisque uti debeat libertate suâ. IV. Duo proponuntur canones generales, quibus error & peccatum vitari possint. V. In canones istos animadversiones quædam necessariæ adduntur. p. 7
- C**AP. III. I. Responsiones ad objectiones quasdam. II. In ea quæ de Evidentiæ necessitate dicta sunt observationes. p. 12
- C**AP. IV. I. De causis erroris occasionalibus, & quidem esse quinque præcipuas. II. Totius hujusce operis generale propositum, & speciale hujusce primi libri. p. 16
- C**AP. V. De Sensibus, I. Corruptio quam peccato contraxerunt bifariam explicatur. II. Libertatem nostram esse veram errorum nostrorum causam, non verò sensus. III. Canon, quo in usu sensuum nostrorum errorem vitamus, proponitur. p. 18
- C**AP. VI. I. De erroribus visus respectu extensionis in seipsâ considerata. II. Errores illi ad res invisibiles extenduntur: III. De erroribus oculorum nostrorum circa extensionem respectivam. p. 23
- C**AP. VII. I. De erroribus oculorum nostrorum circa figuras. II. Nos de minimis nullam habere cognitionem. III. Cognitionem quam de maximis habemus non esse accuratam. IV. Quædam judicia naturalia, quibus errorem vitamus explicantur. V. Eadem ipsa judicia in occasionibus quibusdam singularibus nos decipere. p. 32
- Malebrancii de Inquisit. Veritat.*      †††††      **CAP.**



**XLII INDEX CAPITUM.**

- CAP. VIII.** I. Ab oculis nostris nos non doceri magnitudinem aut celeritatem motus in se considerati. II. Durationem ad motum cognoscendum necessariam nobis ignotam esse. III. Exempla errorum visus nostri circa motum & quietem. p. 35
- CAP. IX.** Idem argumentum tractatur. I. Errores visus nostri circa motum generaliter demonstrantur. II. Cognoscendam esse corporum distantiam prius quam de ipsorum motus velocitate iudicium fiat. III. Rationes quibus distantiae cognosci possunt examinantur. p. 39
- CAP. X.** De erroribus circa qualitates sensibiles. I. Distinctio animae & corporis. II. Organa sensuum explicantur. III. Cui corporis partem animae immediatè conjuncta sit. IV. Quid corpora externa agant in corpus. V. Quid in mentem, & cur mens non percipit motus fibrarum corporis. VI. Quatuor in unâquâque sensatione vulgò confunduntur. p. 47
- CAP. XI.** I. De errore quem admittimus circa actionem rerum objectarum in fibras externas sensuum. II. Causa hujus erroris. III. Objectio cum responsione. p. 53
- CAP. XII.** I. De erroribus circa motus fibrarum sensuum nostrorum. II. Hoscè motus nobis esse imperceptos vel a nobis confundi cum sensationibus nostris. III. Res experimento probatur. IV. Tria sensationum genera. V. Errores quos secum ducunt. p. 55
- CAP. XIII.** I. De naturâ sensationum. II. Circa ipsas ignorantiam nostram non eam esse quam credimus. III. Objectio cum responsione. IV. Cur nullam sensationum nostrarum cognitionem nos habere existimamus. V. Omnes homines earundem rerum objectarum occasione iisdem affici sensationibus falsò credi. VI. Objectio cum responsione. p. 59
- CAP. XIV.** I. De falsis judiciis quae sensationes nostras comitantur, quaeque cum iis confunduntur. II. Causa horumce falsorum iudiciorum. III. Errorem non esse in sensationibus nostris, sed tantummodo in his judiciis. p. 66
- CAP. XV.** Errores speciales visus explicantur, ut errorum generalium sensuum sint exemplum. p. 69
- CAP. XVI.** I. Errores sensuum nostrorum nobis esse loco axiomatum generalium & foecundissimorum ex quibus falsas conclusiones eliciamus quae vicissim pro axiomatibus habentur. II. Differentiarum naturalium origo. III. De formis substantialibus. IV. De quibusdam erroribus Philosophiae Scholasticae. p. 71
- CAP. XVII.** I. Aliud exemplum ex Ethicâ desumptum, ex quo patet sensus nostros nihil nobis offerre præter falsa bona. II. Deum solum esse verum nostrum bonum. III. Errorum Epicureorum & Stoicorum origo. p. 74
- CAP. XVIII.** I. Sensus nostros nos in errores injicere etiam circa res non sensibiles. II. Exemplum ex hominum commercio & consuetudine mutuâ deductum. III. Ex habitu externo & sensibili iudicium non



- non esse statuendum. p. 76  
 CAP. XIX. Duo alia exempla. I. Prius de erroribus circa naturam  
 corporum. I. Posterius de erroribus circa qualitates eorundem corpo-  
 rum. p. 78  
 CAP. XX. Hujusce primi Libri conclusio. I. Sensus nobis tantum  
 concessos fuisse in usum corporis nostri. II. Ipsorum testimonio diffi-  
 dendum esse. III. Illum non paulum promovisse, qui ritè atque  
 opportunè dubitare didicit. p. 81

## LIBER SECUNDUS.

*De Imaginatione.*

## PARS PRIOR.

- CAPUT I. I. Idea generalis imaginationis. II. Ipsam duas in se in-  
 cludere facultates, alteram activam, alteram passivam. III. Causa  
 generalis mutationum quæ fiunt in imaginatione hominum, & fun-  
 damentum hujusce secundi libri. p. 83  
 CAP. II. I. De spiritibus animalibus, & mutationibus quibus in ge-  
 nere obnoxii sunt. II. Chylum ad cor transire, atque in spiritibus  
 mutationem adferre. III. Vinum idem efficere. p. 87  
 CAP. III. Aërem quem spiramus aliquam etiam in spiritibus immuta-  
 tionem afferre. p. 89  
 CAP. IV. I. De mutatione quam in spiritibus efficiunt nervi illi qui  
 cor & pulmões attingunt. II. De mutatione quam efficiunt nervi,  
 qui jecur, lienem & viscera attingunt. III. Hæc omnia citra v lun-  
 tatis nostræ consensum nec tamen sine providentiâ fieri. p. 93  
 CAP. V. I. De vinculo mutuo inter ideas mentis & cerebri vestigia.  
 II. De mutuo horum inter se vestigiorum vinculo; III. De mem-  
 riâ. IV. De Habitibus. pag. 95  
 CAP. VI. I. Fibras cerebri non mutari æquè celeriter ac spiritus.  
 II. Tres earum fibrarum mutationes in tribus hominis ætatibus. p. 104  
 CAP. VII. I. De communicatione quæ est inter cerebrum matris &  
 cerebrum infantis ipsius. II. De communicatione quæ est inter cere-  
 brum nostrum, & cæteras corporis partes quæ ad imitationem mise-  
 ricordiamque movemur. III. Explicatio generationis monstrorum,  
 & propagationis specierum. IV. Quædam inordinationes mentis & in-  
 clinationum voluntatis explicantur. V. De concupiscentiâ & peccato  
 originis. VI. Objectiones cum responsionibus. p. 105  
 CAP. VIII. I. Mutationes quæ in infantis ex utero matris exeuntis  
 imaginatione, ex mutuo cum nutrice, genitrice, aliisque commercio,  
 contingunt. II. Præcepta ad eos benè educandos utilia traduntur. p. 118



## P A R S   S E C U N D A .

*De Imaginatione.*

- CAPUT I. I. De imaginatione mulierum. II. De imaginatione viro-  
rum. III. De imaginatione senum. pag. 123
- CAP. II. Spiritus animales plerumque tendere in vestigia idearum  
nobis maximè familiarium, unde fit ut rectum de rebus iudicium ferre  
non possimus. p. 127
- CAP. III. I. Eos qui literis & scientiis operam dant errori magis ob-  
noxios esse. II. Cur malimus autoritate niti, quàm ratione uti.  
p. 129
- CAP. IV. Duo pravi effectus lectionis in imaginationem. p. 132
- CAP. V. Homines studio deditos alicui ut plurimum auctori sese man-  
cipare, adeo ut in id unum colliment, ut nempe quid ille auctor  
tenuerit, non verò quid tenendum sit, accuratè discant. p. 134
- CAP. VI. De præconceptis Commentatorum opinionibus. p. 138
- CAP. VII. I. De novorum systematum inventoribus. II. Ultimus eo-  
rum error, qui studio scientiarum operam dant. p. 143
- CAP. VIII. I. De ingeniis effeminatis. II. De ingeniis superficialiis.  
III. De viris autoritate præditis. IV. De iis qui experimenta fa-  
ciunt. p. 146

## P A R S   T E R T I A .

*De communicatione contagiosâ imaginationum fortium.*

- CAPUT I. I. De illâ proclivitate quâ ad alios in omnibus imitandos  
propendemus, unde manat communicatio errorum qui ab imaginatio-  
nis facultate dependent. II. Duæ causæ præcipuæ quæ illam augment  
proclivitatem. III. Quid sit imaginatio fortis. IV. Eam esse multi-  
plicem. De infans ac de iis qui imaginationem fortem secundum sen-  
sum hîc explicatum habent. V. Duo vitia memorabilia eorum qui ha-  
bent imaginationem fortem. VI. Quàm sint idonei ad persuadendum  
& fucum faciendum. p. 151
- CAP. II. Exempla generalia quibus vis imaginationis demonstratur.  
p. 157
- CAP. III. I. De vi imaginationis quorundam Authorum. II. De  
Tertulliano. p. 163
- CAP. IV. De imaginatione Senecæ. p. 165
- CAP. V. De Libro Domini Montagne (nobilis Galli.) p. 172
- CAP. VI.



CAP. VI. I. De Sortiariis ex imaginatione, & Lycanthropis. II. Concluduntur duo primi Libri. p. 179

LIBER TERTIUS.

*De intellectu seu mente purâ.*

CAPUT I. I. Sola cogitatio essentialis est menti. Sentire & imaginari nihil aliud sunt præter ipsius modificationes. II. Omnes non cognoscimus modificationes quas mens potest suscipere. III. Illæ modificationes diversæ sunt a cognitione nostrâ & amore nostro, immo ipsas non semper sequuntur. p. 185

CAP. II. I. Cùm mens sit finita non potest capere quod pertinet ad infinitum. II. Arcti quibus circumscribitur limites sunt multorum errorum origo, III. & præcipuè hæresium. IV. Mens est submittanda fidei. p. 191

CAP. III. Philosophos ingenium suum opprimere ac veluti dissipare, dum, nullo in studiis suis ordine servato, ad ea incumbunt quæ nimias in se includunt relationes, & a pluribus pendent. II. Exemplum ex Aristotele desumptum. III. Geometras contra se benè gerere in veritatis investigatione, ac eos potissimum qui Algebrâ & Analyfi utuntur. IV. Ipsorum methodum vim ingenii augere, Logicam verò Aristotelis ipsam minuere? V. Aliud vitium eorum qui studio operam dant. p. 195

CAP. IV. I. Mens non potest ad ea diu incumbere quæ nullam secum habent relationem, aut quæ cum infinito nihil habent commune. II. Voluntatis inconstantia causa est istius mentis inapplicationis, ideóque erroris. III. Sensationes nostræ nos magis occupant quàm ideæ puræ intellectûs. IV. Ex quo manat morum corruptio. V. Ut & ignorantia vulgi. p. 198

PARS SECUNDA.

*De Intellectu puro.*

*De Natura Idearum.*

CAPUT I. I. Quid per ideas intelligatur. Illas reapse existere, ipsasque necessarias esse ad omnes percipiendas res corporeas. II. Divisio omnium modorum quibus res externæ percipi possunt. p. 204

CAP. II. Res corporeas nullas mittere species sibi similes. p. 207

CAP. III. Mentem præditam non esse virtute producendi ideas. Causa erroris



## XLVI INDEX CAPITUM.

- erroris in quem hac de re labuntur homines. pag. 209
- CAP. IV. Nos non percipere res objectas per ideas nobiscum creatas. Deum eas in nobis non producere, quotiescunque ipsis indigemus. p. 213
- CAP. V. Mentem nec essentiam nec existentiam rerum objectarum videre, suas perfectiones considerando. Deum solum res objectas hoc modo percipere. p. 215
- CAP. VI. Nos omnia in Deo videre. p. 217
- CAP. VII. I. Quatuor diversæ rationes res videndi. II. Quomodo Deus cognoscitur. III. Quomodo corpora cognoscuntur. IV. Quomodo unusquisque mentem suam cognoscit. v. Quomodo mentes cæterorum hominum, & puri spiritus cognoscuntur. p. 223
- CAP. VIII. I. Præsentia intima ideæ vagæ entis in genere est causa omnium abstractionum inordinatarum mentis, & plerarumque chimerarum Philosophiæ vulgaris, quæ impediunt quominus multi Philosophi agnoscant soliditatem verorum principiorum Physices. II. Exemplum de essentiâ materiæ. p. 227
- CAP. IX. I. Ultima causa generalis errorum nostrorum. II. Ideas rerum non semper præsentis adesse menti statim atque id optamus. III. Omnem mentem finitam obnoxiam esse errori, & cur res sic se habeat. IV. Judicandum non esse nihil existere præter corpora aut spiritus, nec judicandum esse Deum esse Spiritum, ut alios concipimus spiritus. p. 235
- CAP. X. Exempla quorundam errorum Physices in quos labuntur homines, quia supponunt res quæ naturâ suâ, qualitatibus, extensione, duratione, & proportione differunt, esse similes in hisce omnibus. p. 239
- CAP. XI. Exempla nonnullorum errorum circa Ethicam ab eodem principio pendentium. p. 245  
Concluduntur tres primi Libri. p. 247

## LIBER QUARTUS.

### *De Inclinationibus seu motibus naturalibus mentis.*

- CAPUT I. I. Spiritus debent habere inclinationes, quemadmodum corpora habent motus. II. Deus nullum dat motum spiritibus nisi propter se. III. Spiritus non feruntur versùs bona specialia, nisi per motum quo versùs bonum in genere feruntur. IV. Origo præcipuarum inclinationum naturalium in quas dividetur quartus hic Liber. p. 251
- CAP. II. I. Inclinatione versùs bonum in genere est principium inquietudinis voluntatis nostræ, II. Ideoque negligentiae nostræ & ignorantiae. III. Pri-



## INDEX CAPITUM. XLVII

- iii. Primum exemplum. Ethica plerisque hominibus parùm nota.  
 iv. Secundum exemplum. Immortalitas animæ a nonnullis impugnat.  
 v. Ignorantiam nostram esse maximam circa res abstractas, aut quæ parùm habent relationis ad nos. p. 255
- CAP. III. i. Curiositas est naturalis & necessaria. ii. Tres leges quibus illa possit intra justos limites contineri. iii. Prima illarum legum explicatur. p. 264
- CAP. IV. Idem ulterius tractatur argumentum. i. Secunda curiositatis lex explicatur. ii. Tertia explicatur. p. 269
- CAP. V. i. De secundâ inclinatione naturali, aut de amore sui. ii. Dividitur philautia in amorem *τῷ* esse & *τῷ* bene esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis. p. 278
- CAP. VI. i. De inclinatione quâ versùs id omne ferimur quod nos supra cæteros extollit. ii. De falsis nonnullorum piorum judiciis. iii. De falsis superstitiosorum & hypocritarum judiciis. iv. De Voëtio Cartesii adversario. p. 275
- CAP. VII. De scientiæ desiderio ac Doctorum falsò sic dictorum judiciis. p. 279
- CAP. VIII. i. De desiderio, quò homines docti videri cupiunt. ii. De falsorum Doctorum colloquiis. iii. De ipsorum operibus. p. 283
- CAP. IX. Quomodò propensio hominum versùs dignitates & divitias eos in errorem injiciat. p. 289
- CAP. X. De voluptatis Amore relatè ad Ethicam. i. Voluptas fugienda est, licet nos efficiat felices, ii. Voluptas nos ad sensibilibus bonorum amorem ferre non debet. p. 290
- CAP. XI. De amore voluptatis relatè ad scientias speculativas. i. Quomodo amor ille nos a veritate retegendâ arceat. ii. Exempla afferuntur. iii. Illustratur Argumentum Cartesii ad demonstrandam Dei existentiam. p. 295
- CAP. XII. De effectibus quos bonorum & malorum futurorum cogitatio in mente edere potest. p. 310
- CAP. XIII. i. De tertiâ propensione naturali, nempe de amicitia quâ cæteros homines prosequimur. ii. Ista propensio eò nos fert ut amicorum nostrorum cogitationes probemus, eosque falsis laudibus decipiamus. p. 314

## LIBER QUINTUS.

### *De Affectibus.*

- CAPUT I. De naturâ & origine affectuum in genere. p. 322
- CAP. II. De conjunctione mentis cum rebus sensibilibus, vel de vi & extensione affectuum in genere. p. 326
- CAP. III.



## XLVIII INDEX CAPITUM.

- CAP. III. Explicatio peculiaris omnium mutationum quæ menti & corpori a perturbationibus seu affectibus afferuntur. p. 331
- CAP. IV. Voluptates & motus affectuum nos in errorem aspectu boni injicere, ipsis indefinenter esse resistendum. Ratio impugnandi libertinismum. p. 342
- CAP. V. Perfectionem mentis consistere in ipsius conjunctione cum Deo per cognitionem veritatis & per amorem virtutis, & contra ejus imperfectionem oriri ex corporis in ipsam imperio, propter inordinationem ipsius sensuum & affectuum. p. 348
- CAP. VI. De erroribus generalioribus affectuum. Quædam exempla specialia afferuntur. p. 354
- CAP. VII. De affectibus speciatim, & primò de admiratione & pravis ipsius effectibus. p. 358
- CAP. VIII. Tractatur eadem materia. De recto admirationis & cæterorum affectuum usu. p. 370
- CAP. IX. De amore & odio, variisque utriusque speciebus. p. 376
- CAP. X. De affectibus speciatim, & in genere de ratione illos explicandi, & agnoscendi errores ex iis oriundos. p. 379
- CAP. XI. Omnes affectus sese excusare; & de judiciis in quæ nos conjiciunt ad sui excusationem. p. 384
- CAP. XII. Affectus qui versantur circa malum esse maximè periculosos & injustos, eosque qui cum minimâ conjunguntur cognitione esse omnium vividissimos & maximè sensibiles. p. 389







D E

# INQUISITIONE VERITATIS.



LIBER PRIMUS.

DE ERRORIBUS SENSUUM.

CAPUT PRIMUM.

I. *De naturâ & proprietatibus intellectûs.* II. *De naturâ & proprietatibus voluntatis, ubi quid sit libertas examinatur.*



**E**RROR humanæ miseriæ causâ est, ex hoc pessimo principio fluxere omnes quæ inter mortales irrepserunt ærumnæ. Is est scilicet, qui in mente nostrâ cuncta quibus conflictamur mala gignit fovétque; adeo ut frustra solidam veramque speres felicitatem, nisi prius errori vitando seriam dederis operam.

Homines ideo tantum esse miseros, quod peccatores sint & fontes, ab ipsâ Scripturâ sacrâ docemur; jam autem nec peccatores essent, nec fontes, nisi assensu quem errori præbent peccato sese manciparent.

*Malebrancijs de Inquisit. Verit.*

A

Si



Si igitur error humanæ miseriæ revera fons est, haud dubium est quin omni nisu ab eo sese expedire debeant homines. Nec certè ipsorum operam, quamquam plenum non sortiatur effectum, inutilem tamen & sterilem omnino fore existimandum est. Si erroris immunes non evadunt, saltem multò rariùs errabunt; si omnibus malis sese non subducunt, nonnulla saltem declinabunt: in hisce terris frustra erroris immunitatem ambias, ac frustra proinde perfectam speres beatitatem. At quia nostram ab infirmitatibus liberationem assiduis exoptamus votis, assiduo pariter labore in errorum depellendum nos incumbere decet. Quid plura? non secus ac mens nostra felicitatis, quam tamen non sperat, desiderio flagrat, sic tota eò tendere debet, ut errore fiat vacua, licèt id se consecuturam frustra speraret.

Porro veritatis indagacionem tantæ molis esse non est arbitrandum. Sat erit si modò oculos aperias, attentum te præbeas, legesque nonnullas, quas deinceps tradituri sumus, accuratè observes. Illa autem iudicii accuratio vix ullius est negotii; haudquaquam dura est servitus, ut eam nobis inducit imaginatio nostra; quin utilitates quæ inde ad nos redundant laborem nostrum non compensant modò, verùm etiam, longiùs exsuperant. Quid enim lucem mentibus affundere, veritatè que aperire potest, si hanc excipias accuracionem?

Sed, quid Lectoribus præparandis diutiùs immoramur, quos jam ad veritatis inquisitionem sponte accinctos supponere fatius est? Errorum nostrorum & causam & naturam jam investigemus: Cæterùm, cum methodus illa, quæ res ab origine suâ resumit, rebus in ordinem digerendis, dilucidius cognoscendis, nec non penitiùs introspectendis aptior cæteris videatur, illa est quam hoc in negotio amplectemur.

I.  
De naturâ  
& proprietatibus  
Intellectus.

Cum mens humana non sit materialis, sive extensa, illa procul dubio est substantia simplex, indivisibilis, omnisque compositionis partium expers. In eâ tamen duæ facultates, *intellectus* scilicet & *voluntas*, vulgò distingui solent, quas hîc ante omnia explicare operæ pretium est: quippe notiones sive ideæ quas sibi de hisce facultatibus hæcenus efformarunt Philosophi, minùs videntur claræ atque distinctæ.

Cum verò ejusmodi ideæ sint admodum abstractæ, nec sub imaginationem cadant, illas proprietatibus materiæ adumbrare haud abs re erit: illæ enim materiæ proprietates imaginationem faciliè ferientes, ideas hisce duobus vocabulis (*intellectus* scilicet, & *voluntas*) affingendas nobis magis distinctas & familiares efficient; dummodo id unum attendamus, has scilicet analogias inter spiritum & materiam, non perfectas esse, & in eum duntaxat usum ea inter se comparari, ut mens attentior facta, quæ mox dicturi sumus, facilius hauriat, percipiatque. Materiæ sive extensionis duæ sunt proprietates, seu mavis, facultates: altera est facultas recipiendi varias figuras, altera verò est mobilitas, sive facultas illa quâ moveri potest. Mens humana pariter duabus pollet facultatibus, quarum prior, quæ *intellectus* dicitur, est facultas recipiendi



cipiendi multas ideas, hoc est multa per percipiendi; posterior verò, est facultas multas recipiendi *inclinaciones*, seu multa volendi. Primò, quâ ratione prior materiæ facultas cum priori spiritûs facultate conveniat, explicemus.

Extensio duplicis generis figuras potest suscipere. Hæ nimirum externæ tantum sunt, ut rotunditas e. g. respectu corporis cujuslibet cerei, illæ verò internæ particularum singulis cerei illius corporis particulis propriæ. Figuræ enim corporis cerei a figuris particularum corporis ferrei haud dubiè valde differunt. *Figuram* igitur simpliciter voco eam quæ externa est, *configurationem* verò eam quæ interna est, & quæ omnibus quibus cera constat partibus necessaria est, ut sit id quod est.

De mente humanâ res non secus se habet; ipsius enim ideæ duplicis pariter sunt generis; Priores, quæ *perceptiones puræ* dicuntur, menti sunt, ut ita dicam, *superficiaræ*, eam nec penitus afficiunt, nec sensibilibiter *modificant*; talis est idea quadrati, idea domûs &c. Posteriores verò quæ vocantur *sensationes* eam vividius aut minùs vividè afficiunt. Tales sunt voluptas aut dolor, lux & colores, sapes, odores &c. Illas enim ideas nihil aliud esse præter quandam mentis humanæ *schesin*, sive quandam ipsius existendi modum infra sumus demonstraturi, nec aliam ob causam istas ideas appellavimus *modificationes* mentis.

Nec diffiteor mentis *inclinaciones* sive *propensiones* eâdem de causâ dici posse ipsius mentis *modificationes*; cum enim voluntatis inclinatio sive *propensio* sit certa quædam mentis *schesis*, sanè mentis *modificatio* adprimè dici posset; non secus ac motus corporum, qui nihil aliud est præter quandam eorundem corporum *schesin*, dici posset materiæ *modificatio*. *Inclinaciones* tamen voluntatis, motûsque materiæ, *modificationum* nomine non designabo; hæc, nimirum, adductus causâ, quòd istæ *inclinaciones*, istique motus ad aliquid externum plerumque respiciant, *inclinaciones* scilicet ad bonum, motûsque ad aliquod corpus externum. At figurarum, & *configurationum* corporis, nec non mentis *sensationum* nulla prorsus est necessaria relatio ad res externas. Quemadmodum enim illa figura tum est rotunda, cum singulæ partes externæ corporis alicujus pari distantia ab illâ parte discedunt quæ centrum dicitur, sine ulla ad corpora externa relatione; sic singulæ *sensationes* quibus affici potest mens nostra subsistere valerent, quamquam nihil externum existeret. Ipsarum existentia nullam, ut alibi sumus demonstraturi, necessariam cum corporibus ex quibus oriri videntur analogiam infert: adeo ut cum illæ, propriè loquendo, nihil aliud sint præter mentem certâ quâdam ratione dispositam seu *modificatam*, *modificationes* animæ ritè dici possint; his igitur prædictis, jam liceat illas *sensationes*, aperiendæ mentis causâ, *modificationes* nuncupare.

Ac primò quidem facultas illa, quâ materia variis *figuris* & *configurationibus* suscipiendis idonea est, cum illâ facultate, quâ mens pariter variis recipiendis ideis seu *modificationibus* apta nata est, in eo conve-



nit, quòd utraque facultas sive illa sit, quâ materia varias recipit figuras & configurationes, sive illa sit, quâ mens varias recipit ideas & modificationes, merè passiva sit, nullâque prorsus includat actionem; hanc autem mentis facultatem, seu capacitatem hæc omnia recipiendi *intellectum* voco.

Unde legitimè concludas intellectum solum percipere aut noscere, quia scilicet solus rerum ideas recipit; rem enim aliquam percipere, & ideam quæ eam rem repræsentat excipere, menti res est una eadêmeque. Præterea, intellectus quoque est qui mentis modificationes percipit; nihil aliud enim per intellectum designo præter facultatem illam mentis passivam quâ mens ipsa varias excipit modificationes; jam autem, illo existendi modo affici, & dolorem ipsum percipere, menti perinde est, dolore enim non afficitur, nisi quatenus dolorem percipit. Unde colligere pronum est intellectum res absentes, ut ita loquar, imaginari, præsentis sentire, ac proinde, sensus & imaginationem nihil aliud esse, ut infra fufius explicabimus, præter intellectum res percipientem per organa sensuum.

Quia autem dolor, sive aliud quodlibet id genus, sensuum ope percipitur, id revera ab ipsis sensibus percipi vulgus hominum dicere solet, nec satis novit quid per vocem *sensus* intelligat; existimat scilicet homini quandam esse facultatem a mente distinctam, quâ vel mens ipsa, vel corpus sentire valeat, organa enim sensuum res una nobiscum percipere autumat. Corpus, si hominibus ejusmodi fidem adhibeas, tantopere confert ad sensationes nostras, ut mens ab ipso separata, nihil quicquam amplius sentire possit. Sed quis non videat hanc opinionem præconcepto cuidam judicio originem suam debere? quia nempe, dum hîc versamur, nihil unquam sine sensuum organis sentimus, ut fufius infra patebit.

Ut vulgatis loquendi formulis aliquid indulgeamus, sensus ipsos sentire deinceps dicemus. Attamen per *sensus* vocem nihil aliud intelligimus præter passivam illam mentis facultatem, de quâ modò verba fecimus, hoc est intellectum aliquid ex naturæ instituto percipientem eorum occasione quæ in organis corporis peraguntur.

Altera analogia quæ inter utramque animæ scilicet & materiæ facultatem deprehenditur, hæc est; quemadmodum scilicet materia, figurâ mutatâ, non ipsa tamen mutatur, cera v. g. rotunda non minùs est cera quàm cera quadrata; Ita, mens ob diversas quas excipit ideas non immutatur, sive enim v. g. mens ideam quadrati, sive ideam rotundi alicujus corporis recipiat, nec propter quadratum, nec propter rotundum, memorabilem ullam patitur immutationem.

Præterea, quemadmodum materia jam tum non leviter immutari censenda est, cum scilicet ipsa configurationem particulis ceræ congruam deperdit, ut configurationem igni & fumo accommodatam recipiat, vel brevius, cum cera in ignem vel in fumum convertitur; sic mens  
non



non leviter mutari putanda est, cum in ipsâ mutatis modificationibus dolor voluptati succedit. Unde non obscure liquet ideas & sensationes mentis figuris & configurationibus materiæ non malè adumbrari.

Nec ideo rectam & accuratam esse comparationem putandum est; Eam non alio fine propono quàm ut hujus vocis *intellectus* notionem sensibus veluti subjiciam. Idearum naturam in tertio Libro exponam.

Posterior materiæ facultas ea est quâ multis excipiendis *motibus* apta est; Posterior pariter mentis facultas ea est quâ multas *inclinationes* sive propensiones recipere potest. Jam harúmce duarum facultatum instituitur comparatio.

II.  
De natura  
& proprietatibus voluntatis, & libertatis.

Omnium materiæ *motuum*, quemadmodum omnium naturalium mentis inclinationum eadem est causa universalis, nempe ipsius Author Naturæ; jam autem, ut omnes motus secundum lineam rectam naturâ suâ ducuntur, nisi a causis externis & peculiaribus determinati in lineas circulares agantur; sic, omnes quas a Deo accepimus inclinationes rectæ quidem sunt, & ad bonum verumque unice tenderent, nisi ipsius naturæ impulsus a causa quâdam peregrinâ in malos fines deflecteretur: hæc verò causa peregrina eadem est quæ omnia quibus afficimur mala invexit, inclinationesque nostras omnes corripit.

Quod ut nobis liquidò pateat, istud primò cognitum velim. Magnum scilicet est discrimen inter impressionem aut motum quo Author naturæ materiam afficit, & impressionem aut motum quo mentem indefinenter movet. Materia enim tota est actionis expers, nullâ pollet virtute qua motum suum vel sistere, vel determinare, vel huc aut illuc deflectere possit. Ipsius motus, ut jam dictum est, secundum lineam rectam semper agitur, quòd si quid hanc determinationem mutet, lineam circularem, quàm maximam potest, hoc est ad lineam rectam quàm proximè accedentem describit. Deus enim ipse motum ei imprimit, & ejus determinationem dirigit. Res verò secus se habet de voluntate; agit enim ex seipsâ aliquatenus, & inclinationem sive impressionem a Deo acceptam variè determinandi vim habet. Quamquam enim istius impressionis ita domina non est ut eam possit sistere, eam tamen ad nutum determinare, & hoc pacto, omnem quæ in inclinationibus ejus occurrit inordinationem, omnesque miseras assiduas & ineluctabiles peccati pedissequas afferre potest: per hoc igitur VOLUNTATIS vocabulum *impressionem illam seu motum designo, quo ad bonum indeterminatum & universale ferimur*: Per vocem LIBERTATIS nihil aliud intelligo præter vim illam quâ mens impressionem istam versus res nobis arridentes diducere potest, atque hoc pacto efficere, ut inclinationes nostræ naturales versus bonum universale, Deum intelligo qui solus est bonum generale, quia solus in se cuncta bona possidet, vago quodam & non determinato motu antea tendentes singulari cuiuspiam rei defixæ adhæreant.

Vide illustrationes.



Unde nullo negotio comperias inclinationes naturales voluntarias quidem esse, sed non tamen esse liberas, libertate illâ indifferentiæ quæ in eo consistit, quòd possim velle aut nolle, inclinationibus naturalibus reluctari, & diversum quid velle ab eo circa quod fuerunt. Quamvis enim voluntario & libero, hoc est non coacto, boni teneamur amore, quia nempe solâ voluntate amamus, & voluntatem unquam cogi pugnat; Bonum tamen non amamus liberè, libertate indifferentiæ, quia penes voluntatem non est beatitatem non optare.

At verò, & id sedulò animadvertendum est, mens nostra, si illam quatenus versùs bonum in genere impellitur, consideres, motum suum versùs bonum aliquod speciale determinare nequit, nisi mens eadem quatenus ideas percipiens considerata speciale istud bonum priùs cognoscat. Voluntas scilicet, ut cum vulgo loquar, est facultas cæca quæ circa res nullas ferri potest, nisi priùs ab intellectu sibi oblata fuerint. Adeo ut voluntas impressionem quâ versùs bonum fertur, & inclinationes suas naturales non possit variè determinare, nisi priùs intellectum jusserit aliquid speciale sibi repræsentare.

Vide illustrationes.

Vis ea igitur quâ voluntas inclinationes suas determinare valet, vim ferendi intellectum versùs ea quæ sibi arident, necessariò includit.

Rem uno exemplo sensibus objiciam. Dignitatem quamlibet, veluti bonum quod sperare potest, animo suo effingat aliquis; continuò ipsius voluntas vult illud bonum, eo ipso quod bonum est; impressio scilicet quâ mens indefinenter versùs bonum indeterminatum & universale movetur, ipsam versùs hanc dignitatem impellit. Cùm autem illa dignitas non sit universale bonum, nec a mente quæ nunquam clarè perspicit id quod actu non est, tanquam universale bonum clarâ & distinctâ perceptione judicetur, impressio quâ versùs bonum naturâ ferimur, isto bono singulari non omnino sistitur; menti adhuc superest motus quo ulterius progrediatur; amor quo versùs illam dignitatem fertur, cùm nec necessarius nec invictus sit, liber est. Hinc autem oritur illa libertas quòd, cùm hanc dignitatem omne bonum amabile in se complecti pro comperto non habeat, judicium & amorem suum suspensum cohibere possit. Deinde verò, ut in tertio Libro id sumus exposituri, quandoquidem mens humana cum ente universali, in quo residet omne bonum, arctissimè conjuncta sit, hujus conjunctionis ope, alia cogitare, ac proinde alia bona amare poterit. Denique mens humana ita comparata est ut singula bona possit inter se conferre, collata amare pro ipsorum præstantiâ, ac ea denique ad illud bonum referre, quod in se tanquam in scaturigine cætera bona complectitur, quòdque solum nostram amandi facultatem replere valens unice pariter dignum est quod amori nostro circumscribat limites.

Cognitio veri ab ipso boni amore non valdè diversâ se habet ratione. Impressione quâdam naturali, veritatis cognitione, non secus ac boni possessione gaudemus; neutra enim harum impressionum est invicta,



invicta, nisi evidentia, aut perfecta & adæquata accedat rei cognitio, adeo ut libertate nostrâ non minùs fruamur in falsis nostris judiciis, quàm in incompositis amoris nostri motibus, ut Capite sequenti sumus ostensuri.

C A P U T II.

- I. De judiciis & ratiociniis. II. Ipsa a voluntate pendere. III. Quomodo respectu illorum quisque debeat uti libertate suâ. IV. Duo proponuntur canones generales, quibus error & peccatum vitari possint. V. In canones istos animadvertiones quædam necessarie adduntur.

**E**X iis quæ Capite præcedenti dicta sunt colligere est 1. Intellectum nunquam judicare, sed duntaxat res percipere; sive judicia & ratiocinia, quatenus in intellectu sunt, nihil aliud esse præter puras perceptiones. 2. Voluntatem solam revera judicare, iis quæ sibi ab intellectu obijciuntur sponte & placidè acquiescendo, ipsamque proinde solam in errorem nos injicere. Sed hæc fusiori indigent explanatione.

I.  
De judiciis  
& ratiociniis.

Hoc igitur primum statuo; in intellectu videlicet simplicem perceptionem, judicium, & ratiocinium in eo duntaxat differre, 1. quòd rem simplicem sine ullâ relatione, simplici perceptione percipiat. 2. quòd idem intellectus relationes quæ sunt inter res plurimas judiciis perspiciat. 3. Denique, quòd relationes quæ sunt inter ipsas rerum relationes ratiociniis dignoscat; adeo ut omnes intellectuûs \* operationes mere sunt perceptiones.

\* Hic cum vulgo loquor. Suo loco observabitur has intellectûs operationes nihil aliud esse præter modificationes in mente excitatas idearum Divinarum efficaciam, & ex legibus conjunctionis mentis cum summa Ratione, & cum proprio corpore.

Cum verbi gratiâ bis duo vel 4. percipimus, tum *simplex fit perceptio*, cum verò judicamus bis duo esse 4. aut bis duo non esse 5. quid in hoc negotio agit intellectus? id unum certè, percipit nimirum relationem paritatis quæ intercedit inter bis duo & 4. & relationem imparitatis quæ intercedit inter bis 2. & 5. *judicium* igitur intellectûs nihil aliud est præter *perceptionem relationis quæ inter duas vel plurimas res deprehenditur*; sed *ratiocinium* est perceptio relationis quæ non inter duas plurimâsve res reperitur; eo casu enim esset judicium, sed est *perceptio relationis quæ inter duas plurimâsve relationes duarum vel plurimarum rerum deprehenditur*. Ita, cum sic concludo 4. minorem faciunt quantitatem quam 6. sed bis 2. sunt 4. ergo bis 2. minorem faciunt quantitatem quam 6. non solum percipio relationem imparitatis quæ est inter bis 2. & 6. tunc enim simplex esset judicium, sed hîc præterea percipio relationem imparitatis quæ est inter duas relationes, nempe inter relationem

tionem



tionem quam bis 2. habent ad 4. & relationem quæ est inter 4. & 6. quod verum est ratiocinium. Perceptio igitur unica est intellectus functio, voluntas verò sola iudicat & ratiocinatur iis quæ ab intellectu ipsi offeruntur voluntariè, ut dictum est, assentiendo.

II.  
Judicia &  
ratiocinia  
pendere à  
voluntate.

Interea tamen, ubi res quas apprehendimus evidentissimæ sunt, tum assensus noster non ampliùs liber videtur; unde eò facilè adducimur, ut credamus intellectum iudicare, non verò voluntatem.

Sed ut erroris nostri convincamur animadvertendum est, res nobis videri evidentissimas, postquam intellectus eas usquequaque, & juxta singulas relationes ex quibus iudicium ferre queat, expendit, non verò priùs; unde fit ut voluntas, cujus natura non patitur ut quicquam sine cognitione appetat, in intellectum agere ampliùs nequeat, hoc est nihil novi circa rem objectam ab ipso exigere possit, quia singulis partibus rei de quâ agitur ab ipso discussis, nihil ulterius cognoscendum desideratur: in iis igitur quæ ab intellectu proposita sunt conquiescere, nec illum ampliùs compellare & sollicitare necessariò tenetur voluntas. Hic autem plenus assensus propriè dicitur iudicium & ratiocinium. Itaque, cum iudicium illud circa res omnium evidentissimas non sit liberum libertate indifferentiæ, involuntarium etiam nobis videtur.

Sed quandiu in rebus quæ a nobis examini subjiuntur aliquid subobscuri superest, aut quandiu aliquid circa quæstionem agitatam, ut in rebus difficilibus & quasi multiformibus plerumque contingit, comperiendum desideratur, tum ab assensu superfedere licet, voluntasque intellectui ut rem ad examen denuo revocet, imperare potest, unde fit ut iudicia quæ circa res ejuscemodi ferimus voluntaria esse faciliùs credamus.

Plerique tamen Philosophi existimant ea etiam iudicia quæ circa res obscuras facimus non esse voluntaria, illamque actionem quâ mens assentitur veritati, quàmque *assensus* nomine designant, esse actionem intellectus contendunt; hanc scilicet distinguentes ab illâ actione quâ mens cum bono consentit, quam voluntati tribuunt, quàmque *consensus* nomine indignant. Sed ipsorum & distinctionis & erroris hæc est causa.

Ita scilicet sumus affecti, ut sapius veritates extra omnem dubitationis aleam positas videamus; Quocirca voluntas, ut mox explicuimus, in consensu quo hæc veritates amplectitur, non est indifferens. Sed res secus se habet de bonis, nullum enim bonum est circa cujus amorem aut fugam mens non incerta pendeat. Animi nostri motus, & nobis innata ad voluptates corporeas propensio, causas nobis suppeditant confusas quidem, sed efficaces tamen propter naturæ nostræ corruptionem, quibus languescimus, & ipsum Deum amore quodam indifferenti prosequimur. Itaque indifferentiæ & libertatis nostræ, dum Deum amamus, manifestâ convincimur experientiâ.

At vice versâ, usus libertatis nostræ in assensu quem veritati potissimum



simum evidentissimæ præbemus non pariter elucet. Et hinc continuò ipsum non esse voluntarium concludimus. Quasi ut voluntariæ essent actiones, eas esse indifferentes oporteret; nonne beati in cœlis Deum amore maximè voluntario complectuntur, licèt ab eo amore nullâ dimoveri possint causâ? Nulla sane ratio assensum cohibere potest quem huic propositioni bis 2. sunt 4. præbeo, adeo ut illum necessariò, sed voluntariè tamen præbere teneat.

Sed ut facilius dignoscatur consensus quo voluntas veritatem a consensu quo eadem bonitatem amplectitur, discrimen quod inter veritatem & bonitatem, his vocibus sensu vulgari, & cum relatione ad nos acceptis, intercedat, sedulo stabiendum est. Illud autem discrimen in eo positum est, quòd bonitas nos respiciat & afficiat, veritas vero nusquam. Veritas nihil aliud est præter quandam convenientiam inter duas vel plurimas res, bonitas vero in eâ convenientiâ consistit quâ res nobis congruunt. Unde fit ut respectu veri unica sit voluntatis actio, approbatio scilicet sive assensus, cum analogia inter res quilibet repræsentatur. Sed respectu boni duæ sunt ejusdem voluntatis actiones, quarum prior est consensus ille quo rem nobis convenire agnoscit, & approbat, posterior verò est amor seu motus versus illam rem; quæ actiones, etsi vulgò confundantur, longè tamen differunt. Quis enim rei assensum simpliciter præbere, & rem ab intellectu propositam persequi, perinde esse existimet? Sæpenumero certe contingit ut rebus quas timemus & fugimus assentiamur tamen.

*Geometra  
non amant  
veritatem  
sed veritatis  
cognitio-  
nem, ut  
vulgò lo-  
quantur.*

Quibus æquâ judicii lance perpendis nemo non faciliè comperiet voluntatem semper assentiri, non rebus quidem, nisi ipsi arrideant, sed saltem rerum repræsentationi. Et meritò quidem. Cùm enim res ita evidentes sunt, ut nihil evidentius, nullâque amplius in iis analogia seu convenientia ab intellectu cognoscenda desideretur, cur non acquiesceret voluntas? Illâ igitur intellectus operâ circa hanc rem non amplius indigens, sese exagitare & macerare desinit, & sine ullo erroris periculo aut suspitione tranquilla tutâque acquiescit.

Cùm inter omnes in confesso sit temeraria judicia totidem esse peccata, atque omne peccatum voluntarium esse; in confesso itidem esse debet voluntatem in eo casu judicare, confusis & compositis intellectus perceptionibus acquiescendo. Verùm, ut quod res est dicamus, hæc quæstio, an solus judicet & ratiocinetur intellectus, satis inutilis, & mera de voce quæstio videtur. Dico, an solus intellectus, eam enim in judiciis nostris partem habet quam ipsi assignavi, res nempe antè noscenda est, aut sentienda, quàm de eâ judicetur, aut ei consentiatur. Cæterum, cùm intellectus & voluntas nihil aliud sint quàm mens ipsa, ea est, propriè loquendo, quæ percipit, judicat, ratiocinatur, vult, &c. Huic voci, intellectus scilicet, notionem subjeci facultatis passivæ, seu potentiae ideas accipiendi, propter rationes quæ postea legentur.

Verùm præcipue animadvertendum est, eum in quo versamur statum non

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

B

nisi



nisi imperfectam nobis concedere rerum cognitionem; adeo ut illa libertas indifferentiæ, quâ assensum nostrum cohibemus, nobis plenè necessaria sit.

Quæ necessitas ut a nobis agnoscat, attendendum est nos in verum & bonum naturali quodam motu propendere. Cum autem voluntas non feratur nisi in res ab intellectu aliquantum cognitæ, in id certè necessariò ferri debet quod vero & bono simile est; sed quia quicquid vero & bono simile est non reipsa tale est, non dubium quin in perpetuos penè errores incideret, si non libera esset, & in id quodcumque vero & bono simile est necessario & ineluctabili ferretur impetu. Unde ipsius errores summo conditori a quo existentiam suam accepit tribui non immeritò viderentur.

III.  
Quomodo  
debeamus,  
ui libertate  
nostra ad  
vitandum  
errorem.

Libertate igitur a Deo donati sumus, ut misâ verisimilitudine, & in solâ veritate acquiescentes, errorem poenâmque ipsum pede non claudendo sequentem, vitemus, ut nempe animum nostrum ad assiduum rerum examen indefinenter applicemus, donec, iis a capite ad calcem expensis & enucleatis, nihil ulterius comperendum desideretur. Veritatem enim ab evidentiâ separatam vix unquam reperias. Jam autem evidentiâ in eo consistit, ut singulas partes & relationes quibus de re quâpiam judicari tutò possit clarè & distinctè percipias.

Si igitur *libertate nostrâ quantum possumus* utamur, eâ ritè quidem utemur; hoc est, si nulli unquam rei, nisi internis rationis nostræ oburgationibus moniti & adacti, assentiamur.

Qui falsis veritatis speciebus & indiciis fidem incautus adhibet sese etiam reluctantem Deo mancipat; Qui verò tacitis rationis admonitionibus quibus, dum assensum denegamus, ad assensum tamen incitatur candidè subscribit, is voci veritatis æternæ nos intus compellenti auscultat. Jam igitur super his adsunt tibi duo canones in scientiis theoreticis & in ipsis moralibus per quàm necessarii, cum omnis humanæ scientiæ fundamentum haberi meritò possint.

IV.  
Generales  
canones ad  
vitandum  
errorem, &  
peccatum.

Prior qui ad scientias pertinet, hic est. *Ne assensum plenum unquam præbeas, nisi propositionibus adeo evidenter veris, ut illum sine interno quodam cruciatu, tacitòque rationis murmure non possis denegare*: hoc est, nisi clarè intelligas te libertate tuâ perperam usurum, ipsiusque libertatis imperium æquo latius producturum esse, si assensum tuum denegares.

Posterior qui in moralibus usu venit, hic est. *Si ab alicujus boni amore sine conscientiæ sollicitudine possis abstinere, illud bonum ne amato absolute*. Unde sequitur, Deum solum amandum esse absolute & sine ullo respectu, quandoquidem ipse solus est a cujus amore sine ejusmodi conscientiæ cruciatu abstinere non possumus; evidenter scil. intelligeremus nos iniquè agere, si Deum ratione aut revelatione semel cognitum non amaremus.

V.  
Animad-  
versiones

Sed hîc animadvertendum est nos a naturâ ita esse comparatos, ut rebus quæ nobis videntur verosimillimæ vix ac ne vix quidem fidem denegare.



denegare possimus, piget nos reluctari, adeo ut, nisi cautè attendamus, magnum immineat periculum ne iis assentiamur, ideòque in errorum incidamus; raro enim admodum contingit ut veritas cum verisimilitudine planè consentiat. Atque hanc ob causam in hisce canonibus disertis verbis monui nunquam assentiendum esse, si non evidentissime videas te, nisi assentiaris, perperam uti libertate tuà.

Quamvis autem assensum nostrum verisimilitudini non facilè denegemus, si tamen seriò attendamus, an revera evidens assentiendi necessitas incumbat, contrarium proculdubio comperiemus. Si enim verisimilitudo sensuum impressionibus nixa est, quæ sanè verosimilitudo immeritò sic appellatur, tum ab assensu non sine magno negotio temperabis; sed unde tam proclivis assensus? ex aliquo scilicet motu aut affectu generali quo in res sensibiles, ut infra patebit, propendemus.

Sed si verisimilitudo ex aliquà cum vero conformitate oritur, ut cognitiones verisimiles veræ esse solent certo quodam sensu acceptæ; tum si quis in semetipsum oculos convertat, in duo se inclinare deprehendet, primò in assensum, deinde in iterandum examen; nunquam tamen ita persuadebitur, ut non possit sine malitiæ conscientia suam cohibere assensum.

Istæ autem duæ inclinationes quas verisimilium respectu in nobis experimur sunt per quàm legitimæ. Possumus enim & debemus assensum nostrum rebus verisimilibus præbere quatenus scilicet imaginem veritatis referunt; ille tamen assensus non debet esse plenus, ut in canone scriptum est; priùs enim res undequaque dispicienda est, ut naturam ipsius penitus introspectientes verum a falso dignoscere, & tunc plene, si id exigit evidentiâ, assentiri queamus.

In id igitur assidue incumbendum est ut verum a falso, nosmet ipsos, ut dixi, discutiendo, internoscere assuescamus. Hæc enim negligentia causa est cur duabus rebus tantoperè diversis eodem tunc modo afficiamur. Vix enim credibile est quanti sit momenti libertate suâ bene uti, assensum & amorem cohibendo donec efficacissima vox authoris naturæ quam modo rationis obmurmurationum, & conscientia sollicitudinum nomine designavi, exaudiatur.

In hoc recto libertatis usu constituta sunt omnia creatorum spirituum, tum Angelorum, tum hominum officia; adeo ut si vanitatis & mendacii imperio sese subducentes libertate suâ appositè utantur; omnem, quam ipsorum fert natura, perfectionem sperare non immeritò possint: Dummodo interea intellectum suum otiosum jacere non sinant sed perpetuò exercent, ad novas cognitiones excitent, ipsiusque capacitatem assidue & legitimis meditationibus adaugeant.

Ut enim mens perfectionem assequatur, rectè uti libertate, assensum suum perpetuò cohibendo, non sufficit; illorum hominum instar, qui nihil scire, atque de omnibus dubitare gloriantur. Nec etiam omnibus est assentiendum, ut alii non pauci, quos, dum omnia cognoscere sat-



agunt, quicquam ignorare pudet. Sed intellectu ita utendum est frequentibus meditationibus, ut sapius rebus ab ipso propositis tuto assentiri possit voluntas.

## CAPUT III.

*I. Responsiones ad Objectiones quasdam. II. In ea quæ de evidentia necessitate dicta sunt observationes.*

**N**on pauci quidem, ut subodorari primum est, prioris nostri canonis praxim iniquo ferent animo. Illi potissimum scioli vix se continebunt quos, dum rerum omnium scientiam sibi arrogant, nihil tamen non latet, quique, dum res facillimas ignorant, de difficillimis quibusque deblaterare audent.

Illos audire jam mihi videor cum Aristotele dicentes in folis Mathematicis scientiis perfectam esse quærendam certitudinem. In Moralibus verò & Physicis sufficere si probabilitas adsit. Cartesium delirasse, cum Physicam ad Geometriæ modum tractavit, nec mirum esse si oleum & operam tam miserè perdiderit. Homines ad naturæ cognitionem frustra adspirare, arcanam ipsius compagem intellectum humanum fugere, & innumera alia quæ magnâ pompâ nobis propinant, adductâ secum ingenti Authorum cohorte, quorum autoritate placita suffulciunt, ipsorum nomina & sententias ambitiosè laudantes.

Verùm illud genus hominum liceat mihi compellare: quorsum tot verba de rebus sibi, ex ipsorum confesso, incognitis? Sistant, quæso, insanas vanitatis suæ agitationes; & de rebus, circa quas suam non diffitentur imperitiam, prætumida conflare volumina desinant.

Exuant isti homines præjudicatas opiniones suas, & rem feridè examinent, certè nullo negotio comperient horum alterutrum omnino necessarium esse, aut sæpe sæpius errare, aut plenum nunquam nisi rebus evidentissimis assensum dare. Unde fit ut veritas sit perpetua Geometriæ comes, nisi ex hujusce legis observatione? certè, errores quorundam circa quadraturam circuli, & cubi duplicationem, non aliunde manare potuerunt quàm ex præcipiti quodam & pervicaci judicio quo decepti veritatem a verisimilitudine non satis distinxere.

Ab ipsis etiam accipere velim, cur vulgata Philosophia tot falsis & indigestis scateat; nonne id inde oritur quòd Philosophi istius commatis famæ & utilitati duntaxat velificantes verisimilitudinem, quam in procinctu habuerunt, ipsi veritati anteposuerunt? Quid ille est opinionum circa rem eandem numerus prope innumerabilis, si non est errorum fons uberrimus? Permultos tamen discipulos in illorum magistrorum verba, quorum  
sensum



sepsum ipsi non attingunt, serviliter jurantes, iisdem etiam erroribus impediri videas.

Non pauci quidem inter illos reperiuntur, qui viginti vel triginta annis miserè consumptis, se ex tam variis & assiduis lucubrationibus nihil novi hausisse tandem agnoscunt, sed eos id palam profiteri pudet. Nullam dari scientiam suâ primùm ratione & methodo probare nituntur, quo factò lubenter ignorantiam suam fatentur, quia tunc sperant neminem eorum ignorantiam irrisurum. Quis tamen a cachinno temperaret, si ipsos incautos eò adduceret ut progressus suos in isto tam egregio eruditionis genere enarrarent, aut si ex subita quâdam ingenii alacritate, labores in hoc studium exantlatos graphicè & sigillatim nobis depingerent?

Verùm licèt hæc docta & sublimis incitiam ludibrium debeat, fatius erit tamen si ipsi ignoscentes nos illorum infortunii misereat, qui tot annos incassum emensi nihil aliud didicerunt quàm hoc falsum, omnique cognitioni & veritati adversum dogma, *nullius rei dari posse scientiam.*

Si igitur lex illa quam modo constitui tantæ est, uti vidimus, ad veritatis inquisitionem necessitatis, ne quis illam torvis conspiciat oculis. Quibus vero ab ipsâ abstinere placuerit, ne saltem celebri Authori qualis est Cartesius, id vitio vertant quòd istam viam insiterit, aut si malint, insistere conatus fuerit. Si virum, de quo adeo temere opinantur, rectè nossent, non eum tam inverecundè damnarent. Sed quid mirum? Ipsius lucubrationes fabularum illarum instar quæ quòdlibet, dum placeat, mentiuntur, animi gratiâ tantùm legunt. Cum illo igitur Philosopho meditentur, apud semetipsos adhuc deprehendent quasdam notiones, & quædam veritatum quas ipse docet semina, quæ, ut ut immane est falsæ eorum eruditionis pondus, sese fortè evolvant.

Magistrum habemus nos intus docentem qui, sepositâ clarissimorum Philosophorum auctoritate, a nobis vult solus auscultari. Lumen suum liberaliter dispergit, quid igitur cessamus illum compellere? Sed quomodo a nobis se compellari gaudet? assiduâ scilicet meditatione, & attentione non interruptâ. Nobis verò internâ quâdam convictione, & tacitis quibus in pertinaces & incredulos animadvertit objurgationibus responderet.

Eâ mente, eoque consilio legenda sunt hominum placita ut ab ipsis nos erudiri non speremus. Ad lumen mundi oculi nostri sunt convertendi, ut luminis sui nos faciat participes. Si consultum deneget, malè profectò a nobis consultum fuerit.

Sive igitur Aristotelem sive Cartesium legas, calculum tuum neutri protinus adjicito, sed, ut ipsi meditati sunt, aut saltem meditari debuerunt, attentissimus meditare, deinde voci nostri omnium magistri morigerus obtempera, nec convictioni internæ, motibusque quos excitat meditatio relucteris.



Cuilibet sic præparato licet de Authoribus judicare; discussis ad hunc modum Philosophiæ tum Cartesii tum Aristotelis dogmatibus, alter necessariò rejicitur, alter verò admittitur: methodum ejus intelligo, generalissimæque dogmata. De posteriori nemo sanè non comperiet ex ipsius placitis, quatenus saltem ipsi peculiarìa sunt, nullum unquam naturæ phænomenum explicari posse; Ut vel ex eo patet, quòd a bis mille annis a doctissimis & plerisque orbis terrarum locis frustra edificata fuerint ejus dogmata. At posteriorem in abditissima quæque, & quæ oculorum aciem maximè fugiunt, penetrasse, & ad omnes veritates supra mentem finitam non transcendentem, viam patefecisse tutissimam confidenter asserere, nemo dubitabit.

Sed quid horumce duorum Philosophorum opinionibus immoramur? nil sane humani ab ipsis alienum est. Ne igitur ægrè ferant Aristotelici, si per tot sæcula in tenebris versati, nihilque progressi res nostris tandem oculis usurpare velimus, jam satis superque cæcos egimus, nos oculis pollere tandem aliquando recordari par est.

Pro certo igitur constat illam regulam quæ nos *plenè assentiri nisi rebus evidentissimis* vetat, in veritate inquirendâ esse omnium maximè necessariam, nihilque admittamus quod non eâ quam exigit canon noster evidentiâ perspiciatur; nisi ita simus affecti, præconceptas nostras opiniones non exuemus; nec veritatis cognitionem adipisci possumus, nisi hisce præjudicatis opinionibus nuntium remittamus, quippe mentem, nisi jam sit pura, lux veritatis subire nequit; *sapientia prima est stultitiâ caruisse.*

**II.** Antequam huic Capiti finem imponam tria observanda sunt. **I.** Me hîc non agere de rebus fidem spectantibus quas evidentiâ non comitatur quemadmodum scientias naturales; nimirum res non nisi per ideas nobis impressas percipere possumus, Deus autem eas tantum in nobis ideas creavit quæ necessariæ fuerunt, ut secundum ordinem naturalem a se præstitutum ageremus; adeò ut mirum videri non debeat quòd fidei mysteria, quæ in ordine quodam supernaturali posita sunt a nobis evidenter non possint cognosci, \* quia videlicet, ne vel eorum ideas habemus. Mentis enim nostræ, vi decreti illius generalis quibus singulæ notiones necessariæ nobis suppetunt, creatæ sunt; mysteria verò fidei ordine tantum gratiæ qui, secundum nostrum concipiendi modum, ordine naturæ posterior est comparata sunt.

In ea quæ de evidentiâ necessitate dicta sunt observationes.

\* Vide illustrationes.

Mysteria igitur fidei a rebus naturalibus sedulo distinguenda sunt. Fidei & evidentiæ pari summissione cedendum est; at in rebus fidem spectantibus non eorum, antequam credantur, quærenda est evidentiâ; sicut in rebus naturæ fides seu auctoritas Philosophorum nihili faciendâ est; uno verbo fidelis cæcus esse debet, Philosophus verò oculatus & perspicax, quia certa est Divina auctoritas, errori verò obnoxii omnes homines.

Sunt quidem, præter veritates fidei, quædam aliæ veritates circa quas



quas demonstrationes invictas postulare foret iniquum. His accenseo gesta quæ in historiis memorantur, & cætera quæ ab hominum voluntate pendent. Veritates enim aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes. Necessarias voco veritates immutabiles naturâ suâ, & immotâ Dei voluntate constitutas. Cæteræ sunt veritates contingentes. Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, maximâ ex parte, veritates necessarias complectuntur. Historia verò, Grammatica, Jus cuilibet loco proprium, sive ritus, & multa hujuscemodi ab instabili hominum voluntate dependentia veritates contingentes duntaxat continent.

Observatio igitur nostri canonis accurata in veritatibus necessariis postulatur quarum cognitio merito dici potest scientia; in historiâ verò quæ est rerum contingentium, si adsit maxima verisimilitudo, ea sufficiet. Quippe linguarum, rituum, variarum in quas vulgus Philosophorum scinditur opinionum cognitionem, quia hæc omnia solius ope memoriæ, nullâ adhibitâ certitudine aut evidentia adepti sumus, Historiæ nomine non absurdè indigitamus.

Quod 2. observatum optamus illud est. In Ethicâ scilicet, in Politicâ, in Medicinâ, & in cæteris scientiis practicis, in solâ verisimilitudine acquiescere neesse est. Non semper quidem, sed saltem ad tempus. Non quòd illa verisimilitudo nihil menti incompertum relinquat, sed quia instat opus. In hisce enim rebus, si plenam certitudinem operariis, tempus agendi præterfluit, & nil promotes. Sed quamvis agendi necessitas incumbat, de rerum eventu tamen dubius hæere debet animus, atque tales in his scientiis progressus facere enitendum est, ut errores agnoscendo certiùs agas cum agendi tempus denuo recurret; ita quemlibet studentem, mentisque suæ perfectioni consulentem agere decet.

3. Denique, non omnino aspernanda est verisimilitudo; plures enim simul junctæ evidentissimis demonstrationibus sæpenumero æquipollent; hujuscæ veritatis in Physicis & Moralibus innumera suppetunt exempla; adeo ut, si rem quampiam demonstratione probare non possis, multis congestis verisimilitudinibus, quod aliter fieri non posset, hoc pacto confeceris.

Dura quidem illa lex est, non inficior. Non pauci nunquam ratiocinari optabunt magis quàm his cancellis includi inter ratiocinandum: his tam incommodis cautionibus adhibitis multorum celeritas moram patietur. Sed quantò, fodes, tutiùs ibis, si illam observes legem! Nonne præstat lentè festinare, quàm præproperâ quâdam diligentia eò adduci, ut ex itinere revertaris, eadèmqve vestigia denuo premas. Certè si Cartesius intra triginta annorum spatium innumeras veritates cæteris Philosophis incompertas ex hoc præscripto agens veluti e puteo eruit, quid obstat quò minùs multi iisdem insistentes vestigiis pleraque ad vitam feliciter degendam necessaria detegant? quantum saltem beatitudinis in terrâ cui Deus maledixit sperari potest.



## CAPUT IV.

I. *De causis erroris occasionalibus, & quidem esse quinque præcipuas.* II. *Totius hujusce operis generale propositum, & speciale hujusce primi libri.*

**P**erversum libertatis usum, acrem & præcipientem voluntatis versùs verisimilitudines propensionem, & ejusdem voluntatis consensum intellectùs perceptione longiùs patentem causas esse erroris superiori capite vidimus. Nec certè res fusiori indiget demonstratione, quippe si de rebus clarè perspectis tantùm judicaretur, nullus esset erroris locus.

I. *De causis occasionalibus errorum dari 5. præcipuas.* Sed quamvis libertatis abusus unica sit, propriè loquendo, errorum nostrorum causa, multæ tamen insunt nobis facultates quæ errorum nostrorum causæ, non efficientes quidem, sed saltem occasionales merito dici possunt. Singuli nostri percipiendi modi totidem nobis supeditant errandi occasiones. Cùm enim falsa nostra judicia ex duobus, ex consensu scilicet voluntatis, & intellectùs perceptione oriuntur, omnes nostros percipiendi modos nobis aliquam errandi occasionem præbere non obscurum est, quandoquidem scilicet ad assensus temerarios nos adducere possunt.

Cum autem summopere necesse sit mentem infirmitatum & errorum commonere atque convincere, ut ab iis emergendi legitimo commota desiderio præjudiciis suis sese minori expediat negotio, accuratam percipiendi modorum divisionem tradere aggressuri sumus, quæ deinceps veluti totidem errorum quibus mens nostra obnoxia est, capite habenda erunt.

Trifariam res percipere potest mens nostra, *intellectu scilicet puro, imaginatione, & sensibus.*

*Intellectu puro* mens percipit spiritualia, universalia, notiones communes, perfectionis & entis summè perfecti ideas, & in genere omnes suas cogitationes quas internâ circa seipsam meditatione cognoscit. Quædam etiam materialia, ut extensionem cum ipsius proprietatibus percipit *intellectu puro*. Solus enim intellectus purus circulum & quadratum perfectum, figuram chiliagonam, & similia apprehendit. Ejusmodi perceptiones, puræ intellectiones, aut puræ perceptiones dicuntur, quia nimirum hæc sine phantasmatibus sive imaginibus in cerebro impressis percipit.

*Imaginatione* res materiales tantùm mens percipit. Cùm eas licet non actu præsentem ut præsentem tamen exhibet sibi, phantasmatibus sive  
imagi-



imaginibus ipsarum in cerebro efformatis. Hoc pacto quaslibet figuras, circulum, triangulum, vultum, equum, urbes, campos, sive eas jam viderimus, sive non, imaginamur; hujuscemodi perceptiones dici possunt *imaginationes*, quia mens hæc sibi effingit eorum imagines in cerebro formando: quoniam autem spiritualium imagines non possunt exprimi, hinc sequitur mentem ea non posse imaginari. Quod sedulò observandum est.

*Sensibus* denique res sensibiles & crassas mens percipit, cum præsentia suâ in organa externa corporis agunt, eaque impressio ad cerebrum usque communicatur, vel cum, etsi præsentis non sint eæ res objectæ, finalem in cerebro tamen impressionem faciunt cursu suo spiritus animales, sic planities, saxa oculis suis objecta cernit, ferri duritiem, gladii aciem & similia perferunt. Ejusmodi autem perceptiones, *sensus*, sive *sensationes* dicuntur.

Mens igitur hæc tribus duntaxat modis res percipit. Quod facile quisque videbit, si modò attendat res omnes quas percipimus vel esse spirituales vel materiales. Si spirituales sint, tum intellectus purus eas solus percipere potest. Si sint materiales, certè aut aderunt aut aberunt. Si abfuerint, mens eas solâ imaginatione percipere solet; si verò adfuerint, mens eas percipere potest impressionibus quas in sensus nostros agunt, eos feriendo. Jam igitur mentem trifariam tantum, *intellectu scilicet puro, imaginatione, & sensibus* res percipere pro certo habeatur.

Ad has igitur tres facultates, velut ad capita quædam, errores hominum & ipsorum errorum causas referemus, vix enim, præ tanto errorum numero, aliâ ratione vitari possent confusio.

Verùm *inclinationes* sive propensiones nostræ, & affectus sive motus incompositi vehementer etiam in nos agunt; mentis nostræ aciem falso quodam fulgore perstringunt, illam tenebris circumfusam opprimunt. Itaque inclinationes nostræ, & affectus sive motus incompositi nos in errores innumeros conjiciunt, si nosmetipsos ejusmodi falsis splendoribus deludi sinamus. Inclinationes igitur nostræ, nostrique motus seu affectus, ut errorum & delictorum nostrorum fontes haberi debent, non secus ac tres mentis facultates de quibus supra. Et erroribus sensuum, imaginationis ac intellectus puri, accedere possunt errores affectuum & inclinationum naturalium. Itaque omnes hominum errores ipsorumque causæ ad quinque capita referri possunt, quorum en tibi ordinem.

Primò de *erroribus sensuum*. 2. de *erroribus imaginationis*. 3. de *erroribus intellectu puri*, 4. de *erroribus inclinationum*. 5. de *erroribus affectuum* agatur. Postquam denique mentem ab erroribus suis vindicare tentaverimus, *methodum generalem*, quâ veritas possit haud infeliciter inquiri tradituri sumus.

Jam igitur ab erroribus sensuum seu potius ab erroribus in quos sensuum abusu incidimus ordienur. Cæterum erroribus specialibus numero prope infinitis minùs insitemus quàm generalibus errorum causis.

Malebrancii de Inquisit. Verit.

C

II.  
Totius hujus operis  
propositum  
generale.

III.  
Primi Libri  
speciale propositum.





rebúsque ad naturæ mentis humanæ cognitionem adipiscendam necessariis.

## CAPUT V.

## DE SENSIBUS.

- I. *Corruptio quam peccato contraxerunt bifariam explicatur.*  
 II. *Libertatem nostram veram esse errorum nostrorum causam, non verò sensus.* III. *Canon quo in usu sensuum nostrorum errorem vitemus proponitur.*

Sensus & affectus hominis fini ob quem ipsi concessi sunt tam aptè respondent, ut eorum opinionem qui illos peccato omnino corruptos fuisse censent; vix quisquam ad rem attentus possit dīgerere. Sed ne quis ab eorum sententiā nos gratis discedere existimet, quo ordine facultates & affectus primi nostri Parentis in statu justitiæ procederent, quæve immutationes ac perturbationes ex peccato ortæ fuerint hīc explicare operæ pretium est. Hæc autem bifariam a nobis concipi possunt.

I.  
 Bifariam  
 explicatur  
 corruptio  
 quam pecca-  
 to contraxe-  
 runt sensus.

I. Si genuinum rerum ordinem consulas, quò præstantioribus mens fruitur bonis, eò majori perfundi debet voluptate, id ex notione communi constat. Voluptas est naturæ instinctus quidam, vel, ut clariùs dicam, est ipsius Dei impressio quâ in aliquod bonum inclinamus; hæc autem impressio eò vehementior est quò bonum illud est majus. Hoc posito, primum nostrum Parentem ante peccatum, & è manibus Dei recens eductum, solidiora bona cæteris longè anteposuisse nemo est qui inficietur. Cùm itaque Deus verum ipsius bonum, eum ut ab ipso amaretur creasset, probabile est in ipso quoque gustum sui excitasse, ipsum in sui amorem voluptate quâdam internâ leviter inflexisse, officiūque ipsi præscriptum internâ quâdam & alacri temperasse dulcedine infra quam exquisitissimæ sensuum voluptates longè sedebant, & a quâ prorsus desueverunt homines nunc peccatores, nisi speciali quâdam gratiâ adjutentur.

Interea tamen, cùm idem homo corpore etiam donatus esset, quod Deus ipsi & conservandum, & ut alteram suimet ipsius partem habendum dederat; voluptates etiam hoc in corpore excitabat ab illis haud ab-similes quibus nunc afficimur dum rebus vitæ nostræ conservandæ idoneis utimur.

An primus homo, præcipuâ cerebri sui parte a rebus sensibilibus semel commotâ, sensationes jucundas aut injucundas posset coercere, non est tutum decidere. Hoc forsân imperio in seipsum pollebat, propter illam



illam quâ Deo parebat summiffionem, licet rem fecus se habere faciliùs crediderim; quamvis enim Adam spirituum & sanguinis commotiones, nec non cerebri concuffus a rebus sensibilibus ortos fiftere poffet, quia nimirum in eo verfâbatur ordine qui corpus spiritui cedere poffulabat, ipfum tamen haud verofimile eft a rerum objectarum fensatione temperare potuiffe, nifi priùs cohibiti fuiffent motus illius corporis ejus partis cui mens ejus immediatè conjungebatur. Cùm enim mentis cum corpore conjunctio in eo præcipuè fita fit quòd fensus five fensationes animæ & motus organorum mutuo quodam confensu fibi invicem respondeant; fanè fi Adam, ubi femel præcipua corporis ejus pars corporum circumjacentium actionem receperat, fensationibus tamen vacare potuiffet, hæc conjunctio potiùs arbitraria quàm naturalis habenda fuiffet. Rem tamen in medio relinquo.

Primus igitur homo, ex iis omnibus quæ vel corporis vel animæ perfectioni numerum aliquem addebant, voluptate commovebatur, quæ erat autem perfectione, voluptatem spiritualem voluptate corporeâ vividius experiebat. Itaque justitiam illam quam sine gratiâ Christi nec confequi nec conservare poffumus, quia hæc deftituti officio nostro nonnifi inviti fungimur, Adamus per fe facile conservare poterat; miserè tamen deceptus in laqueos incidit, Inobedentiâ suâ justitiam amisit. Nihil autem in hæc immutatione prius fuit & sensibus nostris funestius illâ quâ in hominem justè animadvertit Deus poenâ; ab illo scilicet communione suâ orbatò secessit, & quemadmodum ipsius bonum sese præstare noluit ampliùs, nullam pariter voluptatem, tanti favoris indicium, in ipso excitavit. Voluptates igitur corporeæ ad sola bona corporea incitantes duntaxat superfuere, quæ non paribus ampliùs cum iis quæ mentem ad verum bonum antea excitabant libratae momentis conjunctionem quâ cum Deo conjungebatur homo magnopere debilitarunt, conjunctionemque quâ corpori adhærebat adauxerunt, corroboraruntque. Voluptas sensuum domina cor ejus rebus omnibus corporeis mancipatum corripit; corruptio cordis menti caliginem obduxit, oculos ejus a lumine ipsi priùs affulgente deflectendo, eamque ad id impellendo ut de omnibus non aliter judicaret quàm ex relatione quam cum corpore possunt habere.

Verumtamen non est quòd quis fensus ideo magnopere immutatos fuisse credat. Quemadmodum enim si duo pondera in utràque libræ lance æquato examine sustineam, ac postea aliquid de altero ex illis ponderibus demam, pondus quod integrum remansit librâ ad se depressurum est, absque ullâ in se mutatione; sic ex quo peccatum irrepsit, voluptates sensuum animam versùs res sensibiles non aliâ de causâ depresserunt, quàm quòd defecerint illæ internæ delectationes, quæ propensionem nostram versùs res sensibiles, velut æquipondium quoddam, suspensam tenebant; nec ea tamen quæ vulgò existimatur in sensibus immutatio facta est.

Divus Gregorius homil. 30. in Evangel.





Hæc est posterior explicandæ perturbationis ex peccato ortæ ratio, quæ priore proculdubio cum veritate magis consonat; ab illâ quidem longo distat intervallo, quippe quæ dissimili nitatur suppositione, ambæ tamen illæ rationes quoad sensus inter se optimè conveniunt.

Cùm duabus partibus corpore scilicet & animâ constemus, duo quoque bonorum genera spiritualia scilicet & corporea perfequenda nobis incumbunt. Duplici pariter ratione noxiùmne nobis aliquid sit an utile dignoscere possumus, vel mentis solius ope, vel per mentem cum corpore conjunctam. Utilitas nostra, seu mavis, bonum nostrum clarâ & evidenti cognitione non fecus ac sensu quodam confuso a nobis cognosci potest. Justitiam esse amabilem ratione quidem comperio, sed gustu simul commonescio hunc fructum boni esse saporis; justitiæ pulchritudo sensu, fructus suavitas ratione non discernitur. Bona corporea mentis quam Deus sibi soli comparavit attentione non digna sunt. Mens igitur ejusmodi bona certo & facili sensuum testimonio contenta nullo adhibito examine cognoscat oportet; lapides corporis alimentum esse nequeunt, id experienciâ certissimâ constat, idque uno gustus testimonio omnes homines adducti unanimo profitentur consensu.

His igitur positis, voluptas & dolor certa sunt & genuina indicia quibus bonum & malum internoscantur, fateor: Sed ubinam hoc contingit? In iis scilicet rebus quæ, cùm nec bonæ nec malæ sint per se & naturâ suâ, tales quoque clarâ & distinctâ cognitione haberi nequeunt. Cùm enim res illæ mente hominis inferiores sint, illam certè nec beare nec punire possunt. Unde fit ut prorsus indignæ sint quæ mentis applicationem tantillum sollicitent: quo circa Deus mentem nostram iis incumbere non sinens, instinctu quodam, hoc est sensationibus jucundis aut injucundis, ad illas nos propendere curat.

Res verò fecus se habet de Deo, ipse enim verum est mentis bonum, ipse solus supra illam eminent, ipse solus eam sexcentis modis remunerari potest, ipse solus dignus est cui mens tota adhærescat, sui cognitionem amore vacuum jacere non metuit; amore cæco, & ex solo instinctu nato non contentus; amorem requirit qui sit oculatus & ex optione natus.

Si mens id unum in corporibus perciperet quod revera iis inest, nec quod in iis non occurrit sentiret, iis sanè haud facilè uteretur, eaque ideo non amaret; unde fit ergo ut ea corpora ipsi grata fiant? nempe ex eo solo quod in ipsâ sensationes excitent quibus ipsa carent; at verò quoad Deum ratio valde diversa est; dummodo qualis in se est conspiciatur, non potest non amari, nec ad illum voluptarium instinctum, velut ad lenocinium quoddam, ut immeritum captet amorem ipsum confugere opus est.

*Vide Illustrationes.*

His ita positis, Adamum ad Dei amorem officiumque suum nullâ voluptate prævertente inducendum fuisse credere par est; Deum ut unicuique sui bonum pernoscebat, gaudium ex beatâ cum Deo conjunctione natum ipsius pectus pertentabat, hæcine igitur ad officium satis efficaciter

citer:



citer non adigebant? Et his actus incentivis nunquid Deum potius sibi demerebatur, quam si voluptate quâdam antevertente determinatus ipsum amasset? sic constitutus plenâ libertate fruebatur. Quid si hoc sensu Scriptura hâc verbis nobis illum representare voluisset? *Deus Eccli. 15: ab initio constituit hominem, & proposuit mandatis suis reliquit illum in manu consilii sui*, hoc est, illum nullâ voluptate præoccupatum solâ sui boni & officii clarâ perceptione sibi obstrinxit. Sed experientia, hominis tam ritè, ut erat ante peccatum, tamque beatè constituti fragilitatem, maximo cum liberi arbitrii opprobrio, summâque Dei gloriâ, demonstravit.

Verùm circa res sensibiles non eadem erat Adami conditio ac circa res spirituales, illas enim ipsum & quæsiisse & usurpassè ex accuratâ ipsarum cum corpore suo convenientiâ notitiâ credibile non est. Quid enim? Si varias partium cujuslibet fructus, si sui ipsius corporis configurationes perscrutandas habuisset, ut inde compertâ inter utrasque analogiâ & correlatione, ex calore sanguinem suum agitante, & innumeris aliis corporis sui dispositionibus colligere posset, an fructus ille corpori suo nutriendo aptus fuisset necne, tota ipsius mentis capacitas rebus adeò exhibibus haud feliciter repleta fuisset: ejusmodi enim cautionibus, si solæ adfuissent, longævam sanè vitam non vixisset.

Cuius igitur mentem Adami non fuisse infinitam attendenti durum videri non debet, si omnes corporum proprietates, quæ haud dubiè sunt infinitæ, ipsi compertas non fuisse affirmemus. Hoc igitur quod negari non potest concessum mihi velim, hominis mentem ad id comparatam non fuisse, ut motus & configurationes materiæ dispiceret, sed ut in Dei cognitionem & contemplationem perpetuâ incumberet meditatione. Quo concessio, non est quòd quis nobis succenseat, si existimemus Adamum animum suum ab assiduâ perfectionum boni sui contemplatione ad excutiendam fructus, sive aliùs cujuslibet alimenti naturam avocare non potuisse sine memorabili illius in quem cuncta digesta erant ordinis perturbatione.

Iisdem igitur sensibus ac nos pollebat Adamus, quibus, a Deo nusquam semotus, corpori suo confuleret; non secus ac nos voluptatibus immo etiam doloribus, aut fastidiis quibusdam antevertentibus & inopinatis afficiebatur. At istæ voluptates (quo quidem discrimine ab ipso longè distamus) illum in servitum & infelicitatem non conjiciebant, quia scilicet motuum corporis sui compos, ipsos, si vellet, pro arbitrio compefcebat, ubi primum ab ipsis monitus fuerat, nec dubium est quin illo imperio circa dolores semper uteretur. Hei nobis! cur non eadem ratione se gessit circa voluptatem? cur faciem Dei sibi faventem lubens declinavit? cur vanâ spe lactatus, falsâ fructus interdicti, dulcedine, vel forsitan arroganti gaudio in mente ex perfectionum suarum contemplatione excitato, vel naturali uxoris amore, atque immodico eam conturbandi metu, mentem suam totam occupari sivit? Hæc enim omnia ad ejus inobedientiâ videlicet contulerunt.



Verùm peccatum semel admissum novam induxit rerum faciem. Voluptates hominem prius modeste veluti compellabant; dolores illibatam hæcenus felicitatem suam in infelicitatem posse commutari placidè tantùm commonefaciebant. At post peccatum eæ voluptates & dolores hõsce prætermiserunt moderationis limites; sensus & affectus ab eo desciverunt, excussumque jugum ipsius cervici imposuerunt, adeo ut rerum sensibilibium mancipium factus fuerit, ut nos sumus.

Sensus igitur & affectus ex peccato non originem quidem suam, sed tyrannidem illam quã peccatores opprimunt ducere existimandum est; hujus autem tyrannidis sedes non tam in sensibus est quàm in mente & in voluntate hominum qui cum Deo non ut antea conjuncti ab ipso lumen & virtutem, quã libertatem & felicitatem possent custodire non amplius excipiunt.

Remedium  
adversus  
corruptio-  
nem ex  
peccato o-  
riginis or-  
tam, &  
fundamen-  
tum Ethicæ  
Christi-  
anæ.

Vide Il-  
lustratio-  
nes.

Ex hisce duabus explicandæ peccati corruptionis rationibus, duo pariter ad nostram integritatem denuo recuperandam requiri facile colligas.

Primò in id incumbendum est, ut de illo pondere, quo in bona corporea proclives deprimimur, aliquid detrahamus. Voluptates nostras scilicet assidue abdicando, & sensuum nostrorum mollitiem pœnitentiã, & cordis circumcisione castigando.

Secundò, pondus gratiæ Dei, cum delectatione illã nos veluti præmulcente quam nobis Christus merito suo acquisivit, ab ipso Deo exorandum est; quippe nisi adsit illa gratia, quicquid de priori isto pondere demamus, gravitabit semper, & nos jam pronos in peccatum & corruptionem haud dubiè præcipites aget.

Hæc duo igitur, ut in officio nostro ad illud semel revocati perstemus, necessariò prærequiruntur; unde non obscure liquet rationem & Evangelium amicam inter se conferere manum; cum ab utroque doceamur nos inclinantes ad Deum erigi non posse, nisi prius peccatum ejuremus, vel saltem ipsius pondus extenuare studeamus.

Sed quamvis præsens fors nostra nos in assiduas adversus sensus nostros pugnas adducat; malè tamen inde colligeres eos absolutè corruptos & inordinatos esse. Quis enim illos ad corporis nostri conservationem nobis concessos fuisse apud se reputans, statim non miretur quam ritè vices suas hæc in parte obeant. Profectò tam tutò tamque fideliter nostrî respectu scopum suum assequuntur, ut inordinationis corruptionisque non sine injuriã videantur insimulari. Dum illos tantã pernicitate, tot modis, dolore scilicet, voluptate, jucundis aut injucundis sensationibus, animum de rebus conservationi suæ vel utilibus vel noxiis monentes conspicias, num illam promptitudinẽ, illum ordinem, illamque assiduitatem velut peccati effectus poteris tibi exhibere?

II.  
Non sensus  
sed libertatis  
abusus

Sensus igitur nostri, ut falsò id opinantur, corrupti non sunt, sed intima mentis nostræ pars ac libertas nostra vera est corruptionis sedes. Non a sensibus, sed a voluntate nostrã ad judicandum æquo prom-  
ptiori



ptiori decipimur. Dum lumen cernimus, id quod cernimus verè quidem lumen est, dum calorem sentio, calorem me revera sentire, sine erroris periculo, credere possum, sive peccatum præcesserit, sive non, perinde est. Sed si calorem quem ego sentio extra mentem quæ calorem illum sentit subsistere puto, tum erro, & quidem gravissimè, ut infra patebit.

*nos in errorem conji-*  
*cium.*

A sensibus igitur in errorem non conjiceremur, si libertate nostrâ, ut par est, utentes ipsorum testimonio, dum de rebus judicandis agitur, fidem nimis præcipitem non adhiberemus. Quia verò ab istâ credulitate, ob arctissimam mentis cum corpore nostro conjunctionem, vix temperare possumus, in usu sensuum nostrorum, erroris devitandi gratiâ, hoc modo procedendum est.

Nimirum. *De rebus quales in se sunt, ope sensuum tuorum cave ne unquam iudices, iis solum utaris ut cognoscas quam habeant ex res cum corpore tuo relationem.* Et revera sensus nostri eo consilio non dati sunt nobis, ut res quales in se sunt cognoscamus, sed duntaxat, quatenus nostræ conservationi vel utiles sunt vel noxiæ.

III.  
Canon quò  
devitetur  
error in usu  
sensuum.

Sed ut istam quâ sensus nostros in rerum veritate disquirendâ consulimus nobis innatam consuetudinem lubentes exuamus, præcipuos & generaliores in quos sensuum ductu labimur errores, capitibus sequentibus recensere propositum est. Inde enim de suprâdictis facilius constabit apud unumquemque.

## CAPUT VI.

- I. De erroribus visûs respectu extensionis in seipsâ considerata. II. Errores illi ad res invisibiles extenduntur. III. De erroribus oculorum nostrorum circa extensionem resp. ætivam.

**V**isus cæteros sensus, ordine, dignitate, & extensione suâ superat, adeo ut si sensus nobis darentur ad veritatem cognoscendam, ex solo visu multò plura quàm ex ceteris omnibus cognosceremus. Si igitur auctoritatem quam in rationem usurpant oculi evertamus, nullis amplius, ni fallor, opus erit argumentis quibus erroris nostri convincamur, & in posterum sensibus nostris cauti diffidamus.

Jam igitur ostensuri sumus visûs nostri testimonio nequaquam circa rerum veritatem, sed tantùm circa vitæ nostræ conservationem fidentum esse; Ab oculis nostris in omnibus generatim nos decipi, nempe in corporum quantitate, figuris, motibus, in luce & coloribus, quibus exceptis, nihil oculis nostris usurpamus. Demonstrabimus hæc omnia

non



non actu esse qualia nobis apparent, neminem esse qui falsis eorum speciebus non decipiatur, & ex hoc errore in errores alios innumeros non incidat. Ab extensione inchoaturi, argumenta, quibus eò adducimur ut credamus ipsam revera non esse qualem se nobis præbet, in medium proferamus.

I.  
De erroribus visus respectu extensionis in se considerata.

\* Vide diarium Doctorum.

Vitreis conspicillis animalcula ipsâ arenulâ penè jam invisibili longè, immo centies exiliora \* sæpius visa sunt. Atomi illæ viventes non secus ac cætera animalia gradiuntur. Habent igitur crura & pedes, ossa quibus crura sustineantur, musculos quibus moveantur, tendines & innumeras fibras in unoquoque musculo, sanguinem denique, aut spiritus animales subtilissimos & tenuissimos, quibus muscoli impleantur & vicissim moveantur. Hæc enim si non adsint, quâ illa vivere, nutrirî, ex uno loco in alium transire pro variis rerum objectarum impressionibus, concipias? Immo potius, fieri nequit ut ipsi anatomici & naturæ investigatores numerum, varietatem, exilitatem omnium partium ex quibus hæc corpuscula, ut vivant omnesque vitæ functiones obeant, necessariò constare debent imaginari possint.

Imaginatio tantâ tenuitate stupet & absorbetur; partes imperceptâ & furtivâ serie dilabentes non potest arripere, & ipsi rationi id nos evidenter docenti sensus & imaginatio reluctantes animum nostrum sæpius suspendunt.

Visus noster angustis circumscriptus limitibus rei tamen sibi objectæ limites figere non debet. Extensioni fines præscribit quidem, sed ideo extensionem hisce finibus includi quis frustra concluderet. Infinita aliquatenus dici potest. Atque hæc tenuissima materiæ particula, quæ nostros fugit oculos, orbem in quo totidem res, quamvis pro rerum proportionem longè tenuiores, quot in hoc ingenti orbe continentur etiam contineri possent.

Hæc animalcula ab aliis animalculis minimis, sibi que, quemadmodum ipsa nobis, ob stupendam parvitatem imperceptis, forè exeduntur. Quod nobis est acarus, illud sunt acaro ejusmodi animalcula perquam tenuissima. Nec impossibile est dari in naturâ animalcula his tenuiora, & in infinitum usque tenuiora, illâ tam dissitâ acari cum homine proportionem servatâ.

Materiæ divisibilitatem in infinitum demonstrationibus evidentibus & mathematicis possumus demonstrare; quidni igitur animalia parva & minima ad infinitum usque dari posse, vel ipsâ insurgente imaginatione, crederemus? In eum duntaxat usum comparavit materiam Deus, ut ex eâ mirabilia ederet opera; cum autem certum sit nullam esse partem, licet inter minimas sit minima, ex quâ Deus, pro suâ infinitâ potentia, non possit ejusmodi animalcula eruere, cur istam potentiam infinitam definimus? cur imaginatione nostrâ finitâ istius opificis & potentiam & industriam metiendo, ideam quam opificis summè perfecti habere nos decet temere extenuamus?

Jam



Jam experientiâ duce errorem exuimus, & illum quidem non levem. Hâc enim experientiâ animalcula acaro millies tenuiora dari posse edocti sumus. Cur his adhuc exiliora non dari crederes? Si credas non dari, gratis certè credes. Quin ego longè facilius existimem his a nobis jam compertis multò minora posse reperiri. Animalcula non desunt microscopiis, microscopia desunt animalculis.

Cùm per hyemem germen ex tulipæ bulbo eductum, per vitrum convexum, aut solis oculis intueor, in illo germine folia quæ tempore verno virescere, folia quæ florem constituere & adornare debent, hoc spatium triangulum quo semen includitur, & sex columellas quæ illud spatium in interiori tulipæ parte cingunt, nullâ difficultateprehendo. Ex quibus nemo est qui non colligat germen, ex tulipæ bulbo eductum totam ipsam tulipam includere.

De femine fynapi, de acino pomi, & generatim de quibuslibet arboribus & plantis, quamquam res oculis ne vel ipsius microscopii ope usurpari nequeat, idem esto judicium: atque singulas arbores in feminis sui germine compendiosè contineri audacter etiam affirmare licet.

Nec id modo. Sed neque absurdum cuiquam videri debet, si dicamus in uno germine dari posse arbores innumeras; illud enim germen arborem illam cujus semen est non solum continet, verum etiam innumera alia femina, quæ novas arbores, & nova arborum femina possunt includere. Quæ iterum quantumvis minuta minutissima poterunt adhuc alias complecti arbores, alia complecti femina primis non minùs secunda. Adeo ut hoc posito lemmate quod nec insulsum nec ludicrum cuiquam videri potest, nisi infinitæ Dei potentæ mirabilia ex ideis sensuum & imaginationis metiatur, haud absurdè dici possit, in uno pomi acino, pomos, poma, pomorumque femina, in sæcula propè innumera dari, servatâ proportionem pomi perfectæ cum pomo in femine suo, sicque has esse in eâ re naturæ partes, scilicet arbores illas evolvit & explicat, incrementum conspicuum arbori illi quæ est extra semen suum ministrando, dum incrementa impercepta quidem, sed vera tamen & magnitudini suæ accommodata largitur arboribus illis quæ in femine suo esse concipiuntur. Possunt enim esse corpora adeo minuta, ut in fibras arborum illarum, quæ in femine suo esse concipiuntur, sese insinuent, ac illis alimenta præbeant.

Quod de plantis eorumque germinibus dictum est, ad animalia ipsorumque germen pari jure transferri potest. In tulipæ germine tulipam integram vides; Vides pariter in ovi recentis, cui non incubuit gallina, umbilico seu germine pullum fortè omnino conformatum. In ovis ranarum cernuntur ipsæ ranæ; & cùm satis sagacitatis & experienciæ accedet, alia præter hæc cernuntur animalia in suo germine. Sed quocumque tandem procedat visus, ne tamen ibi subsistat mens nostra, quæ aciem suam longius proferre potest quàm oculi corporei possunt suam. Quid obstat igitur quò minùs credamus omnia corpora hominum

*Malebrancii de Inquist. Verit.*

D

Germen  
ovi est macula illa candida quæ conspicitur in ipsius ovi vitello. V. lib. de for- &



*in anione pul-  
li in ovo.  
Viri clarif-  
simi Mal-  
pighi. Vid.  
miraculum  
naturæ  
Swammer-  
dam.*

& animalium, quæ ad finem usque sæculorum generabuntur ab ipsâ mundi creatione producta fuisse? hoc est fœminas primorum animalium fortè creatas fuisse, cum omnibus animalibus ejusdem speciei quæ genita sunt, & quæ in posterum generanda erant.

Istud mentis cogitatum a vero fortè non ita abludit, ut amplius urgeri non possit. Sed in Dei opera penitius introspicere meritò extimescimus. Nihil in iis præter infinitates videas. Non modò sensus nostri, nostræque imaginatio angustiorem circumscribuntur limitibus quàm ut ea possint attingere, sed mens ipsa quantumvis pura materiæque expers, hebetior debiliorque est quàm ut in minimum inter Dei opera possit penetrare, ad unius atomi, ut sensum more loquar, conspectum ipsius acies obtunditur, hebescit, perstringitur, stupet. Sed hoc saltem mens sensibus & imaginatione præstat, quòd scilicet suam infirmitatem, Deique magnitudinem agnoscat, & quod infinitum quo absorbetur percipiat. At verò sensus nostri, & imaginatio nostra opera Dei deprimunt, nosque in impudentem atque cæcam injectos confidentiam in errorem etiam præcipites agunt. Oculi enim nostri nullam in nobis gignunt eorum omnium ideam quæ microscopiorum ope, vel ipsâ ratione conspiciamus. Corpora acarò aut animalculo illo quod Midam vocant minora visu nostro non cernimus. Si ipsius testimonio fides adhibeatur, acarus dimidiatus est purum nihil. Midas ipsi est instar puncti Mathematici, si dividis, annihilas. Visus igitur noster extensionem, non ut in se est, sed duntaxat ut est respectu corporis nostri nobis repræsentat. Quia autem dimidiatus midas corpori nostro nec prodesse nec officere potest, illum visus noster nobis profus eripit.

Si vero oculi nostri ad microscopiorum exemplar essent conformati, vel potiùs, si acaros aut midas magnitudine non excederemus, de ipsâ corporum magnitudine aliâ profus ratione judicaremus. Nam proculdubio hæc animalcula oculos habent ita dispositos, ut res quibus circumdantur videant, & suum ipsorum corpus majus ipsis videri debet quàm nobis; alioqui impressiones ad vitam conservandam necessarias accipere non possent, & oculi quibus prædita sunt ipsis forent inutiles.

Sed ut rem omninò excutiamus, attendendum est oculos nostros nihil aliud revera esse præter conspicienda quædam naturalia, ipsorum humoris idem esse cum vitro conspiciendorum, & secundum crySTALLINI humoris figuram, ipsius a \* retinâ distantiam, res diversè a nobis conspici; adeo ut non possis tutò asserere duos homines res objectas cum eadem magnitudine videre, quia duos homines vix comperias quorum oculi eodem modo sint conformati.

Res objectas eadem cum magnitudine eo sensu omnes conspiciunt homines quòd eas intra eosdem limites comprehensas, seu per angulos æquales videant. Earum enim cernunt extremitates per rectas lineas angulum opticum constituentes qui, cum ab æquali distantia cernuntur res objectæ, sensibiliter est æqualis. Verùm non inde constat æqualem in iis esse ideam

\* Ipse est  
nervus op-  
ticus.



ideam sensibilem quam ejusdem rei objectæ habent; quia non æqualia sunt media quibus de distantia judicant, ex quâ tamen distantia pendet illius ideæ magnitudo. Præterea in aliquâ re objectâ plures longè partes ii observare possunt in quibus tenuioribus & delicatioribus fibris, constat nervus opticus, quàm ii in quibus ille nervus crassioris est textura.

Hæc omnia Geometricè demonstrari nullo negotio possent, iisque probandis diutius immoraremur, si quemquam laterent. Qui verò ea doceri cupient, quamplurimos Authores qui de hisce egerunt consulant. Vide Diop-  
tricam  
Cartesii.

Cum igitur duos homines vix reperias qui res objectas cum eadem magnitudine videant; cumque ut plurimum eadem res sinistro conspectæ oculo eidem homini majores appareant, quàm cum eas adspicit dextro, ut observatum videmus in diario Doctorum Romæ mensis Januarii 1699. \* cuius clarè patet hæc in re iudicium sensuum nostrorum esse incertissimum. Rationem igitur satius est consulere. Illâ enim comperiemus primò nos nihil quicquam circa corporum magnitudinem absolutum posse definire; secundò nos nullam extensionis pedalis, aut ipsius corporis nostri ita certam ideam nobis efformare posse, ut illud quale est illa idea nobis exhibeat. Corporum omnium minimum, si unicum esset, parvum non fore ratio evincit; cum corpus illud innumeris constet partibus quarum unaquæque, Deo sic volente, terram posset efficere, quæ respectu aliarum partium simul junctarum, nihil esset nisi punctum. Mens itaque humana tantam non potest sibi efformare ideam, ut vel minorem extensionem possit capere aut complecti. Mens enim finita, qualis est nostra, ideam infinitam non potest suscipere. \* Quidam  
ex amicis  
etiam libri  
cujuscun-  
que chara-  
cterem ma-  
jorem dex-  
tro semper  
videt oculo  
quàm fini-  
tro.

Mens quidem relationes quibus hæc infinita ad se invicem referuntur, verbi gratiâ hoc illo duplo majus esse, & decempedam esse quantitatem decem pedum, quadantenus cognoscere potest. Sed quid in se sint nullâ potest ideâ comperire.

Sed esto; mens has suscipere possit ideas quæ corporum extensionem exæquent aut dimetiantur. Rem enim secus se habere vix cuiquam persuadere queas; quid demum, hoc dato, non concessò, colligere possis videamus. A Deo scilicet nos non decipi, oculos quibus nos munivit conspiciillis non esse similes quæ res objectas vel augent vel extenuant; ac proinde oculos nobis res quales in se sunt repræsentare.

Nos quidem nunquam fallit Deus, sed errorum nostrorum nobismet ipsis sæpe sumus authores, judicia de rebus nimis præcipitata ferendo. Sæpe enim res quarum idea nostro impressa est cerebro non solum actu existere, verum etiam ideis nostris planè similes esse judicamus, licet plerumque non modò sint absimiles, sed etiam non existant.

Ex eo quòd rei alicujus ideam habeo non sequitur rem istam existere, minùs adhuc rem istam ideæ meæ similem esse. Ex eo quòd Deus hæc ideam sensibilem magnitudinis nobis imprefferit, cum decempeda-



oculis nostris observatur, non sequitur decempedam illam non majorem eam quae nobis repraesentatur extensionem habere. Nam primò eandem istius decempedae ideam sensibilem non habent omnes homines, quippe qui oculis eodem modo dispositis non praediti sint. Secundò idem homo variam habet ideam ejusdem decempedae, prout illam intuetur oculo dextro aut sinistro, ut dictum est. Denique saepenumero contingit ut idem homo varias ejusdem rei pro variis temporibus habeat ideas; prout illam vel propinquiorem vel remotiorem esse opinatur, ut alibi sumus exposituri.

Corpora igitur secundum veram magnitudinem suam a nobis videri falsò huc usque praedjudicavimus. Cum enim oculi nostri in eum finem nobis tantum concessi sint, ut corpus nostrum foveamus, munus sibi demandatum ritè quidem obeunt, dum in nobis rerum efficiunt ideas ipsi corpori accommodatas, licèt in iis rebus innumeræ sint partes quas nobis non detegunt.

Sed ut quid de extensione corporum ex oculorum nostrorum testimonio judicare nos decet melius doceamur; Hoc liceat nobis animo fingere. Deus scilicet novum Caelum, novam terram ex materiae portione ad pilae palmariae magnitudinem accedente velut in synopsis quandam contraxerit, in illa terrâ homines collocaverit, servatis iisdem quae in hoc universo deprehenduntur proportionibus; homunciones illi sese invicem conspicerent, ut & partes corporis sui, & animalcula etiam sibi infesta: Quorsum enim alioqui ipsorum oculi. Hoc igitur posito, homunciones illi ideas magnitudinis corporum longè diversas haberent ab illis quas nos habemus; parvum enim orbem suum, qui nobis effet pila, velut spatia quaedam infinita haberent, non secus ac nos de orbe quem incolimus judicare solemus.

Vel si id facilius à nobis concipi possit. Fingamus Deum terram hanc nostrâ infinitis ampliores spatia creasse, adeo ut hæc nova terra nostræ sit id quod nostrâ erat illi parvæ de quâ antea. Præterea ponamus Deum eandem in hujusce novi orbis partibus servasse proportionem quam in hoc nostro servavit; homines hujusce novi mundi spatia, quae inter terram nostram & stellas maximè distitas intercedunt, magnitudine suâ excessuros esse liquet; adeo ut si easdem quas habemus corporum ideas ipsi haberent, quaedam corporis sui partes discernere non possent, alias verò cum immani crassitudine cernerent; eos igitur res objectas cum eadem quâ eas cernimus magnitudine visuros esse nemo sanus cogitaverit.

Ex duabus his suppositionibus manifestò liquet homines magni aut parvi mundi diversas magnitudinis corporum ideas ab iis quas nobis efformamus sibi efformaturos esse, si saltem supponas ipsorum oculos res circumjacentes pro corporis proprii ratione ipsis repraesentare. Si autem homines illi oculorum testimonio freti corpora eandem quam oculis usurpant habere magnitudinem audacter assererent, hallucinarentur haud dubiè;



dubiè; id tamen non minore jure quo nos possent afferere atque propugnare. Jam igitur illorum exemplo moniti teneamus nos de magnitudine corporum quibus circumdamur esse per quàm incertos, & visu nostro nihil posse comperire præter relationem corporum istorum cum nostro. Oculos nostros denique in eum usum non fuisse comparatos ut ab illis rerum veritatem edoceamur, sed tantum ut utilia a noxiis fecerere queamus.

Sed non modò circa res visibiles oculis suis credunt homines, verum etiam circa invisibiles. Quæ non vident ea continuo non existere arbitrantur, oculis suis perspicacitatem penè infinitam arrogantes; hoc præjudicio præpediti innumerorum naturalium phænomenorum causas ignorant. Illa enim phænomena facultatibus quibusdam & qualitatibus imaginariis non rarò tribuunt veras horum causas, quæ in variis corporum configurationibus consistunt, nescientes.

Quia, exempli gratiâ, minutissimæ aëris, flammæ, multò magis lucis & aliis cujusdam materiæ subtilioris particulæ ipsos fugiunt, tum hæc particulas vel non existere, vel nullâ vi aut actione pollere facile autumant. Unde fit ut ad qualitates occultas, facultatesve imaginarias, confugiant, ut hæc explicent phænomena quorum particulæ illæ imperceptæ genuina sunt causa.

Ut rationem quâ hydraulis sursum elevatur aqua explicent, horrorem vacui nobis obrudere malunt, quàm ad aëris gravitatem confugere; maris æstum lunæ qualitatibus quàm aëris terram ambientis pressioni tribuere exoptant magis: in sole facultates attractivas elevandis vaporibus aptas fingere, quàm vapores illos soli impulsioni partium materiæ subtilis quam sol indefinenter respergit assignare, satius existimant.

Illorum sententia qui nihil admittunt præter sanguinem & carnem, ut motuum quibus animalia moventur, ipsorum habituum, & memoriæ corporeæ hominum rationem reddant, ipsis debet ludibrium; quippe qui cerebrum oppidò parvum concipientes illud tantæ capacitatis esse non existiment, ut vestigia rerum innumerabilium conservare possit; Animam in bestiis fingere malunt, quæ nec sit spiritus nec sit corpus; & ut habituum aut memoriæ nominum rationem reddant, qualitates & intentionales quasdam species, aliâque similia potius admittunt quorum in mente nostrâ ne vel levissima quidem notio reperitur.

Si singulos errores ex hoc præjudicio natos enarrare aggredieremur, nullus dicendi foret finis. Ex illo manarunt omnes penè qui admittuntur in Physicâ errores: Et si quis rem attentus velit considerare, non poterit quin obstupescat.

Sed quamvis his insistere non sedeat animo, aspernationem tamen illam, quâ homines insecta quædam & animalcula ex materiâ illâ quam corruptam vocant oriunda despiciunt, silentio prætermittere non possumus; aspernatio certè illa iniqua est, & solius ignorantie atque

II.  
Ad res in-  
visibiles ex-  
tenduntur ii  
errores.



præconceptionis fructus. In naturâ nihil est aspernabile omniâque Dei opera digna sunt & reverentiâ & admiratione, si præcipuè quàm simplicibus viis Deus ea & operetur & conservet, attendatur. Minimi culices animalia grandiora perfectione suâ exæquant, ipsorum membra cum eâdem proportione adtemperata sunt, quid? ornamentis quibusdam ipsorum parvitatem Deus compensasse videtur. In ipsorum caput oculos injice, cristas, coronas, aliâque id genus ornamenta concipies, quæ artem hominum luxuriantem longius exsuperant. Et homines illos in Magnatum Principumque aulis versantes ausim provocare, nihil sanè oculis suis quantumvis luculentum & magnificum usurparunt, quod ad decorem qui in muscæ capite conspicillo cernitur, accedat. Unum, e. g. in oculo crystallinum humorem habet homo, plus quàm mille tales gerit musca, qui mirifico admodum ordine dispositi sunt.

Hæc quidem tenuissima sunt, sed eo ipso quis non miretur tot mirabilia in tam exiguo spatio contineri posse? Isthæc autem licet vulgaria non est quod quis in minimo habeat pretio, nec enim ideò minus perfecta in se sunt hæc animalcula; quin imo eò se præbet magis admirandum Deus, quòd hæc animalcula creando, numerum penè innumerabilem mirabilium tam magnificè tamque copiosè ediderit.

Hæc omnia tamen adeo pulchra visum nostrum fugiunt; oculi nostri imbecillitate suâ nos eò adducunt ut opera Dei prorsus stupenda despiciamus; Quia animalcula illa respectu corporis nostri sunt tenuissima, ea quasi absolutè parva adeoque contemptibilia nobis repræsentant, quasi in se parva dici possent corpora.

His igitur edocti exemplis, ne in posterum sensuum impressionibus circa corporum magnitudinem fidem adhibeamus incautam. Cum, verbi gratiâ, avem dicemus esse parvam, id a nobis absolutè ne intelligatur; nihil enim in se aut magnum est aut parvum. Avis cum muscâ collata magna est; quòd si parva videatur dum illam cum corpore tuo confers, ne statim credas illam revera parvam esse. Corpus enim nostrum cæterorum corporum non est mensura. Sed res ut certior evadat, corpus nostrum cum terræ globo comparetur, tunc minimum videbitur. Iterum terram cum circulo illo quem sol aut ipsa terra circa se invicem describunt componito, & circulum illum cum spatio quod nos inter & stellas fixas interjacet, & sic deinceps spatia ad infinitum usque, ut fieri potest, imaginator, magnitudinem corporum respectivam esse hoc pacto nullo negotio comperies.

III. Verùm nequidem credendum est sensus nostros nos accuratè docere relationem quam ad nostrum habent cætera corpora. Accuratio enim in cognitionibus sensuum quæ vitæ conservandæ duntaxat inserviunt, nequaquam est necessaria. Proportionem quidem illam satis accuratè judicamus, cum corpora nobis propinqua sunt. Sed quò plus à nobis recedunt, eò minùs etiam a nobis cognoscuntur, quia nempe minùs ad

*De Oculorum nostro-  
rum errore  
circa exten-  
sionem ref-  
p. Elivam.*



ad nos referuntur; idea aut sensus magnitudinis qui in nobis corporis cujuslibet præsentia excitatur, statim atque ita recedit ut nobis nocere non valeat, in nobis extenuatur. Vice versâ, idea illa crescit statim atque illud corpus ad nos accedit, aut potius statim atque relatio quam illud corpus ad nostrum habet augetur. Denique si relatio illa omnino desinat, hoc est, si quoddam corpus a nobis tanto distet spatio, vel adeo exiguum sit, ut nobis nocere non possit, illud pariter sentire desinimus, Visu igitur relationem quæ est inter cætera corpora & nostrum, immo relationem quam inter se invicem habent, judicare interdum possumus; sed ipsa ejusdem esse magnitudinis quæ nobis apparet, non est quod credamus.

Oculi nostri exempli gratiâ solem & lunam, quasi quantitatem pedalem aut bipedalem duntaxat haberent, nobis repræsentant. Sed hæc astra tam arcto constringi spatio non est arbitrandum, ut Epicurus & Lucretius arbitrati sunt. Eadem luna oculis nostris stellis maximis major videtur; ipsam tamen longè minorem esse nemo est qui inficietur. Sic, ut ex quotidianâ constat experienciâ, duorum aut plurium corporum magnitudinem sæpe non possumus conferre, quia scilicet ipsorum distantiam non satis accuratè assequi possumus. Quid plura? vix de portione duorum corporum nobis proximorum possumus judicare; & postquam ipsa manibus diu libravimus, dubiè sapiuscule hæremus, ut id faciliè patet, cum quis nummos duos penè æquales inter se compositurus est. Alterum enim alteri subjici necesse est, ut uter major uter minor sit, tutius cognoscatur si ad extremitatem lineæ rectæ cathetum ducas qui sit ejusdem longitudinis, utraque sibi propemodum æqualis videbitur; sed si e medio prioris ducta fuisset, multò longior videbitur cathetus, & tantò quidem longior quantò propius incidet in medium alterius. Cum duabus paleis idem fieri potest experimentum; ita ut non aliter, utrùm sint æquales, aut utra sit longior, tutò noscere possis, quàm alteram alteri superfsternendo. Oculi igitur nostri non modò nos circa corporum magnitudinem decipiunt, verùm etiam circa mutuam ipsorum relationem.

#### ADMONITIO.

*Qui quomodo constructi sint oculi, aut cur ita sint comparati nesciunt, quod ad calcem hujus operis exstat additamentum legant ante hocce caput.*



## CAPUT VII.

I. De erroribus oculorum nostrorum circa figuras. II. Nos de minimis nullam habere cognitionem. III. Cognitionem quam de maximis habemus non esse accuratam. IV. Quædam judicia naturalia, quibus errorem vitamus, explicantur. V. Eadem ipsa judicia in occasionibus quibusdam singularibus nos decipere.

I.  
De erroribus visus nostri circa figuras.

Visus noster circa figuras nos rariùs quàm circa quodlibet aliud in errorem inducit, figura enim in se & absolutè considerata nihil est; ipsius natura in solâ consistit relatione quæ est inter partes spatium aliquod terminantes, & punctum quod in illo spatio concipitur, quòdque sicut in circulo vocare possumus centrum figuræ; adeo ut figura sit propriè magnitudinis determinatio. Multifariam tamen circa figuras erramus, nec ullam quidem sensibus accuratè cognoscimus.

II.  
Minimarum figurarum nos nullam habere cognitionem.

Omnimodam extensionem ab oculis nostris non conspici, sed eam solùm quæ cum corpore nostro aliquâ proportionem convenit modò probavimus, unde etiam omnes minimorum animalium, ut & corporum durorum tum liquidorum partes a nobis non conspici liquidò patuit. Cùm igitur partes illas ob nimiam exilitatem non possimus percipere, figuras quoque partium illarum nos fugere necesse est, cùm figura corporum nihil aliud sit quàm ipsorum terminus. Jam igitur innumeras figuras oculi nostri nobis non exhibent. Unde fit ut mens ipsorum capacitati plus æquo fidens, remque fatis non expendens, hæc figuras non existere sæpius existimet.

III.  
Cognitionem maximarum non esse accuratam.

Corporum verò visui nostro accommodatorum, quæ sanè præ cæteris pauca sunt, figuram aliquatenus quidem, sed nunquam accuratè sensibus nostris apprehendimus. Ne visu quidem certiores evadere possumus an rotunda & quadrata figura, quæ ambæ figuræ sunt omnium simplicissimæ, non sit Ellipsis & Parallelogramma, quamquam istas figuras præ manibus & ob oculos habemus.

Nec id modò; si linea longior sit, an illa sit accuratè recta necne judicare penès nos non est, nisi amussim habeamus. Quid amussim narro? ne novimus quidem an ipsa amussim sit ritè constituta. Ni tamen, ut vel pueri norunt, lineam cognoscas, nullam aliam figuram cognoscere poteris.

Illud est quod de figuris nobis ita propinquis ut eas oculis usurpemus manibusque teramus, dicendum suppetit. Verùm si eas supponis distitas, quàm variè in oculorum nostrorum internam partem sese projicient?



cient? Illud enarrare foret inutile. Si quis hæc sibi confirmari cupiat, adeat optices peritos, & figuras quæ in tabulis reperiuntur ipse examinet. Si enim Pictores figuras illas, ut in statu genuino & naturali spectatoribus appareant, immutare coguntur, & circulum, exempli gratiâ, Ellipseos adinstar pingere, quis hinc visum nostrum circa res non pictas errare non colligat? sed errores illi novis sensationibus castigantur, quæ veluti judicia quædam \* naturalia haberi, & judicia sensuum appellari fortè non immeritò possent.

Cùm, exempli gratiâ, cubum conspicamur, ipsius latera sese nunquam ita in oculos nostros projiciunt, ut in ipsorum internâ parte imaginem similis magnitudinis efficiant. Quippe imago uniuscujusque lateris quæ in retinâ sive nervo optico pingitur cubo juxta scenographiæ leges picto similis est; unde fit ut sensatio, quam in nobis excitat illa imago, latera cubi inæqualia nobis repræsentare deberet, quandoquidem illa in cubo picto inæqualia sunt. Illas tamen facies videmus æquales sine erroris discrimine.

Id autem ex judicio quodam naturali oriri quis fortè dicere possêt; Facies scilicet cubi maximè dissitas & quæ obliquè conspiciuntur, non debere in internâ oculorum nostrorum parte imagines formare æqualis magnitudinis ac facies quæ sunt maximè propinquæ. Quia verò sensus sentiunt tantùm, nunquam verò propriè loquendo judicant; constat judicium illud nihil aliud esse præter sensationem compositam, quæ proinde nonnunquam falsa esse potest. Eam autem dico compositam, quia e duabus aut pluribus impressionibus pendet quæ simul oculos nostros afficiunt: Cum v. g. hominem incedentem cerno, certè imago, quæ mihi in intimo oculo ipsius altitudinis pingitur, tantò fit major quantò propius ipse ad me accedit, ita ut cùm a me quinque tantùm distat pedibus, duplo sit major quàm cùm decem distabat pedibus. Sed quia eadem proportione minuitur impressio distantiae simul ac augetur imago magnitudinis, eum hominem semper æqualis video magnitudinis. E duabus igitur diversis impressionibus pendet mea respectu hujus hominis sensatio, sepositâ mutatione quam patitur oculorum situs, sepositis cæteris de quibus infra loquar.

Quia tamen id quod in nobis nihil aliud est præter sensationem, respectu Authoris Naturæ, qui illam in nobis excitat, veluti quoddam judicium haberi potest; de sensationibus tanquam de judiciis naturalibus nonnunquam loquor, quia hæc formula loquendi ad id videtur aptior, ut ratio dictorum reddatur; quemadmodum in Capite nono sub finem, & in multis aliis locis videre est.

Quamvis autem hæc judicia sensus nostros multifariam castigent & emendent, nòsque ab innumeris vindicent erroribus, occasionem tamen errandi nobis aliquando præbent. Si, exempli gratiâ, turris campanariæ ponè ingentem murum aut ponè montem sitæ apicem prospicio, illa turris mihi propinqua satis & parva videbitur. Quòd si deinceps illam

Malebrancii de Inquisit. Verit.

E

tur-

\* Ea voco naturalia quia ab ipso naturæ autore nobis imperiuntur ex sensationibus.

IV. Explicatio quorundam judiciorum, quibus errorem vitamus.

V. Hæc eadem judicia nos in specialibus quibusdam occasionibus.



nibus fallere.

turrim in eâdem quidem distantia sitam videam, sed ita tamen ut multa terrarum jugera, multæque domus inter me & ipsam interjaceant, tum & remotior & major mihi apparebit; quamvis utroque modo projectio radiorum e turri emissorum, sive imago turris quæ fit in intimâ oculi mei parte eadem sit profus. Cur illa turris nobis major videatur hæc causa proferri potest; hoc scilicet judicium naturaliter ferimus; nempe si tot terræ inter nos & turrim campanariam interjaceant, certè remotior & ideò major esse debet.

Quòd si vice versâ nullas terras inter oculos nostros & turrim campanariam deprehendamus, quamvis porro multas interjacere, ipsamque turrim esse remotissimam aliunde sciamus, quod notatu dignum est, proxima tamen & brevissima, ut dixi, nobis videbitur. Et id pariter fit judicio quodam menti nostræ veluti nativo, quo turrim illam non plus sexcentis passibus distitam judicans, illam quoque sub hæc distantia & figurâ sibi pingit. Imaginatio enim nostra majus intervallum inter res objectas & oculos nostros interjectum non solet sibi repræsentare, nisi aliis interjacentibus visu sensibili perceptis aliquid ulterius adhuc imaginetur.

Vide Caput  
9. sub finem,  
amque ad  
D. Regis  
infra re-  
sponso-  
nem.

Nec aliam ob causam Luna in ortu suo aut in occasu longè grandior nobis videtur, quàm cum supra horizontem nostrum elevata eminet. Quippe cum est in meridiano nihil nos inter & ipsam cernimus, cujus magnitudinem dimetiri possimus, ut ex collatione queamus de Lunæ magnitudine judicare. At paulò post ipsius ortum, vel cum ad occasum vergit, inter ipsam & nos multos videmus campos, quorum magnitudinem propemodum cognoscentes pro illâ magnitudine lunam remotiorem, ac proinde grandiozem esse judicamus.

Et observandum est ipsam, cum supra capita nostra eminet, quamvis ratione certò sciamus eam esse remotissimam, a nobis tamen videri quasi minima esset & proxima. Quia nimirum ejusmodi judicia naturalia visus in nobis peraguntur nobis insciis atque etiam invitis. Quamvis pariter nobis sit compertum Lunam non eò tendere quò tendimus, si eam tamen inter currendum adspiciamus, eam nobiscum, & in eandem partem currere conspiciemus; cujus quidem phænomeni hæc est causa quòd scilicet imago lunæ, seu ipsius in retinam impressio eundem semper in intimo oculo locum occupet, etsi curramus, idque, ut facile est demonstratu, propter magnam Lunæ distantiam. Cum igitur nos currere probè sentiamus, eaque tamen imago locum non mutet in oculo, pronum est judicare eam nobiscum currere. Cum verò inter currendum propiora intuemur corpora, ipsorum imagines in intimâ oculorum parte locum utique mutant, aut etiam crescunt pro motu quem in nobis sentimus; ideòque ea immota naturaliter judicamus, hoc est, cernimus. Ut ut autem utilia sint ea judicia, sæpe tamen iis ducibus in errorem incidimus, judicia libera ipsis consentanea ferentes. Cum enim judicamus ut sentimus, semper fallimur, cum contra



trà nunquam fallamur dum judicamus ut concipimus. Corpus enim nihil docet quàm in usum corporis, Deusque solus veritatem usquequaque docet, ut alibi demonstrabo.

Falsa hæc judicia non modò circa corporum distantiam & magnitudinem, verùm etiam circa figuram nos decipiunt. Solem verbi gratiâ, Lunam, cæteraque corpora spherica remotissima, quasi plana essent & circularum adinstar, videmus. Quia a nobis tantopere distant, ut discernere non possimus an pars illa quæ e regione nostri sita est aliis partibus sit propinquior; unde fit ut illam æquidistantem judicemus. Eâdem de causâ stellas omnes & caruleum illum colorem qui in cœlo apparet a se invicem æqualiter distantia, ac veluti in fornice quodam accuratè convexo & elliptico collocata existimamus. Quia mens nostra ubi inæqualitatem non agnoscit, æqualitatem supponere solet, quam tamen, nisi evidentiâ convicta, non deberet admittere.

Errores visûs nostri circa corporum figuras fusiùs non explicamus, curiosis ad optices peritos ablegatis. Et certè hæc scientia nihil docet præter oculos fallendi rationem. Totaque ipsius solertia in eo versatur, ut nos in judicia naturalia, de quibus supra, intempestivè facienda impellat. Idque tot rationibus fieri potest, ut inter omnes figuras nulla sit quæ mille modis non possit pingi, adeo ut visus haud dubiè in errorem labatur. Sed hæc excutiendi tempus non est. Hæc dicta sufficiant ut oculis nostris circa ipsas corporum figuras diffidere assuescamus; licet circa figuras rariùs quàm circa quodlibet aliud nos decipiant.

## C A P U T VIII.

*I. Ab oculis nostris nos non doceri magnitudinem aut celeritatem motûs in se considerati. II. Durationem ad motum cognoscendum necessariam nobis ignotam esse. III. Exempla errorum visûs nostri circa motum & quietem.*

**J**Am præcipuos & generaliores visûs nostri errores circa extensionem & figuras deteximus, nunc verò ejusdem visûs errores circa materiæ motum emendare par est. Quod nullo fiet negotio, si ad ea quæ de extensione præmissa sunt, attendamus. Tanta enim est inter hæc duo convenientia atque relatio, ut si circa corporum magnitudinem erremus, circa ipsorum motum errandi ineluctabilis incumbat necessitas.

Sed ut omnia clarè & distinctè a nobis dicantur, ante omnia amovenda venit æquivocatio quæ est in voce motus. Vox enim illa duo





vulgò significat. Primò vim illam quæ in corpore moto ineffe, motumque efficere creditur: Secundò translationem continuam corporis alicujus ab alio corpore recedentis quod in quiete esse concipitur, ad illud accedentis.

Quum, exempli gratiâ, globulum quendam cum alio globulo partem sui motûs communicasse dicimus, tum motus prioris sensu sumitur. Si verò simpliciter dicimus globulum esse in maximo motu, tum motus sumitur secundo sensu. Uno verbo ista vox, *motus*, denotat simul causam & effectum, quæ duo tamen toto genere differunt.

Circa vim motum corporibus indentem, ipsaque transferentem gravissimè nec sine periculo errare mihi videntur Philosophi. Speciosæ illæ voces, *natura*, scilicet, & *qualitates impressæ* quorsum inventæ sunt? nisi ut Doctorum illorum falsò sic dictorum ignorantiam, impiorumque licentiam prætexant, ut facile esset probatu. Sed de illâ vi corpora movente verba faciendi hîc non datur locus, in ipsâ enim nihil est visibilis, jam autem de erroribus visûs nunc agitur. Res igitur suo tem-

\*Vid. cap. pore fiet. \*

3. part. 2.  
lib. 6.

Motus secundo sensu acceptus, scilicet pro translatione corporis ab alio corpore secedentis, est aliquid visibile de quo hoc capite nobis agendum est.

I.

*Ab oculis nostris nos doceri motûs in se considerati magnitudinem aut celeritatem.*

Visum nostrum non corporum magnitudinem in se, sed tantum relationem illam quâ sibi invicem & corpori nostro respondent nobis exhibere capite 6. demonstrasse mihi videor. Unde colligo nos velocitatem aut tarditatem ipsorum motûs accuratè cognoscere non posse, sed relationem duntaxat sive convenientiam mutuam quæ est inter motus istorum corporum, & præcipuè inter motum illum quo corpus nostrum moveri solet. Quod sic probo.

Certò constat nos de intentione motûs alicujus corporis non posse judicare, nisi ex spatio quod illud ipsum corpus emensum est. Si igitur oculi nostri veram spatii percursi longitudinem nobis non ostendunt, perfecto nec veram motûs intentionem patefacere poterunt.

Istud argumentum omnem vim suam desumit ex iis quæ jam de extensione dicta & demonstrata sunt. En tibi unum quod nihil habet prius unde dependeat: Illud est igitur quod dico. Licet clarè cognosceremus longitudinem spatii percursi, non tamen inde sequeretur nos eadem ratione motus intentionem cognoscere posse.

Motûs intentio seu velocitas duo includit. Primò translationem corporis e loco in locum, ut Lutetiâ San-Germanum. Secundò tempus quod in illâ translatione insumptum est. Jam autem ut scias an rapido an lento motu istud iter quis emensus fuerit, non sufficit si teneas accuratè intercapedinem quæ extat inter Lutetiam & San-Germanum, nisi quantum præterea in eo itinere temporis spatium insumpserit pernoscas. Itineris ergo longitudinem posse cognosci non inficior: sed visu seu aliâ quâvis ratione tempus quod in illo itinere conficiendo consump-



sumptum est, verámque durationis magnitudinem posse cognosci per-  
nego.

Nec aliam ob causam una hora quatuor horas diurnitate suâ nobis  
exæquare interdum videtur, & vice versâ aliàs quatuor horæ sine sensu  
præterlabuntur. Quum, verbi gratiâ, voluptate perfunderis, tum sin-  
gulæ horæ momentaneæ sunt, quia scilicet tempus dulci quâdam &  
imperceptâ celeritatè effluit. Quum verò animus mœrore confectus est,  
vel dolore quodam vehementissimo afflictus, tunc dies annorum ad  
instar produci videntur; mentem enim tam operosæ durationis tædet;  
durationem illam eò sentit facilius quò ipsi attentius incumbit, eam-  
que ita longiorem judicat quàm inter gaudium aut gratam aliquam oc-  
cupationem; quâ durante non est apud se, sed totus in id unum de-  
fixus manet quod ipsi voluptatem affert, aut quo occupatur. Quem-  
admodum enim picta tabella ei grandior videtur qui singula seorsim  
in eâ speculatur, aut sicut caput muscæ microscopii ope undequa-  
que circumspèctum maximum apparet; sic mens, dum suæ durationis  
partibus attentior adhæret, ipsam longiorem experitur, & apud se  
sentit.

Quibus positis, Deus mentem nostram durationis partibus ita potest  
adjungere, multas brevissimo temporis spatio sensationes in eâ excitan-  
do, ut unicâ horâ multa sæcula implere videatur. Quemadmodum  
enim nullæ sunt atomi in corporibus, nullum pariter est temporis pun-  
ctum indivisibile, & quemadmodum minima materiæ particula in infi-  
nitum divisibilis est, sic partes durationis in partes breviores, & brevif-  
simas ad infinitum possent dividi, ut demonstratu facile est. Si igitur  
mens durationis suæ partibus attenta redderetur per sensationes quæ ve-  
stigia fati profunda relinquerent ut earum recordaretur, illa sanè dura-  
tio ipsi multò longior videretur.

Sed quid plura? horologiorum usus durationem accuratè non cog-  
nosci satis superque probat. Si enim motûs velocitas, nisi cognitâ prius  
durationis longitudine, cognosci nequit, hinc sequitur intentionem mo-  
tûs absolutam non posse accuratè cognosci, si prius longitudo durationis  
absoluta non cognoscatur.

Quia verò relationes aliquot durationum, sive relationes aliquot qui-  
bus tempora sibi invicem respondent cognosci possunt, sic relationes  
aliquot motuum, sive relationes quibus motus sibi invicem respondent,  
cognosci queunt. Quemadmodum enim annum solarem longiorem esse  
Lunari cognoscere potes; sic tormentarium globum testudine velocius  
ferri facilè comperias; adeo ut, si velocitatem motûs absolutam & in se  
nos non edoceant oculi nostri, illorum tamen ope intentio motûs res-  
pectivâ, qua ratione scilicet motus hic cum illo conveniat, nobis inno-  
tescit. Quod ad corporis nostri conservationem sufficit.

Nos visu nostro circa corporum motum decipi multoties quidem  
agnoscimus, nec rarò quæ nobis moveri videntur ea quiescunt, & vice





*sus nostri  
circa motum  
& quietem.* versâ quæ videntur quiescere ea moveri tamen sæpius contingit. Quum, verbi gratiâ, navi velociter & æquabiliter vectæ insideo, terræ & urbes recedere mihi videntur, illæ scilicet moveri videntur, navis quiescere.

Pariter, homo quispiam super Planetâ Martis constitutus solem, terram, cæterosque Planetas cum stellis fixis intra 24. aut 25. horas, quo temporis spatio Mars circa axem suum movetur, circulum suum agere visu suo judicaret. Terra tamen, sol stellæque circa hunc planetam non feruntur; adeo ut homo ille quiescentia moveri crederet; ipsèque, dum moveretur, quiescere sibi videretur.

Cur homo navi insidens ab errore oculorum suorum facilius sese expediret, dum alter in planetâ Martis constitutus falsæ opinioni suæ præfractè adhæreret, hîc non explico. Nemo est qui hujusce rei causam per se non agnoscat. Sed ut causa illa facilius innotescat, huic exemplo attendendum est; Fingamus hominem in navi somno sopitum derepente expergefieri, quid si expergefactus nihil præter summum alicujus navis malum ad se accedentem videret? certè si nec vela turgida, nec nautas operi instantes nec ullam aut in se aut in navi in quâ fedet agitationem succussionemve deprehenderet, utra ex duabus navibus moveretur dubius ambigeret; & hujusce rei comperiendæ causâ oculos suos ipsamque rationem suam frustra consyderet.




CAPUT IX.

*Idem argumentum tractatur. I. Errores visûs nostri circa motum generaliter demonstrantur. II. Cognoscendam esse corporum distantiam, priùs quàm de ipsorum motûs velocitate iudicium fiat. III. Rationes quibus distantie cognosci possunt examinantur.*

**O**Mnes errores in quos visus noster circa motum nos injicit hoc exemplo, veluti argumento generali, demonstrari possunt.

I.  
Errores visûs nostri circa motum generaliter demonstrantur.



A fit oculus spectatoris, C verò corpus quod ab A satis distitum suppono. Hoc posito illud est quod dico, quamvis corpus in C immotum maneat, illud tamen ita potest conspici ut ad D recedere, & etiam ad B accedere videatur. Quamvis ad D recedat, ita tamen videri potest, ut immotum in C, & etiam ad B accedere censeatur. Et vice versâ, quamvis ad B accedat, ita tamen potest videri, ut in C immotum manere, necnon etiam ad D tendere credatur. Quamvis a litera C usque ad literam E, vel H, vel G, vel K progressum fuerit, illud tamen a C usque ad F, vel usque ad I, tantum promovisse credere possumus. Et contrâ quamvis a C usque ad F, aut usque ad I motum fuerit, illud tamen usque ad E, aut H, vel ad G, aut K, motum existimari potest; Quod si moveatur per lineam a spectatoris oculo æqualiter distantem, hoc est per circumferentiam cujus spectator sit centrum; quamvis illud corpus a C in P moveatur, a B tamen ad O duntaxat



zat illud moveri quis posset credere, ut contra quamvis ex B ad O tantum moveretur, ita tamen conspici potest ut a C ad D moveri credatur.

Si ultra corpus C, aliud corpus M, verbi gratiâ, reperiatur quod quamvis versus N moveatur immotum tamen existimetur: licet corpus C immotum maneat, vel saltem multò tardiùs moveatur versus F, quàm M versus N; versus Y moveri videbitur, & vice versa, si, &c.

II.  
Cognoscendam esse rerum objectarum distantiam, priusquam de ipsarum motus velocitate iudicium fiat.

Has omnes propositiones, si ultimam, quæ difficultate caret, excipias, vel hoc uno demonstrari liquidò patet, nos scilicet de distantiarum objectarum tutò non posse iudicare; si enim de distantia certum iudicium ferre nequimus, hinc liquet nos non posse tenere an C versus D progressum fuerit, an verò ad B accesserit, & sic de cæteris.

III.  
Examinantur rationes quibus rerum objectarum distantia cognoscitur.

Ut autem comperiamus, an iudicia quæ circa corporum distantiam ferimus sint certa, quâ ratione ad eiusmodi iudicia procedamus animadvertendum est; si ad illa, ratione incertâ procedimus, certè iudicia errore vacua esse non poterunt. Jam autem variis rationibus ad illa iudicia nos accingimus, quæ nobis excutiendæ sunt.

Prima, quæ & universalior & sæpe tutior ratio est, quâ distantiam corporum quæ parum a nobis distant possimus dignoscere, est angulus quem formant radii ex oculis nostris emissi, cujus anguli caput sive apex est ipsa res objecta, hoc est, res objecta est punctum in quo radii angulum efficientes concurrunt. Cùm angulus ille maximus est, rem etiam proximam videmus, cùm verò angulus minimus est, tum etiam videmus rem maximè distitam. Mens igitur nostra de rerum proximitate aut distantia iudicat, prout situs oculorum nostrorum variis anguli istius mutationibus immutatur. Quemadmodum enim cæcus duos baculos rectos, quorum longitudinem nequidem cognosceret, præ manibus tenens, Geometriâ tamen quâdam naturali distantiam alicujus corporis illud scilicet corpus duobus baculis suis attingens, juxta dispositionem & distantiam manuum suarum, aliquatenus saltem dignoscere possit; ita mens de rei cujuscumque distantia iudicat ex oculorum suorum dispositione; quæ dispositio diversa est, secundum magnitudinem aut parvitatem anguli cujus ope rem illam videt, hoc est, secundum rei propinquitatem & distantiam.

Mens hæc omnia iudicia quæ ipsi tribuo non fert; iudicia hæc naturalia nihil aliud sunt præter sensationes; sic igitur loquor perspicuitatis causâ. Vide artic. 4. cap. 7.

Hoc facili experimento quis poterit clarè percipere. De extremo filo suspendatur annulus, ita ut ipsius interna capacitas nobis non sit adversa; vel terræ intrudatur baculus, dum alium baculum in extremo recurvum præ manibus gestabis; Postea verò tribus vel quatuor passibus ab annulo, aut a baculo in terram infixio secede; alterum oculum manu tuâ ocludes, alterâ verò manu annulum trajicere vel baculum baculo quem in manu gestas ad altitudinem oculi aut circiter, transversum ferire conator. Quod primò facillimum existimasti id centies tentatum te non tamen potuisse assequi miraberis. Quod si baculo deposito



deposito anulum digito transversum agere velis; rem quamvis proximus, non sine difficultate poteris efficere.

Sed cum dixi anulum esse trajiciendum, baculumque ferendum utrumque in transversum positum esse intellexi; res enim alioqui esset facillima, & facilior quidem altero oculo clauso quam si utrumque aperires; hoc pacto enim ictus facilius dirigeretur.

Cur autem anulum illum altero duntaxat oculo aperto vix potes trahere, hæc est causa, nimirum altero oculo clauso angulus de quo supra, nobis non innotescit. Ut enim anguli magnitudinem cognoscas, non sufficit cognoscere magnitudinem basis istius anguli, & magnitudinem alterius ex illis duobus angulis quem efficit alterum latus in basi; quod ex præcedenti experimento clarum est; sed præterea necesse est cognoscere alterum angulum, quem efficit alterum latus in basi, aut longitudinem alterius ex lateribus. Quod accuratè dignosci nequit, nisi alterum oculum aperias. Quocirca mens Geometriâ suâ naturali uti nequit distantiam annuli cognoscat.

Dispositio igitur oculorum quæ comitatur angulum radiorum opticorum qui in re objectâ occurrunt & secantur, ratio melior est & universalior quàm mens ad dijudicandam rerum distantiam utatur. Si igitur angulus ille manifestò non immutatur quum res paulò distita est, sive ad nos accedat, sive a nobis recedat; ex hoc ipso inferre poteris hanc rationem dijudicandæ distantiae vitiosam & falsam esse.

Hunc autem angulum non mediocriter mutari quum res objecta ab oculis nostris uno pede distans ad quatuor pedes transfertur nemo non videt, at verò si a quatuor pedibus ad octo pedes transferatur, tum mutatio non erit adeo manifesta; si ab octo pedibus ad duodecim, minùs adhuc, si a mille pedibus ad centum pedum millia, tum penè impercepta fiet mutatio; mutatio denique illa, si ulterius, vel in spatia usque imaginaria transferatur corpus, impercepta prorsus fiet. Adeo ut si spatium memorabile inter A & C intercedat, mens hæc ratione, an id corpus sit propinquum literæ B, an verò literæ D, cognitura non sit.

Hanc ob causam Sol & Luna nubibus involvi nobis videntur, quamvis ab iis infinitis propemodum distent spatiis; eodem adducti præjudicio, singula astra æquidistantia cometasque stabiles, & sub finem cursus sui penè immotos imaginamur. Ipsos etiam cometas post aliquot menses penitus dissipari arbitramur, quia nempe a nobis per lineam rectam & oculorum nostrorum respectu directam recedunt, atque hoc pacto in ingentia illa spatia, unde non redeunt nisi post multos annos vel etiam post multa sæcula, sese recipiunt, & oculis nostris subducunt.

Ut secunda ratio quæ mens de corporum distantia judicat explanetur id cognitum velim; nimirum, Figura oculi pro diversâ corporum distantia diversa quoque necessariò debet esse. Quum enim homo quispian corpus sibi proximum videt, oculi ipsius longiores esse debent

*Secunda ratio quæ de distantia judicamus.*



quàm quum corpus remotius est; ut enim radii istius corporis in nervo optico recolligantur, quod quidem ut distincta fiat visio necesse est; sanè distantia inter nervum opticum & crystallinum major esse debet.

Vid. ultimam illustrationem num. 31. & seq.

Si crystallinus convexior fieret, quum corpus propinquum est, id perinde quidem esset ac si oculus in longitudinem porrigeretur, sed crystallinum facillè mutare posse convexitatem suam credibile non est; præter quàm quòd oculum in longitudinem porrigi, experimento manifesto patet. Anatomia enim docemur quosdam esse musculos qui oculum circundant, istosque musculos oculum prementes sentimus cum aliquid cominus spectamus.

Sed quo pacto id fiat tenere hinc nil opus est, satis est si sciamus oculi dispositionem immutari; sive a musculis illum circundantibus prematur, sive nervuli respondentis ligamenti illis *ciliaribus*, quæ crystallinum inter alios oculi humores suspensum tenent, remittantur ad augendam crystallini convexitatem, vel intendantur ad ipsam minuendam, sive denique dilatetur aut contrahatur pupilla, multi enim sunt quorum non aliam mutationem patiuntur oculi.

Mutatio enim, qualiscunque tandem illa sit, eo tantum fit, ut radii in nervo optico recolligantur. Jam autem sive corpus quoddam quingentis aut sexcentis passibus, sive decies mille leucis a nobis distet, eadem prorsus oculorum dispositione a nobis prospicitur, nullam in musculis oculum circundantibus aut nervis qui ligamenti *ciliaribus* crystallini respondent, neque in aperturam pupillæ memorabili immutatione factam; radiique in retinam sive in nervo optico accuratissimè recolliguntur. Mens igitur corpora decem aut etiam centum millibus leucarum distita quingentis aut sexcentis tantum passibus distare judicaret, si de istorum corporum distantiam ex solâ illâ oculorum dispositione de quâ loquutus sum judicium ferret.

Hanc tamen rationem mentem in judiciis suis adjuvare certum est, cum corpus est propinquum. Si, exempli gratiam, corpus semipede duntaxat distet, ipsius distantiam ex dispositione musculorum qui oculos nostros premunt, ut fiant longiores, facillè discernimus; atque hæc dispositio non sine dolore aliquo comparatur. Si idem duobus pedibus distet, distantiam illam adhuc discernimus, quia dispositio quamvis non amplius dolorem pariat, sensum tamen quendam in mente gignit. At si illud aliquot pedibus adhuc amoveatur, dispositio musculorum mentem nostram adeo debiliter afficit, ut iudicio nostro circa distantiam corporis quicquam opitulari desinat.

Ambæ igitur illæ rationes cognoscendæ distantiam quas jam enarravimus prorsus inutiles sunt, cum res objectæ sexcentis aut circiter passibus distant, nec etiam, quamvis propius admoveantur, tutæ haberi possunt.

Tertia ratio quæ de re-

Tertia ratio consistit in magnitudine imaginis quæ in internam oculi nostri parte pingitur, & quæ res quas videmus nobis repræsentat, imaginem



nem istam minui recedente re objectâ, nemo est qui diffiteatur. Sed quo remotius est corpus quod situm suum mutat, eò magis imaginis dirimutio impercepta est. Cùm enim corpus quodpiam ab oculis nostris jam satis distat ut sexcentis, verbi gratiâ, passibus, aut alio quovis spatio simili pro corporis ipsius magnitudine, corpus illud, inquam, non mediocriter potest recedere nullâ tamen in illius imagine sensibili immutatione factâ, ut demonstratu facile est. Tertia igitur illa ratio eodem quo priores laborat vitio.

Præterea observandum est mentem non illa omnium remotissima corpora judicare, quorum imago picta in retinâ minor est. Quum, exempli gratiâ, hominem & arborem, & utrumque centum passibus a me distitum, aut plures in cœlo stellas adspicio, hominem arbore, stellâsque minores majoribus esse remotiores statim non judico, quamquam hominis & stellarum imagines in retinâ pictæ minores sint imaginibus arboris & stellarum majorum. Insuper rei magnitudo cognoscenda est, ut ipsius distantia aliquatenus saltem cognoscatur. Quia autem compertum mihi est domum homine majorem esse, licet imago domus hominis imagine major sit, domum \* tamen homine ideo propinquiorem esse non judico. De stellis res pariter se habet. Illas oculi nostri in eâdem distantia positas nobis exhibent: nonnullas tamen aliis longè remotiores esse per quàm verosimile est. Cùm igitur innumeræ sint res, quarum magnitudinem non cognoscimus, innumeras pariter esse quarum distantia nos latet credere par est.

De corporis alicujus distantia ex vi quâ in oculos nostros agit etiam judicamus; corpus enim remotum corpore propinquo longè debilius agit; necnon ex distinctione & perspicuitate quâ imago corporis pingitur in oculo, cùm enim corpus distitum est, tum oculus, ut illud videat, latius patere debet, unde fit ut radii in oculo confusius recolligantur. Hanc ob causam corpora subobscura, aut minùs distinctè a nobis conspecta distita videntur, cùm contrâ corpora lucida, & distinctè a nobis visa propinqua videantur. Hisce posterioribus rationibus certum circa corporum distantiam stabiliri non posse judicium liquidò patet; quocirca iis non immoror ad ultimam rationem progressurus quæ imaginationem magis adjuvat, & quâ mens corpora esse distita faciliùs judicat.

Sexta igitur & præcipua ratio in eo posita est, quòd non unam rem & a cæteris separatam menti exhibeat oculus. Sed & singula corpora, quæ nos inter & præcipuum quod consideramus corpus interjacent, ipsi conspicua præbet.

Quum verbi gratiâ turrim campanariam satis distitam prospicio, eodem oculi jactu multas terras multâsque domus interjectas ut plurimum video. Quia autem de illarum terrarum illorûmque ædificiorum distantia judico, turrim campanariam ultra hæc omnia positam esse animadvertens protinus & remotiorem, & ampliorem, & celliorem quàm si

*rum objectarum distantia iudicium ferur.*

\* Vid. Illustrationes in hocce caput in responsione ad Regium.

Quarta & Quinta ratio.

Sexta ratio quâ de objectorum distantia iudicamus.



sola appareret ipsam. judico. Imago tamen quam turris illa in internâ oculi parte efformat, ejusdem semper est magnitudinis, sive terræ & ædificia intersint, sive non, dummodo ut supponimus, illam ex eodem vel saltem æquè distanti loco respiciamus; Corporum igitur magnitudinem dijudicamus ex majori minorive ad quam ea posita esse credimus distantia, & corpora inter nos & res objectas interposita imaginationem nostram in judiciis circa distantiam ferendis mirum in modum sublevant; non secus ac de durationis nostræ magnitudine, aut de tempore quod præterit ex quo aliquid a nobis gestum est judicamus ex confusâ eorum quæ post illam actionem vel gessimus vel successivè cogitavimus recordatione. Hæc enim aut cogitationum aut actionum nostrarum series mentem nostram adjutat in dijudicandâ temporis cujuslibet vel etiam partis alicujus, durationis nostræ longitudine, vel potius confusa harum omnium cogitationum sese mutuò excipientium recordatio nihil aliud est præter ipsum de duratione nostrâ judicium. Quemadmodum visio confusa terrarum quæ inter nos & turrim campanariam interjacent nihil aliud est præter ipsum de distantia turris judicium, hæc enim judicia nihil aliud sunt quàm compositæ sensationes.

Vid. illustrationes in hocce. caput in responsione ad Regisium.

Hinc percipere facile est cur Luna sub ortum nobis grandior appareat, quàm quum supra horizontem eminent. Cùm enim oritur Luna, multis leucis distans, immo ultra horizontem sensibilem aut terras quæ visum nostrum terminant sita nobis videtur. At verò cùm directè supra horizontem nostrum eminent, tum semileucâ tantum, vel septies ædificiis nostris sublimior videtur. Itaque illam prope horizontem sitam longè grandiore judicamus, quàm cùm ab illo valde distita est; quia nempe illam orientem judicamus longè remotiorem, quàm cùm jam supra horizontem nostrum editissima eminent.

Non pauci quidem Philosophi id quod dicimus vaporibus e terra ascendentibus tribuunt, quia, inquiunt ii, vapores illi radios lunæ frangentes eam nobis majorem exhibent; verum certè hallucinantur, quid enim efficiunt refractiones? nempe supra horizontem altiùs attollunt astra, sed angulum opticum sub quo conspiciuntur, nedum augeant, aliquantulum contra minuunt. Nec obstant eæ refractiones quò minus imago illa quæ in internâ oculorum nostrorum parte pingitur, cùm Lunam videmus orientem, sit minor quàm imago quæ efformatur, cùm luna jamdudum orta supra caput nostrum eminent.

Astronomi quorum est Planetarum diametros metiri tantò magis augeri observant Lunæ diametrum quantò ab horizonte magis recedit, ac proinde quantò minor nobis videtur; itaque diameter imaginis quæ in internâ oculorum nostrorum parte pingitur minor est, cùm Lunam videmus majorem. Re verâ Luna oriens a nobis totâ terræ semidiametro remotior est, quàm quum supra verticem nostrum directò eminent. Nec aliam ob causam ipsius diameter augetur, cùm supra horizontem ascendit, tum enim ad nos accedit.




Cur igitur illam, dum oritur, majorem videmus? non certè propter refractionem radiorum a vaporibus terræ factam, cum imago ex istis radiis efformata minor sit; sed id oritur ex judicio naturali quod de ipsius distantia ferimus, quia nempe trans terras a nobis longè distitas, ut jam dictum est, posita videtur. Rem fanè stupendam! Philosophos hujusce erroris sensuum nostrorum causam inventu difficiliorem existimare quam maximas algebrae *æquationes*.

Hæc ratio quâ de alicujus corporis distantia ex ipsâ rerum inter nos & illud interjectarum distantia judicamus, nobis sat utilis est, cum nobis aliæ inutiles sunt rationes de quibus supra. Hac enim postremâ ratione quædam corpora multis leucis a nobis distita esse facile judicamus, quod aliarum rationum ope judicare non licet; illam tamen si expendas, multis vitiis scatere comperies.

Ac primò quidem hæc ratio circa res duntaxat usu venit quæ super tellure positæ sunt, rarò admodum, atque inutiliter ut plurimùm circa res quæ sunt in aëre vel in cœlis. Secundò in tellure etiam eâ ratione uti non datur, nisi circa corpora aliquot tantummodo milliaribus distita. Tertiò, certò sciendum est nullane nos inter & illud corpus interjaceant valles, aut montes, aut aliud quodlibet simile quod obstat quominus eâ ratione utamur. Denique nemo est, ut puto, qui plus satis non sit expertus, quàm incerta sint judicia quæ circa corporum distantiam ferimus ex sensibili rerum interpositarum visu. His etiam fortè diutiùs æquo immoror.

Hæc igitur sunt omnes quibus de corporum distantia judicamus rationes; Ex vitiis deprehensis jam colligere est judicia iis innixa per quàm incerta esse.



Unde nullo negotio præcedentes propositiones meas demonstrare possum. Corpus G a corpore A satis distitum supposui: Ergo multoties ad-moveri potest ad D, aut accedere ad B, ita tamen ut nemo mutationem illam



illam animadversurus sit; quandoquidem non est tuta ratio dijudicandæ ipsius distantia. Immo versùs D recedere potest, cum ad B accedere censebitur, quia imago rei objectæ nonnunquam in retinâ augetur, sive ob trepidationes quasdam quæ nonnunquam sunt in nervo optico, sive quia aër inter rem objectam & oculum interjectus radios interdum magis refrangit, seu denique quia impressio quam collectio radorum non satis accurata agit in retinam ad partes quasdam transit quæ ipsâ tamen affici non deberent, quod non unâ de causâ contingere potest. Itaque imago tum major facta eò mentem adducit ut credat corpus accedere. De cæteris propositionibus idem esto iudicium.

Priùs quàm huic capiti finem imponam istud observatum velim; scilicet, ad vitæ nostræ conservationem perquàm utile esse ut eò accuratiùs motum aut quietem corporum cognoscamus, quò corpora illa propiùs ad nos accedunt; hanc verò accuratationem non ita esse utilem, cum corpora a nobis distita sunt. Ex hâc enim observatione, illius quod de omnibus sensibus in genere protuli veritas patet; sensus scilicet nostros res nobis patefacere duntaxat quatenus nobis sunt utiles, non verò quales in se sunt. Motum enim & quietem corporum, ut jam dictum est, eò accuratiùs cognoscimus, quò magis ad nos accedunt; de iis verò sensuum nostrorum ope iudicare definimus, cum ita a nobis recesserunt, ut corpori nostro nec utilia ampliùs nec noxia esse possint. Ut, verbi gratiâ, cum a nobis sexcentis aut circiter passibus recedunt, si saltem alicujus sint magnitudinis, vel etiam si propiùs adsint, quum sunt minora, aut denique longiùs, si sint majora.

Secundò etiam hoc mihi prædicendum videtur, ea scilicet iudicia de corporum magnitudine, distantia &c. non a mente ipsâ ferri ex rationibus quas modò explicui, sed ab ipso Deo per leges conjunctionis mentis cum corpore; atque ideo naturalia vocavi hæc iudicia, ut nempe innuerem ea in nobis formari nobis insciis, atque etiam invitis. Sed cum Deus ea in nobis & pro nobis excitet qualia ipsi ea ferre possimus si geometriam, opticam, quicquid in oculis nostris & in cerebro nostro agitur perfectè nosceremus, sique mens nostra per se agere, & sibi sensationes præbere possit, ideo mentem exhibeo ut iudicantem, ratiocinantem, & in se postea sensationes excitantem; quæ tamen omnia non alium authorem habere possunt quàm Deum ipsum infinitè intelligentem & potentem. Ubi primùm igitur aperti sunt oculi nostri, Deus solus uno temporis puncto magnitudinem, figuram, motum, & colores omnium quæ nos circumdant corporum nos docere potest. Sed cum id tantùm peragat occasione impressionis quam ea corpora in nostrum corpus agunt, sensationes nostras ideò varias esse statuendum est quòd variæ sint eæ impressiones, quemadmodum id statuere conatus sum menti nostræ eas cognitiones, eamque potentiam tribuendo, quâ tamen ipsam carere nemo nescit, & sufficienter id ego monui, dum naturalia dixi ea iudicia unde pendent sensationes nostræ.



Cæterum si ad ea attendatur quæ in nobis, dum oculos in medio agro aperimus, nobis etiam insciis peraguntur, Deum indefinenter in nobis agere, eamque ejus actionem omnino necessariam esse facile quivis agnoscat. Deum dico, non naturam, hæc enim vaga *naturæ* vox, quæ tam frequenter usurpatur, non distinctius exprimit quod per eam intelligunt quàm Aristotelis *ἐνδελέχεια*. Facile, inquam, quivis agnoscat, Deum semper agere per easdem leges, semper ex regulis geometriæ & optices, semper secundum cognitionem ejus quod in nostris peragitur oculis, eoque cum situ & motu corporis nostri collato, per innumera semper ratiocinia quæ ad vitæ nostræ conservationem tendunt; quæ ratiocinia sunt momentanea, & singulis oculorum nostrorum motibus mutantur; ratiocinia dico, humano scilicet more loquens, omnia enim actu æterno efformantur: uno verbo, si vel hoc unum attentè meditemur, Omnipotentis manum sentiemus, atque ipsius in providentiâ sapientiæ impenetrabiles altitudines.

## C A P U T X.

*De erroribus circa qualitates sensibiles. I. Distinctio animæ & corporis. II. Organa sensuum explicantur. III. Cui corporis parti anima immediatè conjuncta sit. IV. Quid corpora externa agant in corpus. V. Quid in mentem, & cur mens non percipit motus fibrarum corporis. VI. Quatuor in unâquâque sensatione vulgò confunduntur.*

**S**uperioribus capitibus judicia quæ ex oculorum nostrorum testimonio circa extensionem, figuram & motum corporum formamus nunquam esse accuratè vera probavimus. Illa tamen non esse usquequaque falsa fatendum est. Hanc saltem includunt veritatem, extensionem, scilicet, figuras, motus, qualiacunque tandem illa sint, extra nos esse.

Multa quidem videmus quæ nec sunt, nec unquam fuerunt, nec ex eo quòd aliquid extra nos videmus illud revera extra nos existere statim colligere licet. Ab ideâ menti hominis cujuscumque præsentis ad veram rei illius quam idea repræsentat existentiam nulla est necessaria consequentia, ut vel ex somniantibus aut delirantibus plus satis liquet. Cum tamen extensionem, figuras, motus videmus, illa *Vide Hæc ut plurimum* revera esse extra nos asserere tutò possumus. Hæc non strationes.

*tantum*



tantum imaginaria, sed vera sunt, nec fallimur cum ipsis existentiam veram, & ab intellectu nostro non pendentem tribuimus, quamquam id probatu sit perquam difficillimum.

Judicia igitur quæ circa extensionem, figuras, & motus corporum a nobis feruntur aliquam includere veritatem constat. Verum res secus se habet de judiciis quæ circa lucem, colores, sapores, odores, cæterasque qualitates sensibiles decernimus; illa enim, ut in reliquo hoc primo libro conspicuum erit, semper falsa sunt.

Lux a coloribus hæc a nobis non disjungitur; tum quia reapse inter se non valde differunt, tum etiam quia seorsim explicari non possunt. De cæteris etiam qualitibus sensibilibus in genere eodem tempore quo de hisce duabus agetur; quippe quæ omnes ex eisdem dogmatibus sint a nobis explicandæ. Infra dicendis igitur utpote superius dicta & pondere & utilitate suâ longiùs exsuperantibus enixè attendendum est.

*Distinctio  
animæ &  
corporis.*

\* Vid.  
Colloquia  
de metaphisicâ 1.  
coll. n. 1.2.

Ac primò quidem Lectorem suppono mentem a corpore probe distinguere ex positivis attributis & proprietatibus quæ duabus hisce substantiis competunt. Corpus nihil aliud est præter extensionem in longitudinem, latitudinem & profunditatem; \* Atque omnes eæ proprietates in motu tantummodo, quiete, & innumeris diversis figuris consistunt: clarè enim patet 1°. extensionis ideâ exhiberi substantiam, quippe quæ seorsim ab omni aliâ re concipi possit. 2°. Nihil aliud hæc ideâ repræsentari posse quàm successivas aut permanentes distantia relationes, hoc est motus ac figuras, in extensione enim nihil aliud cerni potest præter id quod in eâ continetur; Extensionem in qualescunque imaginaberis partes divisam supponito, eæ partes in quiete sunt aut in motu, relationes quæ inter eas partes dantur clarè concipies, verum has relationes idem esse cum gaudio, cum voluptate, cum dolore, cum calore, cum sapore, cum colore, aut aliâ quâcunque sensibili qualitate nunquam concipies, quamvis eas qualitates tum sentias cum aliqua in tuo corpore evenit mutatio. Dolorem v. g. sentio cum digitum mihi pungit spina, sed illud foramen quod in digito meo spina efficit non idem est cum dolore; foramen est in digito, ut oculo conspicitur, sed dolor est in mente, cum enim vividissimum ipsa sentit, & sic ingrata admodum modificatione afficitur. Non alias igitur corpori proprietates tribuere par est quàm eas de quibus modò; mens contra est ille ego ipse qui cogito, qui sentio, qui volo; ea est substantia in quâ sunt omnes quas intimè sentio modificationes, quæ non nisi in mente ipsas sentiente subsistere possunt. Menti igitur nulla tribuenda est proprietas quæ a variis ipsius cogitationibus differat; Lectorem ergo hæc suppono mentem a corpore probè distinguere. Si verò ex jam dictis non sufficienter pateat quæ detur inter duas illas substantias differentia, legat lector & meditetur quosdam Divi Augustini locos, ut, verbi gratiâ, 10. cap. libri decimi de Trinitate, quartum & decimum quartum caput libri de Quanti-



Quantitate mentis, aut Meditationes Viri clarissimi Cartesii, idque præcipue quod ad distinctionem corporis & animæ seu mentis spectat; aut denique sextam dissertationem de distinctione animæ & corporis viri cl. De Cordemoy.

Præterea lector anatomix organorum sensuum peritus esse debet. Ipsum nempe non debet latere organa illa constare ex tenuibus fibris e medio cerebro originem suam ducentibus, quæ hinc in singula membra sensu prædita disperguntur, ac denique nullâ interruptione facta ad externas usque corporis nostri partes extenduntur; Illarum autem fibrarum, dum vigilamus aut prosperâ utimur valetudine, alterum extremum moveri non posse, quin extremum oppositum protinus moveatur, propter ipsarum perpetuam intentionem; quemadmodum funis contenti alterum extremum altero immoto movere non potes; Quod a lectore etiam resciri velim.

Has autem fibras verosimillimum est canaliculos esse spiritibus animalibus imprimis in vigiliâ omnino repletos; eosque spiritus animales, ubi quatitur altera harum fibrarum extremitas, ad cerebrum usque eandem transmittere agitationem quam extrinsecus patiuntur; verum an per eandem spirituum animalium agitationem, an per continuatam ad cerebrum usque ipsarum fibrarum concussionem externorum corporum actio in idem cerebrum perferatur, id est quod nunc expendere non opus est. Scire sufficiat eam actionem alterutro aut utroque modo simul in illud transmitti.

Insuper neminem fugere debet hæc fibras bifariam moveri posse, scilicet per extremum illud quod est extra cerebrum, vel per extremum illud quod est intra cerebrum. Si fibræ illæ a corporibus extrinsecus afficiuntur, ita ut ipsorum agitatio ad cerebrum usque non perveniat, ut fit per somnum, tum ex illâ agitatione mens nullam novam recipit sensationem, Si verò tenues illæ fibræ spirituum animalium concursu, aut aliâ quâvis causâ intrinsecus in cerebro moventur, tum mens aliquid percipit, quamvis fibrarum illarum partes extra cerebrum sitæ, & per omnes corporis nostri partes dispersæ omnino quiescant, ut iterum in somno contingit.

Nec abs re erit hîc etiam obiter unum observare quod experientiâ duce cognoscimus. Nos scilicet in quibusdam corporis nostri partibus penitus refecatis dolorem interdum sentire. Quia scilicet fibris cerebri, quæ istis partibus respondent, eodem modo ac si revera partes illæ fauciarentur, commotis, mens nostra in partibus istis imaginariis verum sentit dolorem. Hæc enim mentem in illâ cerebri parte in quâ hæc sensuum organa originem suam sortiuntur immediatè residere evidenter demonstrant: Residere dico, hoc est, nec enim aliud quicquam intelligo, eam ibi quicquid mutationis in cerebro externorum occasione evenit sentire, eamque nonnisi fibrarum illarum interventu, aut, si malis, per diversas spirituum animalium in his decurrentium concussionem percipere posse quod extra hanc cerebri partem agitur: persuasum enim

Malebrancii de Inquisit. Verit.

G

II.  
Organorum  
sensuum ex-  
plicatio.

III.  
Mentem  
immediatè  
conjugi  
cum eâ ce-  
rebri parte  
in quâ or-  
gana sen-  
suum  
coeunt.





enim habeo mentem non alibi immediatè residere posse quàm in ideis, quæ solæ eam possunt movere & excitare, felicem aut infelicem reddere, ut alibi explicabo. Hoc posito & clarè intellecto, quomodo fiat sensatio nullo negotio comperies, sed rem uno exemplo dabo claram.

IV.  
*Exemplum, quo quid externa corpora valeant in corpore explicatur.*

Quum acûs cuspidem manui meæ applico, cuspis illa movet & dividit fibras carnis meæ. Fibræ illæ hinc ad cerebrum usque porriguntur, & dum vigilo, satis intenduntur ut externæ partes immotis internis cerebri partibus moveri non possint. Extrema igitur fibrarum cerebri etiam moventur; jam autem si fibræ manûs mediocriter moveantur, tum & fibræ cerebri mediocriter movebuntur. Quòd si motus ille ita vehemens sit ut aliquid in manu disrumpat, tum etiam in cerebro vehementior & violentior sentietur.

Pariter si manum ad ignem admoveas, particulæ ligni quas innumeras indefinenter & vehementer pellit, ut id ratio deficiente visu demonstrat, fibras concutiunt, & ipsis aliquam agitationis suæ partem imperiuntur. Si illa agitatio temperata sit, temperata pariter erit agitatio fibrarum cerebri quæ manui respondent. Si autem agitatio illa ita violenta sit in manu, ut in eâ particulas aliquas discerpat, ut fit cum in aliquâ corporis parte combureris, tum etiam agitatio internarum cerebri fibrarum & vehementior & violentior erit: illud est quod in corpore nostro agitur, cum externis corporibus afficimur, jam videamus quid menti nostræ contingat.

V.  
*Quid externa corpora agant in mentem, & cur mens non percipiat motus fibrarum corporis.*

Mens autem in illâ cerebri parte, ex quâ omnes nervorum nostrorum fibræ principium suum ducunt, præcipuè, si fas sit ita loqui, sita est. Ibi verò constituta fuit ut singulas corporis nostri partes foveat atque tutetur; ac proinde omnes quæ in illis fibris fiunt mutationes ipsam accipere par est; ut mutationes corporis constitutioni congruas ab iis quæ ipsi officiunt discernere valeat; ipsi enim eas simpliciter & sine ullâ ad corpus relatione cognoscere foret inutile. Quapropter, quamvis omnes illæ fibrarum mutationes in motibus duntaxat revera consistant, qui in se plerumque non differunt nisi quatenus sunt vel plus vel minus vehementes; mens tamen de iis quasi naturâ suâ differrent judicare tenetur. Licet enim in se parum differant, si tamen conservationem corporis respicias, eas omnino differre haud dubiè comperies.

Hæc ratio-  
cinatio  
confusa, aut  
istud judi-  
cium natu-  
rale nihil  
est præter  
sensatio-  
nem com-  
positam.

Motus, exempli gratiâ, dolorem pariens non valde ut plurimum differt ab illo motu qui titillationem excitat; inter hosce duos motus essentialem existere differentiam haud opus est, quamvis titillatio & dolor, quæ ambo illi motus in mente excitant, necessariò inter se differant. Quippe commotio fibrarum unde oritur titillatio menti denunciat validam corporis constitutionem, quâ externæ impressioni ita resistere potest, ut nullus timendi locus detur ne ex ejusmodi impressione quicquam detrimenti patiatur. Verum motus unde oritur dolor,



dolor, cum paulò violentior sit, aliquam corporis fibrã rumpere potest; cui malo ut consulat mens, molestã aliquã sensatione eam moveri par est. Itaque, quamquam motus qui in corpore excitantur in se re-  
Vide quæ supra dixi de iudiciis naturalibus & cap. 1. lib. 3. n. 3.  
 vera non differant, nisi quatenus alii aliis vehementiores sunt, illos tamen, si vitæ nostræ conservationem respicias, omnino differre agnosces.

Hanc ob causam mens nostra commotiones quæ ab externis corporibus excitantur in carnis nostræ fibris non percipit; ipsas cognoscere ei foret inutile; quippe quæ ab iis non possent accipere an quæ nos circumcingunt corporis nostri compagem vel conservarent vel destruerent: sed iis afficitur sensationibus quæ essentialiter differunt, quæque externarum rerum qualitates, quatenus saltem corporis interest, ipsi indicantes ipsam etiam distinctè docent, an res illæ corpori possent officere.

His adde quòd, si mens nihil præter id quod in manu agitur momento combustionis, si nihil, præter motum aut divisionem aliquot fibrarum perciperet, id certè susque deque haberet; quin imo ejusmodi motibus nonnunquam fortè repentino quodam actò impetu delectaretur, vesanorum illorum adinstar, quos per furorem aut libidinem omnia subruere juvat.

Vel non secus ac captivus carceris sui claustra dirui non ægro cerneret animo, vel etiam spe libertatis adductus gauderet. Ita, si solam partium corporis nostri divisionem perciperemus dum comburimur, felicitatem nostram facilè arbitantes non in eo positam esse ut corpore quod nos à beatitudine nostrâ potiùs amovet includamur, ipsius destructionem exoptaremus.

Unde liquet authorem connexionis animæ cum corpore summã instituisse sapientiã, ut dolorem tum sentiremus cum in corpore talis contingit mutatio, ut ex ipsã detrimentum patiatur; ut, verbi gratiã, cum acus carni infigitur, aut cum ignis ipsius partes dividit; titillationem verò aut sensationem quamlibet jucundam experiremur, quum motus illi temperati sunt; Et hæc omnia quidem sine ullâ perceptione eorum quæ revera in corpore nostro aguntur, aut motuum fibrarum de quibus antea.

Primò, quum dolorem & voluptatem, quæ toto genere differunt, sentimus, corpora quæ istis sensationibus occasionem præbuerunt faciliùs dignoscimus. Secundò, hæc ratio quã monemur an corporibus nos ambientibus adhærere, an verò ab iis recedère debeamus, brevior est, & mentis quæ Deo soli comparata est, capacitatem minùs occupat. Denique, cum dolor & voluptas sint modificationes mentis quas cum respectu ad corpus suum percipit, quæque illam magis afficiunt quàm cognitio motuum aliquot fibrarum, hinc fit ut ad istas sensationes sollicita attendat, conjunctiõque duarum hominis partium arctior evadat. Ex his igitur liquet sensus nobis concessos fuisse, non ut ab iis



veritatem doceamur, sed tantum ut eorum ope vitam nostram confer-  
vemus.

Quod de titillatione & dolore dictum est, de omnibus sensationibus  
in genere intellectum velim, ut infra clarius patebit. Ab hisce duabus  
sensationibus potiusquam ab aliis initium duximus, tum quia vividiores  
sunt, tum quia rem præstant clariorem.

Nos circa lucem & colores, nec non generatim circa omnes quali-  
tates sensibiles, ut circa frigus, calorem, odores, sapes, sonum, do-  
lorem; voluntatem innumeros errores admittere jam facile est demon-  
stratu. Quid si singulos errores nostros, circa omnia quæ sensus nostros  
afficiunt expedire esset animus? Multi certè anni, re adhuc infectâ,  
præ ingenti illorum errorum numero, consumerentur. De iis igitur  
generaliter dicere sufficiat.

VI.  
Quatuor  
vulgò con-  
funduntur  
in unâquâ-  
que sensa-  
tione.

In omnibus penè sensationibus quatuor licèt diversa confunduntur,  
quia, scilicet, simul & velut uno temporis puncto aguntur. Atque illa  
est cæterorum errorum sensuum causa.

Primum quod confunditur est *actio* corporis externi, hoc est, in ca-  
lore, exempli gratiâ, *impulsio* & motus particularum ligni in fibras manûs.

Secundum est *passio* organi sensûs, hoc est, agitatio fibrarum manûs  
orta ex impulsione particularum ignis, quæ agitatio ad cerebrum usque  
pervenit, alioqui enim mens nil sentiret.

Tertium est *passio*, sensatio, aut perceptio mentis, hoc est, id quod  
quilibet sentit quum ad ignem accedit.

Quartum est *judicium* quo mens judicat id quod sentit esse in manu  
suâ & in igne. Judicium autem illud naturale nihil aliud est præter sen-  
sationem, hanc verò sensationem, seu hoc judicium naturale aliud ferè  
semper comitatur liberum judicium quod mens ferè ita consuevit ut ab  
eo vix temperare queat.

Hæc quatuor, ut videre est, longè diversa sunt, nec tamen vulgò  
distinguuntur, arcta scilicet conjunctio quæ est inter mentem & corpus  
sæpe impedit quò minus hæc distinguere valeamus, quippe propter hanc  
tam arctam conjunctionem proprietates materiæ a proprietatibus mentis  
sive substantiæ incorporeæ sejungere vix possumus.

Nemo tamen est qui ad rem attendens non videat ex hisce quatuor  
quæ in nobis aguntur dum aliquo externo corpore afficimur duo prio-  
ra ad corpus, duo verò posteriora ad mentem duntaxat pertinere. Si  
saltem priusquam ad hancce lectionem se accinxerit super mente & cor-  
pore aliquamdiu fuerit meditatus, ut præsuppositum est. Sed hæc seor-  
sim sunt explicanda.



## CAPUT XI.

- I. De errore quem admittimus circa actionem rerum objectarum in fibras externas sensuum. II. Causa hujus erroris. III. Objectio cum responsione.

**I**N hoc capite & in tribus sequentibus de hisce quatuor quæ confundi & quasi simplex esset sensatio haberi mox diximus agetur. Errores in quos eo respectu incidimus generali tantum ratione explicabuntur; nullus enim esset dicendi finis, si eos sigillatim enumerare aggredieremur. Qui tamen jam dicenda serio expendet, omnes errores sensuum nostrorum nullo negotio deprehendet. Verum id ab illo vehementer exoptem, ut nempe supra dictis & infra dicendis attentus incumbat.

Quod primum confunditur in unâquâque sensatione est actio externorum corporum in fibras externas corporis nostri. Nullam fere admitti differentiam inter sensationem mentis & ipsam rerum externarum actionem, pro certo constat; nec res comprobatione indiget. Plerique Homines calorem in igne a quo excitatur esse arbitrantur, lucem esse in aëre, & colores in corporibus coloratis. De motibus corpusculorum quæ istas sensationes excitant aut potius comitantur, ne per somnium quidem cogitantes.

Dolorem esse in acu quâ punguntur non existimant quidem, quemadmodum calorem esse in igne credunt. Quia nempe acus & ipsius actio sub visum cadunt, particulæ verò ligni ex igne emissæ, motusque quo manus nostras movent, visum nequaquam feriunt. Cum itaque nihil videamus quod manus nostras attingat dum calefimus, caloremque tamen in iis sentiamus, hunc calorem esse in igne, in illo nihil aliud deprehendentes, sponte nostrâ judicamus.

Plerumque igitur sensationes nostras externis corporibus tribuimus, quum causæ istarum sensationum nos latent. Quia verò dolor & titillatio corporum sensibilibus actione excitantur, ut verbi gratiâ, acu aut pennâ quas videmus & tangimus, hanc ob causam in hisce corporibus quicquam esse quod sensationibus nostris simile sit non imaginantur.

Nihilominus tamen combustionem non esse in igne, sed tantum in manu judicamus; quamquam hæc combustio, non secus ac calor quem igni tribuere solemus, a ligni particulis producat. Sed hujusce judicii hæc est causa; combustio, scilicet, est quoddam doloris genus; jam autem, cum multoties dolorem non esse in corpo-

I.  
De errore  
qui admittitur  
circa actionem rerum  
externarum in  
fibras sensuum  
nostrorum.

II.  
Hujus erroris  
causa.

III.  
Objectio.



re externo à quo excitatur senserimus, idem de combustione iudicium nullo negotio facimus.

Ad hoc iudicium hâc etiam de causâ impellimur; dolor scilicet, aut combustio mentem nostram corporis nostri partibus attentissimam præbent, quæ attentio ab aliâ quâvis cogitatione mentem deterret; quo pacto sensationem ex combustionem ortam ei tribuit quod sibi præsentissimum est. Quia autem paulò post combustionem vestigia quædam in parte combustâ reliquisse comperimus, hoc experimento combustionem esse in manu certiores adhuc evadimus.

Hoc tamen non obstat quò minus hoc axioma generale admittatur. Nos, scilicet, *vulgò tribuere sensationes nostras corporibus externis, quotiescunque illa corpora motu partium quarundam invisibilium in nos agunt.* Nec aliam ob causam colores, lux, odores, sapes, sonus, cum aliis quibusdam sensationibus, in aëre, aut in corporibus externis \* à quibus excitantur, inesse vulgò creduntur; quia, nempe, istæ omnes sensationes motu corporum quorundam imperceptorum in nobis excitantur.

\* Infra docebo quo sensu corpora externa sensationum sint causa.

Cæterum a nobis pendere non arbitrandum est ut candoris sensationem nihi tribuamus, aut eam candidam videamus; neque ut dolorem puncto digito potiusquàm acui pungenti assignemus.

Id omne in nobis peragitur nobis insciis aut etiam invitis, ut de ratiociniis naturalibus dicebamus in capite nono. Cùmque hæc omnia vitæ nostræ conservandæ causâ tantum in nobis peragantur, inde manifestò patet vividas & quæ ad nostrî conservationem conducunt sensationes in digito sentiri debere, ut eum retrahamus, aliàs verò quæ non ita ad conservationem nostram profunt ut colores, v. g. corporibus externis tribui opus esse, ut per eas alia ab aliis discerni queant: Cùm autem nondum probaverim res corporeas in se non cerni, neque quid sit quod videmus cùm eas adspicimus adhuc explicuerim, hîc clarè non possum exponere cur aut quî nihi albedo, aut in genere corporibus colores conjuncti sint; Id enim pendet ex idearum cognitione quæ mentem movent, & mentis oculos, ut ita dicam, illuminant, cùm aperiuntur oculi corporis.



## CAPUT XII.

- I. De erroribus circa motus fibrarum sensuum nostrorum.  
 II. H<sup>o</sup>sce motus nobis esse imperceptos vel a nobis confundi cum sensationibus nostris. III. Res experimento probatur. IV. Tria sensationum genera. V. Errores quos secum ducunt.

QUod secundò in unâquâque sensatione deprehenditur est commotio fibrarum nervorum nostrorum, quæ cerebrum pertingit. In eo autem erramus quòd scilicet hanc commotionem cum sensatione mentis nostræ semper confundamus; quòdque, cum nullam commotionem in sensibus deprehendimus nullam revera esse statim judicemus.

Commotionem, exempli gratiâ, quam ignis excitat in fibris manûs nostræ cum sensatione caloris confundimus, calorémque in manu nostrâ esse dicimus. Quia autem commotionem illam, quâ res visibiles nervum opticum in internâ oculi parte positum movent, non sentimus, nervum illum non moveri, nec coloribus quos videmus obduci existimamus; contra solum corpus externum hisce misceri coloribus censemus. Colores tamen nervo optico æquè fortiter ac vividè impressos esse ac rebus visibilibus experimento sequenti patebit.

Sumatur oculus bovis recens jugulati, detrahantur pelliculæ illæ quæ pupillæ adversæ sunt juxta nervum opticum, & in earum loco charta quædam ita tenuis ut sit pellucida supponatur. Hoc facto, oculus ille fenestræ cujusdam foramini applicetur, ita ut pupilla aëri objiciatur, posterior verò oculi pars includatur intra cubiculum, quod ita clausum & obturatum esse debet ut perobscurum sit. Tunc omnes corporum quæ extra cubiculum posita sunt colores in internâ oculi parte resperfos conspicias; sed ita tamen ut corpora inversa appareant. Quod si colores non sint satis vividi, oculus erit in longitudinem extendendus, compressis ipsius lateribus, si nempe corpora quæ internâ oculi parte pinguntur sint propinquiora, si verò remotiora, oculus erit contrahendus.

Si igitur sensus nostri veritatis inveniendæ causâ nobis essent concessi, aut si rationem in judiciis nostris circa res sensibiles ducem sequeremur, colores in interna oculorum parte judicare aut sentire haud dubiè deberemus, quemadmodum calorem in manibus nostris esse judicamus.

At verò ut hujusce judiciorum nostrorum anomalie circa qualitates sensu-

I.  
 Errores circa motus aut concussiones fibrarum.

II.  
 Eos motus cum mentis nostræ sensationibus confundi, & aliquando esse imperceptos.

III.  
 Res experimento probatur.



Insensibiles causa aliqua afferatur, animadvertendum est mentem corpori tam arctè conjunctam esse & ex quo peccavit, adeo carni obnoxiam adeoque tantopere inattentam evasisse, ut ipsi corpori multa tribuat quæ sua sunt, utque vix ac ne vix semetipsam à corpore suo discernere queat; adèd ut ipsi non modò sensationes omnes de quibus jam agitur, verùm etiam vim imaginandi, & ipsam quandoque ratiocinandi facultatem tribuat. Non paucis enim Philosophis ingenium fuit adeo stolidum & præposterum, ut mentem nihil aliud esse crederent præter delicatissimam & subtilissimam corporis partem.

Cuivis Tertullianum attentè legenti res manifestò patebit. Ipse enim se cum multis aliis authoribus in hæc esse sententiã profitetur. Nec quemquam de suâ sententiã ambigere sivit, cùm in Libro, quem *de animâ* composuit, probare conatus fuerit nos eò ut animam credamus corpoream, fide, scriptura, necnon revelationibus specialibus adduci. Nec id mirum, siquidem eò amentia devenit ut Deum ipsum corporeum esse imaginaretur. Ejusmodi opinionibus confutandis non immoror, quippe qui jam supposuerim Lectorem meum legisse quosdam libros Divi Augustini, aut Viri Clarissimi Cartesii, ubi hujusce sententiæ ineptia satis demonstratur, & distinctio extensionis a cogitatione, & mentis a corpore immotis stabilitur fundamentis.

Tanta est igitur mentis cæcitas, ut se ipsa non cognoscat, propriasque sensationes suas esse non animadvertat. Verùm ut id clarius explicetur; tria sensationum genera in mente distinguenda veniunt. Nonnullæ, scilicet, validæ sunt & vividæ; nonnullæ debiles & languidæ; nonnullæ denique inter utrasque mediæ.

IV.  
Tria explicantur  
sensationum  
mentis genera.

Sensationes validæ & vividæ eæ sunt quæ mentem commovent & vehementer excitant, quia ipsi vel jucundissimæ sunt vel molestissimæ: hujus generis sunt, dolor, titillatio, frigus acre, ingens calor, eæ denique omnes in genere quæ non modò vestigia quædam in cerebro imprimunt, verùm etiam quæ spiritus animales versùs internas corporis partes movent mittuntque, hoc est quæ ita movent spiritus, ut ex hoc motu excitari possint affectus, ut infra patebit.

Sensationes debiles & languidæ eæ sunt quæ mentem leviter attingentes ipsi nec jucundæ nec molestæ sunt, ut lux mediocris, omnes colores, soni ordinarii & debiliores, &c.

Sensationes denique inter utrasque mediæ eæ sunt quæ mentem mediocriter afficiunt, ut lux præfulgida, sonus vehemens, &c. Jam autem sensatio debilis & languida primò mediæ, ac deinde vividæ fieri potest. Sensatio, exempli gratiã, quæ ex luce oritur, debilis est, cùm lux e face emissã languescit, aut cùm fax ipsa procul sita est, sed hæc sensatio mediæ fieri potest, si fax propius admoveatur; at verò validissima & vividissima evadit, si facem ita admoveas, ut oculi perstringatur; ut id etiam continget si solem prospicias. Sensatio igitur lucis juxta varios gradus, valida, debilis aut mediæ esse potest.

Hæc



Hæc sunt igitur mentis nostræ judicia circa hæc tria sensationum genera; ex quibus videre est ipsam impressiones sensibiles, aut naturalia sensuum judicia cæco quodam impetû sequi; adeo ut per omnia externa quæ contemplatur amet, ut ita dicam, excurrere, iisque quæ sua sunt tribuere.

V.  
Errores qui  
sensationes  
comitantur.

Priores sensationes mentem adeo vividè afficiunt ut eas non possit non agnoscere suas, ita ut ipsas non modo in corporibus externis inesse judicet, verùm etiam in membris sui corporis, quod ut sui ipsius partem habet: Unde fit ut frigus & calorem non solum in glacie aut in igne sed & in manibus suis esse censeat.

Sensationes verò languidæ mentem adeo leviter attingunt, ut eas nec suas esse judicet, nec in seipsâ, nec in corpore suo, sed in externis corporibus duntaxat esse censeat. Non aliâ de causâ corpora externa luce & coloribus exornamus, dum iis mentem & oculos nostros spoliamus; quamvis hanc lucem hósque colores in ideâ materiæ nequaquam includi ipsâ ratione comperiamus, & experientiâ doceamur, nos hancce lucem & hósce colores in oculis nostris pari jure collocare debere atque in corporibus; siquidem ea in oculis nostris cernimus æquè ac in corporibus, ut ex oculo bovino in fenestrâ collocato probavi.

Cur autem colores, odores, sapes, cæterasque sensationes ut quasdam mentis nostræ modificationes primo intuitu non habeamus, hæc est causa, quia nempe ideam mentis nostræ claram & distinctam non habemus. Cum enim rem quampiam ex ideâ quæ rem istam repræsentat cognoscimus, tum omnes istius rei modificationes clarè cognoscimus. Nemo est, exempli gratiâ, qui non fateatur rotunditatem esse quandam extensionis modificationem, quia, scilicet, nemo est qui extensionem ex ideâ clarâ quæ ipsam repræsentat non cognoscat. Cum itaque mentem nostram non per ideam suam, ut alibi id explicabo, sed tantum internâ quâdam conscientiâ cognoscamus, certè non possumus comperire ex simplici visu, sed tantum ratiocinio, an albedo, verbi gratiâ, lux, colores, & cæteræ sensationes debiles sint necne mentis nostræ modificationes. Ad sensationes verò vividas, ut dolorem & voluptatem, quod attinet, illas quidem in nobis esse facile judicamus, quia nempe ipsis vividè afficimur, nec ut a nobis tanquam nostræ agnoscantur ipsarum ideis indigemus.

At circa sensationes medias mens non parum ambigit. Hinc enim ad judicia naturalia sensuum propendens a se ipsâ quantum potest hæc sensationes amovet, ut eas corporibus tribuat; illinc verò non potest quin eas ut suas agnoscat & sentiat; potissimum quum sensationes illæ ad validas & vividas accedunt. Sic igitur in suis judiciis procedit; si sensatione quâdam fatis vividè attingitur, tum sensationem illam in corpore suo, non secus ac in corpore externo esse judicat. Si cæ leviter duntaxat attingitur, tum eam in corpore externo duntaxat esse cen-



set; quòd si sensatio illa inter utrâsq̄ue accuratè media est, tum mens, si sensus solos habeat magistros, quò se vertat incerta est.

Si, exempli gratiâ, candelam eminus prospicio, mens mea lucem in solâ candelâ residere judicat. Si verò candelam illam ad oculos meos quàm proximè admoveo, tum mens lucem non in candelâ tantùm, sed etiam in oculis esse judicat. Quòd si candelam ab oculis amoveo ad pedis distantiam, tum mens an lux illa in solâ sit candelâ aliquandiu incerta hæret. Sed nunquam eò adducitur, quò tamen adduci deberet, ut, nempe, lucem nec esse, nec esse posse materiæ proprietatem aut modificationem, & ad se solam pertinere judicet, quia, scilicet, ratione suâ ad hancce veritatem affequentiam non utitur, sed sensibus duntaxat, qui unius corporis conservacionis causâ comparati veritatem nunquam aperiunt.

Cur autem mens ea quæ sensibus percipi queunt contemplans ratione, hoc est, purâ intellectuione suâ non utatur, hæc est causa. Nimirum, rebus purâ intellectuione perceptis non commovetur, cùm contrâ rebus sensibilibus vehementissimè commoveatur. Mens enim neglectis iis rebus quibus non commovetur, iis solùm attendit quibus vehementer commovetur; judicia igitur sua libera ad judiciorum naturalium sensuum normam plerumque dirigit.

Ut igitur rectum lucis & colorum cæterarumque qualitatum sensibilibus feratur iudicium, sensus coloris a motu nervi optici sedulò distinguendus est, animadvertendumque motus & impulsiones esse proprietates corporum, quæ proinde in corporibus externis & in organis sensuum esse quidem possunt; at verò lucem & colores esse modificationes mentis ab aliis longè diversas, quæque proinde ideas etiam longè diversas efformant.

Rusticus enim, exempli gratiâ, colores quidem probè videt, & eos a qualibet aliâ re discernere novit. Nullum etiam motum in corporibus coloratis, nec in internâ oculorum suorum parte deprehendit. Ergo color non est motus, seu est quid a motu diversum. Pariter, Rusticus calorem quidem probè sentit, illumque a qualibet aliâ re quæ non sit calor dignoscere potest, fibras tamen manûs suæ fuisse motas nequaquam cogitat; calor igitur ille quem sentit non est motus, cùm ideæ caloris & motûs diversæ sint, alteramque sine alterâ possit habere. Nullam enim aliam asserere potes causam cur quadratum non sit rotundum, quàm quia idea quadrati diversa est ab ideâ rotundi, & quia de quadrato cogitare potes, de rotundo non cogitares.

Si tantillum attendas facilè comperies non necessarium esse ut causa quæ hujus vel illius rei sensationem in nobis excitat rem illam in se contineat. Quemadmodum enim, cùm oculis manu meâ percussis lucem video, non necesse tamen est ut lux sit in manu meâ. Sic cùm manus ad ignem admovens calorem sentio, non necesse est ut sit calor in igne. De cæteris qualitibus sensibilibus res eodem modo se



se habet; ut illas sentiam non opus est eas corporibus externis inesse. Corpora illa aliquam in fibris carnis meæ commotionem excitare satis est, ut mens mea ipsis conjuncta aliquâ sensatione modificetur. Nulla est analogia inter motus & sensationes, concedo. Sed nulla pariter est analogia inter corpus & substantiam materiæ expertem; jam autem cum natura sive Creatoris voluntas has duas substantias, quantumvis naturâ suâ oppositas jungat; ipsarum modificationes inter se reciprocari non mirum est, id ita se habere necesse est ut duæ illæ substantiæ unicum componant totum.

Verum enimverò cum sensus ad corporis nostri conservationem aptati fuerint, non frustra est, quòd eorum ope de qualitatibus sensibilibus ita judicemus. Dolorem & calorem in corpore nostro sentire longè utilius nobis est, quàm si istas sensationes in solis corporibus externis esse judicaremus. Cum enim dolor & calor membra nostra lædere possint, mentem nostram moveri par est cum iis afficiuntur, ut huic malo occurrat.

Res verò de coloribus aliter se habet: cum enim internam oculi partem in quam coeunt non possint lædere, haudquaquam opus est ut sciamus ipsos in eâ esse pictos. Colores illi ad id tantum necessarii sunt, ut distinctiùs corpora externa cognoscamus, nec aliam ob causam sensuum nostrorum testimonio freti illos tribuimus solis rebus objectis. Judicia itaque quæ per impressionem sensuum ferimus sunt rectissima, si solam corporis conservationem respicias. Incertissima tamen sunt, immo falsissima, si ad veritatem spectes, ut jam patuit, clariùsque infra patebit.

CAPUT XIII.

I. De naturâ sensationum. II. Circa ipsas ignorantiam nostram non eam esse quam credimus. III. Objectio cum responsione. IV. Cur nullam sensationum nostrarum cognitionem nos habere existimamus. V. Omnes homines earundem rerum objectarum occasione, iisdem affici sensationibus falsò credi. VI. Objectio cum responsione.

Quod tertium in unâquâque sensatione reperitur, seu id quod sentimus, cum exempli gratiâ, prope ignem adstantus, est *Modificatio mentis nostræ orta ex eo quod in corpore cui conjuncta est agitur.* I. Sensationum definitio.  
 Hæc modificatio jucunda est, cum id quod in corpore agitur circulationi sanguinis, cæterisque vitæ functionibus conducit, ea voce caloris æquivocâ



æquivocâ nominatur; illa verò modificatio est molesta, & a priori prorsus diversa, cum id quod in corpore agitur ipsum infestare & comburere potest, hoc est quando motus corporis aliquas ipsius fibras rumpe-re possunt, idque vulgò dicitur dolor seu ustio, & sic de cæteris sensationibus. Sed hæc sunt quæ vulgus circa istud opinatur.

II. *Circa sensationes ignorantiam nostram non eam esse quam credimus.* Ac in eo primùm errat quòd se nullam sensationum suarum cognitionem habere immeritò credat: Innumeros quotidie videas homines circa doloris, voluptatis, cæterarumque sensationum naturam valde sollicitos; quia mentem cum corpore confundentes eas sensationes nihil aliud esse quàm mentis modificationes, ideòque eas in mente tantùm revera occurrere non fatentur. Ejusmodi homines non possunt quin mirer. Res quæ ipsos latere non possunt edoceri tamen volunt; quis enim dolorem sentiens, quid sit dolor penitus ignoret?

Qui, verbi gratiâ, in manu uritur, dolorem quo tunc afficitur a luce, colore, sono, saporibus, odoribus, voluptate, & ab alio quovis dolore apprimè distinguit: Illum dolorem ab admiratione, desiderio, amore, nullo negotio discernit. Rursus illum a quadrato, circulo, motu, quàm facillimè dignoscit. Quid plura? Illum denique ab omnibus iis quæ non sunt ille dolor diversum sentit. Si autem nullam doloris cognitionem haberet, quî, quæso, illud quod sentit ab omnibus suprâ dictis diversum esse certè & evidentè cognosceret?

Id igitur quod immediatè sentimus quum colores videmus, aut alio quovis sensu afficimur, aliquatenus a nobis cognoscitur; nec certè, si id non cognosceremus, quicquam sensibile cognosceremus. Aquam, verbi gratiâ, a vino non possemus distinguere, nisi sensationes ab aquâ ortas a sensationibus a vino ortis diversas sentiremus; & ita de cæteris quæ sensuum ope cognoscimus.

III. *Objectionum respon-sione.*

Quod si me urgeas, & a me exigas ut quid sint dolor, voluptas, color tibi explicem; me id verbis exprimere non posse fateor. Sed quid inde? id non obstat quominus, dum colorem video, aut dum comburo, id quod sentio aliquatenus saltem cognoscam.

Cur autem sensationes verbis exprimi non possint ut cætera, hæc est causa, ab hominum, scilicet, voluntate pendet ideas rerum quibuslibet nominibus ex arbitrio alligare. Cælum nuncupare possunt *Ouranon*, *Schamajim*, Græcorum & Hebræorum exemplo. Verùm isti homines sensationes suas verbis, aut ulli alii rei pro lubitu non alligant: frustra de coloribus coram illis loquaris, eos non vident nisi oculos aperiant. Nullos gustant sapes nisi aliqua in ordine fibrarum linguæ & cerebri fiat immutatio. Uno verbo sensationes non pendunt ab hominum voluntate. Solusque ipsarum author eas in mutuâ convenientiâ quæ inter modificationes mentis & modificationes corporis deprehenditur conservare potest. Si igitur quis calorem aut colorem sibi a me representari cupiat, ut id faciam frustra verbis utar; sed eos motus, quibus hæc sensationes alligavit natura, in ipsius sensuum organis excitari opus est,

ad



ad ignem admoveatur, pictasque videat tabellas oportet.

Atque hæc est causa cur nunquam possis notificare cæcis quid per rubrum, viridè, flavum intelligas. Cum enim a nullo possis intelligi, nisi qui te audit easdem tecum ideas habeat: certè, cum colores non verborum sono, aut motui nervi aurium, sed motui nervi optici alligentur, illi colores non possunt repræsentari cæcis, quia ipsorum nervus opticus rebus coloratis commoveri nequit.

Aliquam igitur habemus sensationum nostrarum cognitionem. Jam videamus cur tamen illas nos non cognoscere credamus, atque idè ipsarum cognitionem quaramus. Hæc est hujus erroris causa.

Mens, ex quo peccavit, facta est veluti corporea inclinatione sua. Amor ille quo sensibilia complectitur conjunctionem sive convenientiam suam cum rebus incorporeis indefinenter minuit. Quæ sensus non feriunt ipsi protinus fastidium tædiùmque pariunt. Quæ sensus non feriunt ea sibi repræsentet in cerebro formare nititur, illique conceptionis generi ab infantia ita affuevit, ut ea quæ non imaginatur sese non cognoscere credat.

Non pauca tamen sunt quæ, cum corporea non sint, imaginibus corporeis menti repræsentari nequeunt, ut v. g. mens nostra cum modificationibus suis. Quum igitur mens nostra naturam suam, propriasque sensationes sibi repræsentare vult, ipsarum corpoream imaginem efformare conatur. In omnibus corporibus seipsam quarit. Et sibi ipsi modò hujus modò illius naturam affingit; modò aërem, modò ignem, modò quandam partium corporis harmoniam sese existimat esse. Cum igitur seipsam inter corpora invenire, suasque modificationes, quæ sensationes sunt, modificationum corporis adinstar imaginari velit, non mirum est, si erret, ac seipsam penitus ignoret.

Quod mentem etiam eò adducit ut sensationes suas imaginatione percipere velit, illud est; ipsas, scilicet, in rebus objectis esse, immo earum rerum modificationes esse judicat; unde fit ut eas tanquam aliquid corporeum & quod imaginibus pingi potest habeat. Sensationum igitur suarum naturam in solo motu qui eas excitat, aut in aliâ quadam corporis alicujus modificatione consistere censet. At verò cum comperit id diversum esse ab eo quod sentit, quod nec corporeum est, nec imaginibus corporeis potest repræsentari, anxia hæret, eoque adducitur ut credat se non cognoscere suas sensationes.

Illos verò, qui quamvis irritò non se macerent molimine ut mentem ipsiusque modificationes corporeis imaginibus sibi repræsentent, & anxii tamen sunt circa sensationum naturam, scire decet mentem nostram, ipsiusque modificationes per ideas non cognosci, si saltem ideæ vocabulum suo vero sensu, quem tertio libro determino & explico, sumatur, sed tantum sensu quodam \* interno, seu mâvis conscientia; cum igitur optant sibi explicari sensationes per ideas, id optant quod penès nullum hominem est. Homines enim nos docere non possunt,

IV.  
Cur sensationes ignorari putantur.

\* II. Pars  
cap. 7. vid.  
etiam illustrationem  
in idem ca-  
formando pur.



formando in nobis ideas rerum, sed eas tantum excitando quas jam habemus.

Secundus error quem circa sensationes admittimus in eo consistit quod eas rebus objectis tribuamus. Is autem capite XI. & XII. explicatus fuit.

V.  
Omnes ho-  
mines ea-  
rundem re-  
rum objec-  
tarum occa-  
sione iisdem  
affici sensa-  
tionibus fal-  
sò credi.

Tertius in eo consistit quod judicemus omnes homines easdem de iisdem rebus objectis habere sensationes. Existimamus, exempli gratià, omnes videre cœlum cœruleum, prata virentia, & cuncta corpora qualia nos ea videmus; & sic de cæteris qualitatibus sensibilibus. Immo non pauci mirabuntur me res juxta ipsorum opinionem extra dubitationis aleam positas in dubium revocare. Ausim tamen asserere hancce ipsorum opinionem nullo legitimo niti fundamento: & quamvis eos non possis erroris mathematicè convincere, possem tamen id demonstrare quòd scilicet, si non errent, id sanè fortunæ acceptum referre debeant. Nec etiam desunt rationes quibus ipsos reapse errare possim affirmare.

Ut propositionis meæ veritas pateat, id quod supra probavi revocandum est in memoriam, sensationes, scilicet, a causis sensationum valde differre. Inde enim inferre licet fieri posse, absolutè loquendo, ut iidem fibrarum internarum nervi optici motus easdem sensationes in diversis hominibus non excitent, sive eosdem non exhibeant colores, & contingere posse, ut motus qui in hoc sensationem cœrulei excitaverit, in illo viridis aut fusci, sive novam prorsus, & quam nemo unquam passus sit, sensationem excitet.

Id fieri posse constat, nec contrarium ullà solidà ratione demonstrari potest; rem tamen sic non se habere verosimilius mihi videtur. Satius est existimare Deum in conjunctione quâ mentes & corpora conjunxit semper æqualiter agere, ipsùmque easdem ideas easdemque sensationes similibus fibrarum internarum cerebri multorum hominum motibus alligare.

Jam igitur id apud omnes constat eosdem, scilicet, motus fibrarum quæ in medium cerebrum cœunt easdem in omnibus hominibus excitare sensationes; certè si eadem res objectæ eosdem in cerebro motus non excitent, easdem proinde in mente non excitabunt sensationes. Jam autem cum organa omnium hominum non sint eodem modo disposita, profectò nec easdem omnes ex iisdem rebus objectis excipere debent sensationes.

Ictus pugni, exempli causâ, quibus animi gratià & in mutæ benevolentiae symbolum sese confricant bajuli, alios homines possent graviter lædere. Idem ictus variè igitur movet hominem robustum, puerum tenerum, & sceminam delicatulam, ac in iis proinde longè diversas excitat sensationes. Cum itaque non sint fortè duo homines quorum organa eodem prorsus modo conformata dici possint, vix pariter reperies duos homines easdem res objectas eodem prorsus modo sentientes.

Nec



Nec aliunde est stupenda illa inclinationum varietas quæ inter homines deprehenditur. Alii musicam deperiunt, alii verò illam negligunt. Ac inter musicæ amatores alii hoc alii illo musicæ genere delectantur, pro varietate propemodum infinitâ fibrarum nervi auditûs, sanguinis, & spirituum. Quantum, exempli gratiâ, differt musica Gallorum, Italarum, Sinarum, & aliarum gentium? ac proinde quantum differunt sensationes variorum istorum populorum circa varia musicæ genera. Variis etiam temporibus eodem concentu sive eâdem Symphonîâ variè afficimur. Si enim imaginatio spirituum rapidè fluentium copiâ æstuet, tum musica licentiosa & dissonans, molliori & ad normam Mathematicam exactâ arridet magis. Id jam experientiâ probatum ratione confirmare non foret difficile.

De odoribus res non secus se habet, qui citrii floris odore gaudet rosæ odorem fortè refugiet, & contrâ.

Circa sapes non minor est varietas quàm circa alias sensationes. Condimenta variè parata esse debent, ita ut diversis hominibus placeant, vel ut eidem homini variis temporibus grata sint.

Sunt quos dulce juvat dum alii acido delectantur; quidam vino gaudent, dum alii illud horrescunt. Ac idem homo cui vinum videbatur jucundissimum dum sanus erat, illud febricitans amarum reperiet. Et sic de cæteris sensibus. Omnes tamen homines voluptate gaudent, sensationibus jucundis delectantur. In hoc inter se optimè consentiunt, iisdem igitur sensationibus non afficiuntur ex iisdem rebus objectis, cum eas non pari prosequantur amore.

Cur igitur homo quispiam se dulci delectari dicit? quia nempe sensatio quam in ipso excitat dulce ipsi jucunda est. Cur verò alter se dulci non gaudere dicit, quia reverâ eâdem quâ prior non afficitur sensatione. Atque cum dicit se dulci non gaudere, non idem est ac si diceret se non eâdem quâ alterum delectari sensatione, sed se tantum non eâdem illâ affici. Impropiè igitur loquitur qui dicit se non amare dulce; aptius loqueretur si diceret se non amare saccharum, mel, &c. quæ cæteris dulciora videntur. In iis verò se non eundem deprehendere saporem, quia nempe fibræ linguæ diversè dispositæ sunt a fibris cæterorum hominum.

Sed exemplum istud erit clarius. Ex viginti hominibus unum fingamus qui manibus algeat, quisque ignoret voces quibus utuntur Latini ut sensationes frigoris & caloris exprimant, cæteri verò manus habeant calidissimas. Si per hyemem iis admoveretur aqua frigidiuscula lavandi ergo, ii quibus essent manus calidæ sese vicissim lavantes aptè quidem dicerent, hæc aqua nimis frigida est, id mihi molestum est. Qui verò manibus alget ad lavandum sese accingens, diceret certè, nescio cur aquam frigidam fugiatis, ego verò frigore & lavatione istâ delector.

Ex hoc exemplo liquidò patet hunc hominem qui se frigus amare profite-



profiteretur idem significasse ac si dixisset se amare calorem ipsūque sentire calorem ubi cæteri frigus experiuntur.

Pariter cū quis dicit, amaris gaudeo, dulcia non possum ferre, idem est ac si diceret se iisdem non affici sensationibus quibus afficiuntur ii, qui dulcibus delectantur, amara verò horrent.

Sensatio igitur cuiuspiam jucunda iis omnibus quoque jucunda erit qui eadem afficiuntur, sed eadem res objectæ illam in omnibus non excitant propter diversam organorum sensuum dispositionem. Quæ observatio in Physicis & Moralibus non levis est momenti.

Unum hîc solutu non difficile quis fortè possit objicere, eosdem homines cibos, quos modò cum voluptate comedebant, nunc horrere, sive quia inter manducandum impuri aliquid irrepsit quod fastidium creavit, sive ob morbum ex cibo illo immoderatè sumpto contractum, sive aliâ quâvis de causâ. Illi homines, inquit, iisdem quibus antea non amplius gaudent sensationibus; iisdem enim afficiuntur, cū adhuc iisdem utantur cibis; eas tamen jucundas non amplius experiuntur.

Ut huic objectioni respondeam, animadvertendum est, istos homines, dum cibos gustant quos horrent fastidiuntque, duabus sensationibus longè diversis affici; sensatione, scilicet, cibi quem comedunt, ut supponit objectio, & sensatione fastidii quæ inde oritur quòd immunditiam quam cibis intermixtam deprehenderunt apud se imaginantur. Cū, nempe, duo motus in cerebro eodem tempore excitati sunt, alter sine altero non excitatur amplius, nisi tempus memorabile abhinc effluerit, sic quia sensatio jucunda sine sensatione illâ injucundâ nunquam excitatur, & quia res quæ eodem tempore fiunt confundere solemus, hanc sensationem quæ antea jucunda erat injucundam existimamus, si tamen eadem semper est, eam semper esse gratam necesse est, igitur, si injucunda existimetur, id ex eo oritur quòd cum aliâ confundatur, quæ plus parit fastidii quàm hæc voluptatis.

Colores, & alias quasdam sensationes quas debiles & languidas nuncupavi, easdem non esse in omnibus hominibus probare difficilius est. Istæ enim sensationes mentem adeo leviter attingunt, ut non aequè possis distinguere utra sit jucundior, ac illud in saporibus aut aliis sensationibus vividioribus distinguis, nec proinde diversitatem sensationum ex varietate voluptatis aut fastidii quæ in diversis hominibus deprehenderentur agnoscere queas. Eadem tamen ratio quâ cæteras sensationes in diversis hominibus non esse similes demonstramus ostendit pariter esse diversitatem in sensationibus colorum. Quis enim inficietur multam esse varietatem in organis visûs multorum hominum non secus ac in organis auditûs aut gustûs? perfecta enim similitudo in nervo optico omnium hominum nullâ ratione asseri potest; cū in rebus Naturæ, & præcipuè in materialibus infinita sit varietas. Omnes igitur homines eosdem colores in iisdem corporibus non videre verosimile est.

Nunquam

VI.  
Obiectio  
cum respon-  
sione.



Nunquam tamen, aut vix unquam, ut puto, contingit ut quidam homines corpus album & nigrum videant sub alio colore quàm quo videmus, quamvis illud non æqualiter album aut nigrum conspiciant. Colores verò medios quod spectat, ut rubrum, flavum, & cæruleum, & eos potissimum qui ex hisce tribus constant, perpauca sunt qui de iis eandem prorsus habeant sensationem. Nonnulli enim reperiuntur qui corpora quædam altero oculo conspicientes illa vident flava. Si verò eadem altero conspiciant oculo, illa videbunt viridia aut cærulea. Si tamen illi homines coclites nati supponerentur, vel iis oculis instructi quibus id quod viride dicimus cæruleum viderent, corpora sub iisdem coloribus ac nos sese cernere crederent; quippe qui viride aut cæruleum id dicitari audivissent quod flavum aut rubrum viderent.

Ex eo etiam probare possemus eosdem homines eadem corpora sub eodem colore non cernere, quòd, juxta quorundam observationes, iisdem colores omnibus non æquè arrideant; si enim hæ sensationes eadem essent, certè omnibus hominibus æquè arriderent. Quia verò in hoc argumentum quædam non levia responso mox dato freta objici possunt, ab illo utpote non satis solido abstinemus.

Nec revera æquè frequens est ut colorem alteri longè postponas, ac frequens est ut hoc sapore multò magis quàm illo delecteris. Cujus differentiæ hæc est causa, sensationes, scilicet, colorum ad id non excitantur ut judicemus an corpora nobis alendis sint apta, necne. Id autem voluptate & dolore duobus genuinis boni & mali characteribus indicatur. Corpora verò quatenus colorata esu nec bona nec mala sunt si corpora quatenus colorata nobis jucunda aut injucunda viderentur, ipsorum præsentia semper moverentur spiritus animales quorum agitatio affectus excitat, mens enim affici non potest quin commoveatur. Bona odio, mala amore sæpe prosequeremur, vitamque hoc pacto non diu conservaremus. Quid plura? sensationes colorum in nobis dumtaxat excitantur ut corpora discernamus & a se invicem distinguamus. Quæ distinctio perinde fit si herbam videas rubram ac si illam viridem videres, dummodo illam semper sub eodem colore videas.

Sed hæc de sensationibus dicta sufficiant; jam de judiciis naturalibus, & de judiciis liberis quæ ipsa comitantur agamus. Illud est quod quæto confundimus cum tribus de quibus supra.



## CAPUT XIV.

*I. De falsis judiciis quæ sensationes nostras comitantur, quæque cum iis confunduntur. II. Falsorum illorum judiciorum causa. III. Errorem in sensationibus nostris non esse, sed tantummodo in istis judiciis.*

*I. De falsis judiciis quæ sensationes nostras comitantur, quæque cum iis a nobis confunduntur.*

**N**on paucos, opinor, repugnantes habebit hæc nostra generalis propositio, quâ nos nullam habere sensationem rerum externarum asserimus, quæ unum aut plurima non includat judicium. Plerique, ne vel ullum existimant comperiri judicium verum aut falsum in sensationibus nostris. Illi igitur homines hujusce propositionis novitate attoniti, hæc secum. At verò quæ ista? hunc murum esse album non judico, illum tamen album clarissimè video; dolorem esse in manu meâ non judico, illum tamen in manu meâ certissimè sentio. Quis res adeo certas in dubium revocet, nisi res objectas sentiat aliter ac ego eas sentio? Immo ipsorum in præjudiciis infantia tenacitas ipsos fortè ulterius adducet; nec immeritò sanè eos inter moderatos ac sui compotes accenseas, si hæc in re dissentientes non contemnant, contumeliisque non laceffant.

Sed quid opinionibus nostris tam infaustum auguramur eventum? ipsas potius in tantam lucem edamus, tamque validis stabiliamus argumentis, ut eas nemo quantumvis pervicax oculis apertis possit adoriri, nec ad eas attendere quin protinus eas admittat. Nobis incumbit probandum, nullam esse sensationem rerum externarum quæ aliquod judicium falsum non includat. Quod sic probatur.

Mentes nostræ non eam habent capacitatem quæ possit implere ingenia illa spatia quæ nos inter exstant & stellas fixas; nemo est ni fallor qui id neget, licèt ipsi concederem mentem esse quid extensum; hoc posito, non est quòd quis credat mentes nostras in coelis esse dum in illis vident stellas. Nec ipsas etiam mentes credibile est e corporibus suis ad mille passuum spatium transmeare, ut domos ad eam distantiam videant. Mentem igitur stellas & domos ubi non sunt videre necesse est, cum e corpore suo non egressa videat tamen illas domos & stellas extra suum corpus positas. Cum autem in coelis non sint stellæ quæ menti immediate junguntur, & quas solas mens videre potest, hinc sequitur omnes homines qui stellas in coelis vident, quique deinde eas in coelis esse sponte judicant, duo falsa judicicia ferre, quorum alterum naturale est, alterum verò liberum. Alterum est judicium sensuum,



suum, sive sensatio composita quæ in nobis est insciis nobis atque etiam invitis, & ex quâ judicandum non est. Alterum est iudicium liberum voluntatis a quo possumus abstinere, quòdque ideo suspendere debemus, ut error vitetur.

Sed cur eadem stellæ quas immediatè videmus extra mentem & in coelis esse credantur, hæc est causa. Quia nempe penes mentem non est eas pro lubitu videre. Eas enim dumtaxat percipit cum in cerebro excitantur motus quibus ideæ istarum stellarum naturâ alligantur; Quia autem mens organorum motus non percipit, sed suas tantum sensationes, & quia præterea suas sensationes in se a seipsâ non excitari pro certo habet, eò adducitur ut ipsas extrinsecus & in causâ quæ eas ipsi repræsentat esse credat, atque ista iudicia, statim ac eas res objectas percipit, ferre ita consuevit ut ab iis vix possit desuescere.

Ut suprà dicta penitus exigentur & explicarentur, ostendenda esset inutilitas innumerarum istarum minutarum rerum quæ species & ideæ vulgò dicuntur, quæque, cum nihil sint omnia tamen repræsentant, quas pro lubitu creamus & destruimus, quasque imaginatio nostra commenta est ut eorum quæ non intelligimus rationem reddamus. Demonstrandum esset quàm solida sit eorum sententia qui existimant Deum esse verum patrem luminum, qui solus omnes illuminat homines, sine quo veritates etiam simplicissimæ intelligi non possent, & ipse sol quantumvis in se lucidus nobis non affulgeret; Ea enim est sententia quæ me ad hocce paradoxum deduxit, eas scilicet ideæ, quæ nobis res creatas repræsentant, nihil aliud esse præter perfectiones Dei, quæ rebus illis creatis respondent, illasque repræsentant. Denique ut hæc clariora evaderent, explicanda esset mea de idearum naturâ sententia, sic enim clariùs multò de jam dictis loqui possem; Sed hæc diutiùs nos detinerent. Hæc ad tertium librum remittimus ordinis causâ. Jam sufficiat, si exemplum unum certum & manifestum afferam, in quo plurima iudicia cum eadem sensatione confusa sive mixta deprehendentur.

Nemo est, ut puto, qui Lunam prospiciens illam a se mille passibus aut circiter distitam non videat; quisque illam orientem vel occidentem majorem non videat quàm cum supra horizontem eminent, imo fortasse qui se eam dumtaxat majorem videre non putet, nullum in suâ sensatione iudicium inesse simul iudicando, nisi tamen esset iudicium quoddam in sensatione suâ inclusum, Lunam ad eam distantiam ad quam ipsi apparet non videret; & præterea illam videret minorem cum oritur, quàm cum supra horizontem eminent, illam enim ideo dumtaxat majorem videmus dum oritur quia ipsam remotiorem iudicamus iudicio quodam naturali, de quo capite sexto actum est.

Sed præter iudicia nostra naturalia quæ sensationes compositæ haberi possunt, in omnibus penè sensationibus iudicium quoddam liberum deprehenditur, iudicio enim non tantum naturali homines iudicant dolorem, exempli gratiâ, esse in manu, verum id etiam iudicant iudicio libero;

II.  
Falsorum  
istarum ju-  
diciozum  
causa.



libero; eum dolorem in manu non sentiunt modò, sed & credunt inef-  
fe; atque ejusmodi judicia tam altas egerunt radices, ut ab iis vix tem-  
perare possint. Hæc tamen judicia in se falsissima sunt, quamquam sed  
conservationem vitæ utilissima. Sensus enim nihil nos nisi ratione cor-  
poris docent; & cuncta judicia libera sensuum judiciis conformia a vero  
sunt alienissima.

\*Ut hæc ri-  
tè intelli-  
gantur  
ante le-  
genda sunt  
quæ de na-  
turâ idea-  
rum dicam  
in Libro  
III. aut duo  
prima col-  
loquia de  
metaphy-  
câ.

Verùm ut horum omnium rationes detegendi viam \* indicemus, duo  
esse entium genera hic tenendum est; entia, scilicet, quæ mens no-  
stra immediatè videt, & entia quæ non nisi horumque priorum ope  
cognoscit. Cùm, verbi gratiâ, Solem orientem percipio, primò per-  
cipio solem illum quem immediatè video; quia verò priorem illum so-  
lem ideo tantùm percipio, quia aliquid est extra me quod motus quos-  
dam in oculis meis & in cerebro excitat, tum judico priorem illum so-  
lem qui in mente meâ est extrinsecus esse, & nunc existere.

Contingere tamen potest ut priorem illum solem qui menti nostræ im-  
mediatè conjungitur videamus altero supra horizontem non eminente, vel  
etiam non existente. Pariter priorem illum Solem majorem videre pos-  
sumus dum alter oritur, quàm quum supra horizontem eminet. Quam-  
vis autem verum sit priorem illum solem quem immediatè videmus ma-  
jorem esse dum alter oritur; hinc tamen non sequitur alterum illum so-  
lem revera majorem esse. Solem enim revera orientem propriè non vi-  
demus, cùm a nobis infinitis prope distet spatiis, sed priorem illum vi-  
demus, qui reapse major est qualis nobis videtur. Quæcunque enim  
immediatè videmus, ea semper reipsa videmus ut sunt: & in eo tan-  
tùm fallimur quòd existimemus id quod immediatè a nobis conspicitur,  
esse in externis corporibus quorum interventu illud videmus.

Pariter quum priorem illum Solem menti nostræ immediatè conjun-  
ctum percipientes lucem videmus, non fallimur si credamus id quod  
a nobis conspicitur esse lucem. Res est indubitata. Sed in eo versa-  
tur error quòd sine ratione, immo etiam contra rationem, lucem il-  
lam quam immediatè videmus, in sole extra nos posito existere conten-  
damus. Res sic se habet de cæteris rebus sensibilibus.

Ex supra dictis nemo est qui non facilè comperiat, inter omnia quæ  
in unâquâque sensatione deprehenduntur errorem duntaxat reperiri in ju-  
diciis, quibus sensationes nostras in rebus objectis esse judicamus.

III  
Errorem in  
sensationi-  
bus nostris  
non versari,  
sed tantum  
in istis ju-  
diciis.

Primò enim, non error quidem est ignorare actionem rerum objecta-  
rum consistere in motu quarundam ipsarum partium, motumque il-  
lum ad organa sensuum transire, quæ duo in singulis sensationibus an-  
te omnia reperiuntur. Rem enim ignorare & circa illam errare, toto  
cælo differunt.

Secundò, in eo quod tertio in singulis sensationibus deprehenditur,  
quod est ipsa sensatio, non erramus. Dum sentimus calorem, lucem-  
que, colores & alias res objectas videmus, nos ea videre verum qui-  
dem est, licet phrenesi laboraremus. Omnes enim delirantes haud du-  
biè



biè vident id quod vident, ipforumque error in folis judiciis confifit, quibus id quod vident revera extra fe exiftere judicent, eo ipfo quod illud videant extrinfecus pofitum.

Illud iudicium libertatis noftræ confenfum fecum fert, ac proinde nos in errorem injicit. Et ab ipfo, quantum in nobis eft, abftinere par eft, juxta canonem initio hujufce libri traditum. Nunquam fcilicet de ullâ re judicare debemus quandiu à iudicio poffumus abftinere, & ad illud evidentiâ ac certitudine non adigimur, ut hîc contingit. Licet enim confuetudine altè inhærente eò propendeamus ut fensationes noftras in rebus objectis eſſe judicemus, calorem, verbi gratiâ, eſſe in igne, & colores in tabulis pictis, nullâ tamen ratione certâ & evidenti ad id credendum impellimur. Adeo ut errori ultro nos mancipemus perverfo libertatis ufu, cùm ejuſmodi iudicia liberè formamus.

## C A P U T XV.

*Speciales viſûs errores explicantur, ut errorum generalium ſenſuum ſint exemplum.*

JAm igitur, ni fallor, viam fatiſ facilem patefecimus ad cognofcendos errores ſenſuum noſtrorum circa qualitates ſenſibiles in genere, de quibus actum eſt occasione luminis & colorum, quæ primò explicari ordo poſtulabat. Nunc ſingulos errores in quos ſenſuum ductu incidimus ſigillatim examinare operæ pretium foret. Iis tamen non immorabimur, quia cuilibet ad ſuprà dicta attento abundè ſatiſfactum putamus. Errores tantum generales in quos viſus noſter nos circa lumen & colores injicit proferemus, quo exemplo omnes cæterorum ſenſuum errores facile diſcas.

Quum aliquandiu Solem conſpeximus, hæc ſunt quæ in oculis & in mente noſtrâ aguntur, atque hî ſunt errores quos admittimus.

Qui prima Dioptrica tenent elementa, nec mirabilis oculorum noſtrorum ſtructuræ omnino ſunt imperiti, non ignorant radios Solis in *crystallino* aliifque humoribus aliquantum refrangi, ac deinde in *retinâ* ſeu nervo optico qui totam internam oculi partem tapetis inſtar ſternit, recolligi non ſecus ac radii Solis per vitrum convexum permeantes colliguntur in *foco* ſeu puncto comburenti hujus vitri ad diſtantiam duorum, trium aut quatuor digitorum, pro ipſius convexitate. Charta niſi Jam autem, ut experienciâ docemur, ſi in *foco* iſtius vitri fragmentum aliquod panni aut chartæ nigræ collocetur, radii Solis adeo vehementer agunt in pannum aut chartam, ipſiufque particulas tanto impetu exagitant,



ēro majori  
vel magis  
convexo  
ad uren-  
dam char-  
tam albam.

tant, ut eas rumpant & a se invicem dividant, uno verbo exurant, ac in fumum aut cineres redigant.

Ex quo experimento illud colligere est, si scilicet nervus opticus esset niger, & si pupilla, aut uveæ foramen quo lux in oculos transit, ita dilataretur ut facilem permetteret radiis Solis transitum; cum contrā coarctetur ut transitum illum præcludat; retina nostra eodem modo afficeretur quo pannus aut charta nigra; ipsiusque fibræ tantopere agitantur ut brevi frangerentur & urerentur. Nec aliam ob causam plerique homines, si solem tantillum respiciant; gravi afficiuntur dolore, quippe pupillæ foramen ita non possunt claudere, ut sat radiorum non ingrediatur ad agitandas vehementer fibras nervi optici, nec sine ruptionis periculo.

Mens nihil eorum quæ diximus cognoscit, dūmque solem adspicit, nec nervum opticum, nec motum in eo excitatum percipit. Sed id non est error, est tantum simplex ignorantia, primus ipsius error in eo est quod judicet dolorem quem sentit esse in oculo.

Si postquam Solem conspiciatus fueris, locum perobscurum oculis apertis subeas, tunc ille fibrarum nervi optici motus qui solaribus radiis excitatus fuerat minuetur, ac paulatim immutatur; nec alia potest concipi mutatio in fibris retinæ, nisi quod leves quædam in iis insuper excitantur convulsiones, quales patitur semper nervus omnis qui læsus fuit. Illud tamen non est quod mens percipit, percipit duntaxat lumen quoddam albicans & flavum; ac secundus ipsius error in eo est quod lucem illam quam videt in oculis aut in muro proximo esse judicet.

Denique agitatio fibrarum *retinæ* semper decrescens paulatim cessat; illud verò non est quod mens in oculis percipit. Colorem illum qui albus erat, aureum, postea rubrum, viridem, ac tandem cœruleum fieri observat, colorumque fulgorem videt paulatim minui, ut minuitur retinæ agitatio, & priores redire colores, sed sine ullo ordine, propter eam quam patitur retina convulsionem; atque tertius quem hâc in re admittimus error, in eo consistit quod judicemus in oculo nostro, aut in muro nobis proximo mutationes fieri quæ longè aliter quàm gradibus inter se differunt, quia scilicet colores aureus, cœruleus & ruber longe aliter inter se differunt quàm gradibus.

Hi sunt aliquot ex erroribus nostris circa lucem & colores; atque isti in alios nos conjiciunt, ut infra patebit.



## CAPUT XVI.

- I. *Errores sensuum nostrorum nobis esse loco axiomatum generalium & fecundissimorum, ex quibus falsas conclusiones elicimus, quæ vicissim pro axiomatibus habentur.* II. *Differentiarum naturalium origo.* III. *De formis substantialibus.* IV. *De quibusdam erroribus Philosophiæ Scholasticæ.*

Quæ jam explicata sunt dummodo præjudiciis vacuos & attentos incidunt, naturam sensationum nostrarum erroresque generales qui in iis reperiuntur satis superque demonstrabunt. Jam superest ut ostendamus homines hisce erroribus generalibus usos esse quasi axiomatibus quibusdam indubitatis, quibus omnia explanare voluerunt; ex iis erroribus innumeras deduxisse consequentias, ex quibus iterum veluti ex axiomatibus quibusdam novas adhuc collegerunt consequentias; atque hoc pacto scientias illas imaginarias, inanes ac omni destitutas veritate conflatas esse, quas homines cæco quodam impetu consecantur, quæque spectrorum adinstar eos pudore suffundunt qui miserè sese ab iis deludi sinunt; Unde illud ineptiæ genus quæ tot homines eò adduxit ut vanis sese pascant chimæris & phantasmatibus. Sed hæc exemplis sunt illustranda.

I.  
Errores sensuum nobis sunt loco axiomatum generalium ex quibus falsas conclusiones elicimus quæ vicissim pro axiomatibus habentur.

Jam probavimus hunc morem apud nos invaluisse ut sensationes nostras rebus objectis tribuamus, utque colores, odores, sapes, cæteræque qualitates sensibiles in corporibus coloratis odoratis, &c. esse judicemus; In hoc nos errare comperimus; Jam superest ut demonstremus nos hoc errore uti, tanquam axiomate ex quo falsas ducimus consequentias; quas deinde consequentias veluti alia quædam axiomata habemus quibus ratiocinia nostra fulcimus: Uno verbo incumbit nobis explicandum quo ordine procedat mens nostra in investigandis specialibus quibusdam veritatibus, ubi semel hoc falso ita imbuta est axiomate, *sensationes*, scilicet, *nostras esse in rebus objectis*, ut illud indubitatum existimet.

Verùm ut id fiat manifestius, aliquod corpus sumamus cujus naturam investigare propositum sit; videamus quo modo se gereret quilibet qui ad mellis & salis naturam cognoscendam se accingeret. Primò certè utriusque colorem, odorem, saporem, cæteræque qualitates sensibiles consideraret; quænam sint mellis, quænam salis qualitates; quæ in re inter se conveniant, quæ in re discrepent, & quam habeant analogiam cum qualitatibus cæterorum corporum. Hoc factò, ad hunc modum,



modum, ni fallor, ratiocinaretur, si saltem sensationes esse in rebus objectis pro certo crederet.

II.  
Origo differentiarum  
quæ rebus  
objectis tribuuntur,  
istas differentias esse  
in mente.

Quæcunque sentio inter gustandum, videndum & tractandum mel & sal illud, sunt in melle & in sale illo. Jam autem certum est id quod sentio in melle, essentialiter differre ab eo quod sentio in sale, albedo salis a colore mellis haud dubiè longè aliter differt quàm gradibus; & sic dulcedo mellis a pungente salis sapore; ac proinde differentia essentialis inter mel & sal debet esse, cum id quod in utroque sentio non gradibus tantum sed essentialiter differat.

Hoc primum. Namque ille homo non alio modo potest judicare mel & sal essentialiter differre, nisi quia species sive indicia externa unius a specie sive indiciis externis alterius essentialiter differunt; hoc est quia sensationes mellis a sensationibus salis essentialiter differunt; alio, inquam, non potest judicare modo, quia tantum judicat ex impressione quam utrumque in sensus facit. Suam igitur conclusionem habet, veluti novum quoddam axioma, ex quo alias deducit conclusiones, ad hunc modum.

III.  
Formarum  
substantiarum  
origo.

Cum igitur mel & sal cæteraque corpora naturalia a se invicem essentialiter differant; illi haud dubiè toto cælo errant qui nos eò adducere vellent, ut totum discrimen quod intercedit inter hæc corpora in variâ duntaxat particularum ex quibus constant configuratione consistere credamus. Cum enim figura non sit essentialis corporibus, certè licet figura particularum illarum quas in melle imaginantur immutaretur, mel semper esset mel, licet ipsius partes salis partium figuram accepissent. Unde prorsus necesse est ut substantia quædam sit, quæ materiæ primæ omnibus corporibus communi adjuncta, differentiam essentialem inter ipsa constituat.

Hoc modo sic secundò procedens homo ille *formas substantiales* educret, egregium illud & felix ingenii humani commentum, substantias fanè fecundas, quæ, cum in solâ Philosophi nostri imaginatione existant, quicquid in naturâ conspicimus producant tamen! sed jam quibus proprietatibus ens illud rationis suæ liberaliter sit ornaturus videamus, cæteras enim substantias suis proprietatibus essentialibus, ut iis novum illud ens induat, spoliare non dubitavit.

IV.  
Origo cæterorum  
errorum generalium  
Physicæ Scholasticæ.

Cum igitur, pergit ille, unumquodque corpus naturale ex duabus constet substantiis; alterâ quæ melli, sali, cæterisque corporibus communis est; alterâ verò quæ efficit ut mel sit mel, sal sit sal, & ut cætera corpora sint id quod sunt; hinc sequitur primam substantiam, quæ est materia, cum non habeat contrarium, & ad omnes formas sit indifferens, sine vi & actione esse debere, quippe quæ nihil habeat a quo sibi præcavere opus sit. Cæteræ verò substantiæ quæ sunt formæ substantiales, qualitativis atque facultativis perpetuò stipari & muniti debent, ipsas oportet indefinenter excubias agere ne fortè de improvviso occupentur; suæ conservationi perpetuò consulant, imperium



rium in materias vicinas prorogent, victorias denique suas, quantum in se est, longè latèque proferant necesse est. Si vi & actione carerent, ab aliis formis subito oppressæ annihilarentur, pugnent igitur indefessæ, & adversus formas illas sibi insidiantes antipathias & odia internecina foveant æquum est.

Quod si forma aliqua materiam aliis formæ, forma cadaveris, exempli gratiâ, corpus canis occupet; forma illa canis formam annihilare non contenta, ut odium expleat suum, omnes qualitates formæ sibi inimicæ affectas destruat oportet. Protinus cadaveris pili albescere debent, albore qui novam denotet creationem; sanguis rubescere rubore non suspecto, totum illud corpus iis institui par est qualitatibus, quæ formæ suæ fideles ipsam tumentur, quantum quidem possunt id facere qualitates cadaveris mox interitura. Quia verò pugnae aliquis tandem debet esse finis, cunctaque suum quietis habent locum; hanc ob causam ignis, verbi gratiâ, suum habet centrum quò levitate suâ & propensione naturali perpetuò tendat, ut quiescat, urere desinat, suum etiam calorem deponat, quo hîc in terris, sui conservationis duntaxat gratiâ, sese muniebat.

Illæ sunt, magnâ saltem ex parte, consequentiæ quæ ex postremo hoc axiomate, dari, scilicet formas substantiales, deduci solent. Philosophum quidem hæc consequentiæ æquo liberiùs, & majori ingenuitate colligentem fortè introduximus, hæc enim ab aliis magis serîò dici solent.

Innumeras alias consequentiæ quotidie deducunt Philosophi, pro ingenio & indole, pro fecunditate aut sterilitate imaginationis; hisce enim duntaxat à se invicem differunt.

Hæc substantias chimericas impugnare foret inutile, quippe quæ ab aliis jam fuerint exactæ; formas substantiales in rerum naturâ nunquam extitisse, ipsâsque eum modò usum habere quòd ex iis fluant innumeræ consequentiæ falsæ, ridiculæ & contradictoriæ, satis superque probatum est. Ipsarum originem in mente humanâ invenisse sufficiat, & ostendisse eas omne suum haurire nomen ex præjudicio omnibus hominibus communi quo, *sensationes esse in rebus objectis* falsò judicant. Qui enim suprâ dicta attentè expendet, nempe, corporis nostri conservationi conducere ut sensationes habeamus naturâ diversas, quamvis impressiones rerum objectarum in corpus nostrum oppidò parum differant; facile intelliget tantam in rebus sensibilibus diversitatem falsò existimari.

Verùm, ut id obiter dicam, non est quòd in hisce vocibus *forma* & *differentia essentialis* quicquam desideremus. Mel haud dubiè formâ suâ mel est, & hoc pacto a sale essentialiter differt. Sed hæc forma, sive hæc differentia essentialis in variâ partium configuratione duntaxat consistit. Hâc variâ configuratione mel est mel, & sal est sal, & quamvis materiæ in genere merè adventitium sit ut habeat configurationem partium mellis aut salis, ac proinde ut habeat formam mellis aut sa-

*Malebrancii de Inquist. Verit.*

K

lis,

Cap. 10.  
artic. v.





lis, essenziale tamen est melli & sali, ut sint id quod sunt, habere hanc aut illam partium configurationem. Quemadmodum sensationes frigoris, caloris, voluptatis & doloris menti quatenus mens est non sunt essentielles, sed tantum menti quatenus istis afficitur sensationibus, quia his sensationibus dicitur sentire calorem, frigus, voluptatem, dolorem, &c.

## CAPUT XVII.

I. *Aliud exemplum ex Ethicâ desumptum, ex quo patet sensus nostros nihil nobis offerre præter falsa bona.* II. *Deum solum esse nostrum verum bonum.* III. *Errorum Epicureorum & Stoicorum origo.*

**A**Xioma illud quo *sensationes in rebus objectis esse* statuitur in Phisicâ errores innumeros producere non invalidis demonstravimus argumentis. Jam quædam ex Ethicâ depromamus, in quâ idem illud præjudicium cum hoc conjunctum, *corpora scilicet in sensus nostros agentia solas esse & veras sensationum nostrarum causas*, in leviores non injicit errores.

I. Plerosque hominum videas bonis sensibilibus addictos; alii musicâ, alii cupediis, alii aliâ qualibet re delectantur. Ut autem hæc omnia bona esse persuaderentur, hæc secum ipsas reputasse necesse est. Sapores illi qui in conviviis voluptatem pariunt, soni qui aurem molliter & jucundè demulcent, & cæteræ voluptates quibus aliàs afficimur, procul dubio in rebus sensibilibus continentur, vel saltem ipsas earum ope sentimus, nec denique sine illis eas sentire possumus. Jam autem voluptatem esse bonam, dolorem verò malum nemo est qui inficietur, hujusce rei intus conscii sumus, ac proinde res objectæ quæ affectus movent verissima sunt bona quæ nobis requirenda sunt si felicitatem consequi velimus.

Sic plerumque ratiocinamur etiam incogitantes. Itaque, quia credimus sensationes nostras esse in rebus objectis, vel saltem res objectas eâ pollere virtute quâ eas in nobis possint excitare, veluti bona nostra habemus ea quæ infra nos subsidentia in corpora nostra duntaxat ad summum possunt agere, & aliquos motus in fibris excitare, sed quæ in mentes nostras nunquam agere, nec in illis ullum voluptatis aut doloris sensum excitare queunt.

II. Certè, si mens nostra in seipsam non agit occasione eorum quæ in corpore geruntur, Deus solus est qui hac polleat virtute. Si mens sibi ipsi voluptatem aut dolorem, ut verosimile est, pro varietate motuum

*Exemplum  
ex Ethicâ  
deductum,  
ex quo patet  
sensus nos-  
tros nil no-  
bis offerre  
præter falsa  
bona.*

*Explicabo  
in ultimo  
libro quo  
sensu res  
objectæ  
agant in  
corpus.*

*II.  
Deum so-  
lum esse no-*



tuum fibrarum corporis non creat, cum sapius dolorem & voluptatem præter consensum sentiat; ubi tanta vis est quæ hæc sensationes in ipsâ excitare possit, si Authorem naturæ excipias?

Solus Deus sanè verum nostrum bonum est. Ipse solus iis omnibus voluptatibus nos perfundere potest quibus affici possumus, nec nisi per sui cognitionem & amorem illas in nobis excitare decrevit: Voluptates quas cum motibus corporis nostri conjunxit, ut ipsius conservationi consuleremus, exiguæ sunt, debiles, breves; licet ipsarum, tanta fuit vis peccati! mancipia facti simus. At verò voluptates quibus a se Electos in cælis afficiet longè vividiores & perfectiores erunt. Deus enim nos eo consilio condidit ut ipsum cognoscamus & amemus. Cum enim ordo naturæ postulet, ut quò majora sunt bona, eò majori afficiamur voluptate, certè voluptas eorum qui Deo fruuntur cæteras voluptates infinitis superabit parasangis, quippe qui suprâ omnia longissimè emineat.

Quod de nostrorum circa bonum errorum causâ mox dictum est falsitatem opinionum Stoicorum & Epicureorum de summo bono satis superque demonstrat. Illud Epicurei in voluptate constituebant. Quia verò voluptas in vitio æquè ac in virtute sentitur, immo sapius in priori quam in posteriori, ideo in omne voluptatum genus ruere habiti sunt illi Philosophi.

Hæc autem est prima ipsorum erroris causa. Falsò, scilicet, judicantes esse aliquid jucundi in rebus sensibilibus, aut saltem res objectas veras esse voluptatum quibus afficiebantur causas; sensu præterea quodam interno convicti voluptatem esse aliquid sibi bonum, quamdiu saltem illâ potiebantur; in omnes affectus, ex quibus nihil incommodi percipere poterant prorumpere non dubitabant. At verò si ratione ritè usi fuissent, voluptatem quæ ex rebus sensibilibus percipitur in hæc rebus nec ut in suâ causâ, nec alio quovis modo esse posse comperissent; ac proinde bona sensibilia non posse esse bona respectu mentis nostræ, & cætera quæ explicuimus.

Stoïci contrâ, pro certo habentes voluptates sensibiles esse in solo corpore & in solius corporis usum, mentemque suo peculiari & proprio potiri debere bono, beatitudinem in virtute ponebant. Jam autem hæc est ipsorum erroris origo.

Existimabant scilicet voluptatem & dolorem sensibiles, vel quæ ex rebus sensibilibus ortum ducebant, non esse in mente sed in corpore duntaxat. Et ex hoc falso judicio tanquam ex indubitato axioma falsas colligebant conclusiones, ut verbi gratiâ, dolorem non esse aliquid mali, voluptatem non esse aliquid boni, voluptates sensuum in se non esse bonas, ipsas esse communes hominibus & belluis, &c. Quamquam autem Epicurei & Stoïci in multis hallucinati sunt, in nonnullis tamen a ratione non abluferunt. Beatorum enim beatitudo in virtute omnibus numeris perfectâ, hoc est in cognitione & amore

*strum verum bonum omniaque sensibilia non posse in nobis excitare voluptatem.*

*III. Errorum Epicureorum & Stoicorum origo.*



Dei, & in voluptate ipsos nunquam deserente tantum consistit.

Maneat igitur altâ mente repositum corpora externa nihil in se jucundi aut molesti includere; ipsa non esse causas voluptatum nostrarum, ipsaque a nobis non nisi immeritò timeri aut amari posse; Deum solum esse timendum & amandum; quippe qui solus nos punire aut remunerari, dolore aut voluptate afficere valeat, in Deo solo denique, & ex Deo solo nos sperare posse voluptates in quas motu tam vehementi, tam naturali, tamque legitimo propendemus.

## C A P U T XVIII.

*I. Sensus nostros nos in errores injicere etiam circa res non sensibiles. II. Exemplum ex hominum commercio & consuetudine mutuâ deductum. III. Ex habitu externo & sensibili iudicium non esse statuendum.*

**S**ensuum nostrorum errores circa res sensibiles, ut circa lucem, colores, ceterasque qualitates sensibiles fusè satis explicuimus. Jam videamus in quos errores iidem nos circa res non sensibiles, quæque ideo ipsorum non sunt jurisdictionis, conjiciant, dum scilicet ab attentâ illarum rerum consideratione nos deterrent, eò nos adducendo ut de illis rebus juxta ipsorum testimonium iudicemus. Sed istud indiget explicatione.

*I.  
Sensus nos  
in errorem  
injicere  
etiam circa  
res non sen-  
sibiles.*

Attentio & applicatio mentis ad ideas claras & distinctas quas de rebus habemus ita necessaria est ad cognoscendam veram ipsarum naturam ut nihil sit magis. Quemadmodum enim alicujus opificii pulchritudinem videre non posses, nisi oculos apertos in ipsum attentè defigeres, ita mens pleraque cum mutuis relationibus videre nequit, nisi ea attentissimè consideret. Jam autem ab attentione ad ideas claras & distinctas nullâ aliâ re magis depellimur quàm sensibus nostris, ac proinde nullâ aliâ re a veritate magis amovemur, & in errorem conjicimur.

Ut hæc a nobis concipiantur sciendum est tres percipiendi rationes, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus purus, mentem aequaliter non tangere, atque ideo ipsam non æqualem attentionem præbere iis omnibus quæ harum rationum ope percipit, iis enim quibus vehementer afficitur valde, quibus leviter, parum attendit.

Quod verò per sensus percipit ipsam vehementer afficit, attentamque proinde præbet: quod per imaginationem cognoscit ipsam levius attingit; quod denique per seipsam sive extra sensus & imaginationem concipit ipsam vix excitat. Quis enim mentem levissimo dolore fortius moveri quàm



quàm attentâ circa rem vel gravissimam meditatione non est expertus?

Hujusce rei hæc est causa; sensus, scilicet, res veluti præsentibus exhibent, imaginatio verò ut absentes duntaxat. Jam autem ordo postulat ut ex multis bonis aut multis malis menti objectis præsentia illam moveant magis & sistant quàm absentia; mentem enim citò determinari hac in re opus est. Sic punctiunculæ attentior est quàm sublimibus speculationibus: voluptates etiam & dolores hujusce sæculi ipsam vehementiùs percellunt quàm dolores infandæ & voluptates infinitæ æternitatis.

Sensus igitur mentem rebus quas ipsi offerunt summopere applicant. Cùm autem finita sit, nec multa simul possit liquidò percipere, id quod intellectus ipsi repræsentat non potest clarè percipere dum sensus ipsi aliquid considerandum objiciunt; Ideas igitur claras & distinctas intellectus, quæ ad rerum veritatem assequendam idoneæ sunt, prætermittit, ut unice attendat ideis sensuum confusis, quæ illam vehementer movent, ipsique res, non ut in se sunt, sed duntaxat ut sunt respectu corporis repræsentant.

Si, exempli gratiâ, quis ad veritatem quandam explicandam se accingat; voce utatur, sensûque sua ac internas mentis cogitationes motibus & modis sensibilibus exprimat necesse est. Mens autem multa eodem tempore distinctè concipere nequit. Unde fit ut iis quæ sensuum ope ad ipsam deveniunt attentissima vix rationes sibi propositas expendat. Sed voluptati sensibili quam ex numerosâ periodorum concinnitate, ex mutuâ inter gestus & res voce prolatas convenientiâ, ex oris elegantia & liberalitate, ex formâ denique externâ & habitu loquentis percipit, tota penè adhæret. Interea tamen re auditâ judicare fatagit: sic fert mos. Unde fit ut judicia pro diversis sensuum impressionibus diversa pariter futura sint.

Si, verbi gratiâ, orator mentem suam expedite expromat, si periodos numerosè componat, si in ore liberalitatem quandam & ingenii acumen ferat, si claro sanguine oriundus, si magno incedat comitatu, si verbis gravitatem quandam & auctoritatem conciliet; si cuncti fileant, attentisque auribus adsint, si existimatione clareat, atque ingeniorum primi ordinis consuetudine utatur, si denique eò felicitatis pervenerit ut sibi favorem existimationemque capteret, Tum quæcunque dicet rectissimè dicet. Quid plura? ipsius etiam focale aut ornamenta in genere nonnihil probabunt.

At verò si iis non sit ornatus dotibus, demonstrat quantum voluerit, nil tamen probabit; præstantissima quæque proferat, ne auscultabitur quidem. Attentione solis rebus sensibilibus defixâ, auditor ad hominis tam incompositi conspectum nausæa penè commotus, & in id unum incumbens, mentem ab ipsius cogitatione avertet. Cæsitiùm illud sordidum & rugosum oratori ipsiusque dictis contemptum apud omnes pariet, ipsiusque habitus Philosophum cogitandum redolens eò impellet audi-

II.  
Exemplum  
ex mutuis  
hominum  
colloquiis  
deductum.



tores ut sublimes veritates plebeculæ captum superantes deliriorum & ineptiarum loco habeantur.

Hæc sunt hominum judicia, oculi & aures, non ratio, de rerum veritate judicant, ubi tamen sola ratio judicium ferre potest; Quia, nempe, solis sensibilibus & jucundis modis attentè ad veritatem adipiscendam sedulam feriâque vix unquam conferunt operam.

III.  
Habimè ex-  
terno & ju-  
cundo non  
fidendum  
esse.

De rebus tamen judicare ex externâ specie, veritatèque adspèrari, quia iis non instructa est ornamentis quæ nos juvant, quid ab æquitate magis abludit. Philosophos viròsque cordatos pudeat hæc jucundas agendi dicendique rationes potiusquàm veritatem ipsam exquirere, & vanum verborum sonum rerum soliditati antepone; solum vulgus indoctum, aut ii quibus mens est tota carnea & animalis, numerosis periodis, figuris & motibus quæ affectus excitent, capiantur:

*Omnia enim solidi magis admirantur amantque  
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt,  
Verâque constituunt, quæ bellè tangere possunt  
Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore.*

At viri sapientes adversus vim malignam, fortèsque istorum sensibilium modorum illecebras sese præmuniunt. Sensus quidem ipsis ut cæteris hominibus, quippe qui etiam homines sint, nonnunquam fucum faciunt; sed ipsorum testimonium generosè despiciunt. Illustre illud judicium Areopagi æmulantes exemplum, qui istis pellacibus verbis, figuris & fallacibus causidicos uti vetabant; ipsosque nunquam nisi in loco tenebricoso audiebant; ne verborum & gestuum venustas veritati pallium obduceret, ipsosque a rerum soliditate deterreret.

## C A P U T XIX.

*Duo alia exempla. I. Prius de erroribus circa naturam corporum. II. Posterius de erroribus circa qualitates eorundem corporum.*

**I**Nnumeros errores ab intentâ mentis applicatione ad ea quæ sensuum ope percipit, & a negligentia in quâ versatur circa res ipsi ab intellectu propositas, tanquam a primâ causâ manere modo demonstratum est. Hujusce rei exemplum non adspèrandum ex mutuo hominum commercio & consuetudine depromptum & ad Ethicam faciens tradidimus. En tibi alia ex rerum naturâ deducta, quæ in Physica observare necesse est.

Inter



Inter errores illos quos in Physicâ admittimus non postremus est ille quo plus substantiæ corporibus quæ sensus ferunt, quàm iis quæ vix sub sensum cadunt ineffe imaginamur. Plerique existimant in auro & in plumbo plus esse materiæ quàm in aère & in aquâ. Et ipsi pueri qui aëris effectus sensibus non deprehenderunt, illum nihil habere soliditatis autumant.

I.  
Errores circa naturam corporum.

Aurum & plumbum sunt gravissima & durissima corpora, sensusque maximè ferunt, aqua verò & aër vix sub sensum cadunt. Hinc concludunt priora longè plus habere substantiæ quàm posteriora. De rerum veritate judicant per impressionem sensuum quæ nos nunquam non decipit; dum ideas claras & distinctas mentis, quibus nunquam fallimur, negligunt; quia scilicet id quod sensibus percipitur nos afficit & applicat, quod intellectu soporem creat.

Hæc falsa judicia pertinent ad substantiam corporum, adsunt & circa qualitates eorundem corporum.

Homines ut plurimum ita sunt comparati ut res objectas quæ in ipsis sensationes jucundiores excitant perfectiores cæteris judicent & puriores; quâ in re consistat materiæ perfectio & puritas nescii, nedum solliciti.

Aiunt, exempli gratiâ, lutum esse impurum, aquam verò limpidam esse purissimam. Verùm secus sentirent cameli aquâ lutosâ gaudentes, & animalia quæ in luto degunt. Belluæ sunt, fateor; sed homines qui viscera rusticulæ avis, & mustelæ majoris excrementa amant, non censent quicquam in iis esse impuri, quamvis id de cæterorum animalium excrementis dicant. Moschus denique & electrum apud omnes magno habentur pretio, quamvis nihil aliud esse præter excrementa existimentur.

II.  
Errores circa ipsorum qualitates & perfectionem.

Non aliter certè judicamus de perfectione & puritate materiæ quàm ex ejus ad sensus nostros relatione; cum autem sensus diversi sint in omnibus hominibus, ut fusè explicatum est, diversa admodum pariter esse debent judicia de perfectione aut puritate materiæ. Libri itaque qui quotidie scribuntur de perfectionibus imaginariis quas nonnullis corporibus tribuunt, non possunt quin stupendâ errorum farragine scateant; cum ipsorum ratiociniâ falsis, confusis, & incertis sensuum ideis nitantur.

Philosophi non debent affirmare materiam esse puram aut impuram, nisi priùs quid per voces illas, purum & impurum, intelligant certò & accuratè teneant. Res enim eloqui, nec eas intelligere, hoc est, ideas non habere distinctas quæ vocibus respondeant, turpe est. Quod si utrique hoc vocabulo ideas claras & distinctas alligassent, id quod purum dicunt sæpe impurissimum esse, quod verò ipsis impurum videtur purissimum tamen esse deprehenderent.

Si, exempli gratiâ, decernerent materiam illam esse purissimam & perfectissimam cujus partes sunt tenuiores & ad motum aptiores, aurum, argen-



argentum, margaritæ essent corpora admodum imperfecta, aër verò & igni corpora perfectissima, caro corruptioni propinqua & malè olens ad perfectionem tenderet. Et foetens cadaver perfectius esset carne integrâ.

Quòd si, vice versâ statuerent corpora illa esse omnium perfectissima, quorum partes sunt crassiores, solidiores, motûque difficiliore, terra esset auro perfectior, atque aër & ignis corpora essent omnium imperfectissima.

Quòd si quis vocibus *puri & perfecti* ideas distinctas de quibus verba feci alligare recuset, alias potest substituere voces, sed si hæc voces solis notionibus sensibilibus definire velit, omnia perpetuò confundet, quia significatio vocum quibus exprimuntur nunquam erit determinata. Omnes homines, ut id jam probavimus, varias de iisdem rebus objectis habent sensationes: Ergo eæ res objectæ ex sensationibus quas in nobis excitant judicari non debent, nisi quis obscuritate & confusione gaudeat.

Sed, ut penitiùs rem introspeciamus, nulla certè datur materia cæteris materiæ portionibus perfectior, ne cælorum quidem materia. Cuiuslibet materiæ tota aptitudo in eo mihi videtur constare, quòd varios motus variâsque figuras possit recipere; Jam autem ipsius motus & figuræ sint regulares, aut anomalæ, id ipsi perinde est. Solem esse perfectiorem aut lucidiorem luto, formâsque illas egregias, quas nobis animi gratiâ pingunt fabulæ & carmina, cadaveribus esse præstantiores non comperimus. Id a sensibus nostris fallacibus accepimus: Nec est quòd quis hîc quicquam obganniat; Cuiuslibet enim ad rationes suprâ allatas attento cavillationes & exclamationes omnes ridiculæ & frigidiusculæ proculdubio videbuntur.

Qui sentiunt tantùm, nec aliâ ratione res percipere assueverunt, solem esse luce plenum existimant; Qui verò sentiunt simul & ratiocinantur, aliter censent: dummodo saltem iudicium sagacitate suâ sentiendi facultatem æquet. Sententiam haud dubiè mutarent qui sensibus pertinaciùs adhærent, si suprâ dicta seriò meditarentur. Verùm erroribus sensuum nimis indulgent, ipsorum servitio jamdudum assuefacti mentis suæ obliiti sunt, ita ut omnes perfectiones quas in corporibus videre sibi videntur ab ipsâ pendere non attendant.

Nec verò hujûsmodi commatis homines adorimur, laudent aut vituperent, id nobis perinde est, auscultare recusant, quâ igitur possent iudicare? fat erit nobis si veritatis causam agamus, nobisque illorum conliemus approbationem qui in id seriò incumbunt, ut ab erroribus sensuum sese expediant, & luminibus mentis rectè utantur. Hos enixè rogamus ut hæc nostra cogitata attentè, quantum in iis erit, meditentur, ac postea judicent. Damnent, probent, ipsi ut iudicibus litem relinquimus; Quippe meditatione suâ eò devenerunt ut summum jus in cogitata nostra ipsis denegari meritò non possit.



CAPUT XX.

*Hujusce primi Libri conclusio. I. Sensus nobis tantum concessos fuisse in usum corporis nostri. II. Ipsorum testimonio diffidendum esse. Illum non parum promovisse, qui ritè atque opportunè dubitare didicit.*

**E**Rrores generales in quos sensus nostri, sive circa res sensibiles, sive circa res quæ solo intellectu percipiuntur, nos conjiciunt satis clarè, ni fallor, aperimus. Qui supràdictis tantillum attendet, nulum, ut puto, admittet errorem cujus causam facilè non deprehendat.

Vidimus præterea sensus nostros nos tutissimè & accuratissimè docere analogias sive convenientias omnium corporum cum nostro; quamquam, ut id etiam vidimus, eorum ope non possumus doceri quid hæc corpora sint in semetipsis. Diximus etiam illum suis malè uti sensibus qui eos ad alios convertit usus quàm ad valetudinis & vitæ conservationem; adeo ut ipsos prorsus adspernari debeat, quum sibi in mentem imperium arrogat. Id primum & præcipuum est quod ex primo hoc libro retineri velim. Ut scilicet altè imbibamus sensus nostros nobis in eum duntaxat usum esse concessos ut vitam nostram conservemus. Istud nobis radicitus inhæreat, ut deinceps si ignorantiam nostram velimus excutere, ad alia confugiamus auxilia.

I.  
Sensus nobis duntaxat concessos fuisse in usum corporis nostri.

Quòd si nonnulli sint, ut erunt sanè, & quidem æquo plures quos suprà dicta non potuerint convincere veritatis harumce propositionum, id saltem ab iis impetrare liceat ut duntaxat sensibus suis aliquantum diffidere discant; si ipsorum testimonium falsitatis & fallaciæ omnino arguere non sustineant, de istorum tamen testimoniorum veritate dubitare non reculent.

II.  
Sensuum testimonio diffidendum esse.

Quid? Quæ jam dicta sunt nonne satis habent momenti ut suspicionem scrupulumque viris non obesæ naris injiciant, ipsosque proinde eò adducant, ut libertate suâ rectius quàm antea usi sunt nunc uti recordentur? certè si semel de sensuum testimonio dubitare non reformident, assensum faciliùs cohibebunt, errorésque quibus hæctenus obnoxii fuerant minori negotio in posterum vitabunt, dummodo imprimis canonis initio traditi memores sint. Hic est. *Ne assensum plenum unquam præbeas nisi propositionibus evidentissimè veris, & quibus assensum tuum non potes denegare, quin certò agnoscas te perperam usurum libertate tuâ si deneges.*

Porro ne quis mediocriter se promovisse putet si solùm dubitare didicerit. Dubitare cum judicio & ratione, ita me Deus amet, non leve

III.  
Illum non parum pro-



movisse qui  
ritè & op-  
portunè du-  
bitare didi-  
cit.

leve est. Etenim ut rem ingenuè fatear, variæ sunt dubitandi rationes. Nonnulli feroci & abrupto, alii cæco & maligno impetu ducti; alii denique per inconstantiam quandam, & quia tantum sic libuit, dubitant. Sed sunt etiam qui ex prudenti diffidentiâ, & sapienti quâdam judicii sagacitate dubitant. Academici & Athei priori dubitant ratione; Veri Philosophi posteriori. Prior dubitatio est dubitatio quædam caliginosa quæ lucem non affert, sed fugat potiùs. Posterior dubitatio ex luce oritur, lucemque affert vicissim.

Qui priori tantum ratione dubitant ingeniosè dubitare nesciunt. Rident dum Cartesium legunt in primâ Meditatione Metaphysicâ doctentem dubitandi methodum. Sat enim se habere credunt si pro lubitu dubitent; si in genere profiteantur naturam nostram esse infirmam, mentem nostram plerumque cæcutire; præjudicia esse abdicanda, & cætera hujuscemodi. Hæc sufficere arbitrantur ut sensibus non ampliùs decipiantur, atque ut omnino non errent. At verò quid promotes si, dum fateris mentem esse debilem ipsam non moneas debilitatis suæ? quid si ipsam errori obnoxiam esse agnoscas, nisi quinam sint ejus errores aperias. Id a nobis prælibatum fuisse in hoc primo Libro arbitramur, dum naturam & errores sensuum explicuimus. Jam ut in hoc Secundo pergamus, naturam & errores imaginationis exponere propositum est.





D E

# INQUISITIONE VERITATIS.

---

LIBER SECUNDUS.  
DE IMAGINATIONE.  
P A R S P R I O R.

CAPUT PRIMUM.

- I. *Idea generalis imaginationis.* II. *Ipsam duas in se includere facultates, alteram activam, alteram passivam.* III. *Causa generalis mutationum quæ fiunt in imaginatione hominum, & fundamentum hujusce secundi Libri.*



**N** Libro præcedenti de sensibus actum est, ipsorum naturam necnon legitimum usum explicare conati sumus, potiores & generaliores errores in quos ipsorum ductu labimur patefecimus, ipsorum facultates ita circumscripsimus ut qui illos in suis limitibus continuerit omnia ab iis sperare, nihil formidare debeat. In hoc secundo Libro de Imaginatione agemus. Id postulat ordo: tanta enim est inter sensus & imaginationem relatio & convenientia, ut separari non debeant. Deinceps etiam patebit hæc ce duas facultates non aliter inter se differre quàm gradibus.



Hoc ordine procedet Secundus hęc Liber. In tres partes distribuitur. In primâ causâ Physicâ inordinationis & errorum imaginationis explicantur. In secundâ causas illas ad errores generaliores imaginationis applicamus. Ibi etiam de istorum errorum causis loquimur quæ Ethicæ seu Morales dici possunt. In tertiâ agimus de contagiosâ imaginationum fortium sive vividarum communicatione.

Quæ hoc tractatu agitabuntur erunt quidem magis vulgata quàm quæ inter explicandos sensuum errores dicta sunt, non est tamen quòd ea quis minùs utilia ducat. Viri quidem perspicaces & eruditi haud ignorant errores & ipsas errorum causas de quibus hęc agitur; verùm pauci reperiuntur qui ad ea attendant. Omnes erudire non satago, indoctos solos edocere gestio; ceteros commonefacere satis habeo; quin memetipsum hęc potius instituire & commonefacere conor.

I. In superiori Libro diximus organa sensuum nostrorum tenuibus fibris constare quæ ab uno extremo ad cutem terminantur, ab altero ad mediam usque cerebri partem perducuntur. Jam autem fibræ illæ bifariam possunt moveri. Motus enim oriri potest vel ab extremis fibrarum quæ sunt in extremis corporis partibus. Cùm agitatio fibrarum illarum non possit ad cerebrum usque pervenire, quin mens protinus aliquid percipiat; si agitatio oriatur ex impressione rerum objectarum in superficiem externam fibrarum nervorum nostrorum, & cerebrum

\* Judicio naturali de quo multoties actum est in Libro præcedenti.

pertingat, tum mens sentit \* & judicat id quod sentit extrinsecus positum esse, hoc est, rem objectam ut præsentem percipit. Sed si fibræ internæ tantùm agitentur spirituum animalium cursu, aut alio quopiam modo, tum mens imaginatur, judicatque id quod imaginatur non esse extra sed intra cerebrum, hoc est, rem ut absentem percipit, atque illud est discrimen quod intercedit inter sentire & imaginari.

Verùm observandum est fibras cerebri multò vehementiùs agitari rerum objectarum impressione quàm spirituum animalium concursu; nec aliam ob causam rebus externis, quas veluti præsentem, ac proinde ad id idoneas ut in se excitent voluptatem aut dolorem, multò magis afficitur quàm spirituum animalium concursu. In iis tamen quorum spiritus animales ob jejunia, vigiliis, febrim ardentiorē, sive quamlibet aliam causam sunt concitatissimi quandoque contingit, ut spiritus illi fibras internas cerebri non minori vehementiâ moveant quàm res externæ solent; adeo ut homines sic affecti id sentiant quod tantùm imaginari deberent, ac res ob oculos se habere putent quæ sunt tantùm in imaginatione suâ. Ex quo id quod modo dixi liquidò patet. Sensus scilicet, & imaginationem non aliter quàm gradibus inter se differre circa ea quæ in corpore aguntur.

Sed ut idea imaginationis distinctior & specialior præbeatur tenendum est, quotiescunque aliquid immutatur in illâ cerebri parte in quam nervi coeunt, toties etiam mentem aliquam pati immutationem. Hoc est, ut explicuimus, si in illâ parte motus quidam excitetur qui ordinem



dinem fibrarum interturbet, nova etiam fit in mente perceptio, aliquid novi sentit aut imaginatur, ita ut mens nihil novi unquam sentire aut imaginari queat, nisi aliqua in fibris ejusdem cerebri partis fiat immutatio.

Facultas itaque imaginandi seu imaginatio consistit in solâ facultate quam mens habet sibi efformandi imagines rerum objectarum, afferendo mutationem aliquam in fibris hujusce partis cerebri, quæ dici potest pars *præcipua*, tum quia omnibus corporis nostri partibus respondet, tum etiam quia mens nostra ibi immediatè, si fas sit ita loqui, sita est.

Hinc non obscurè liquet facultatem illam, quâ mens imagines rerum sibi efformare potest, duo in se includere. Alterum quod ab ipsâ mente pendet, alterum quod pendet a corpore. Prius est actio & imperium voluntatis. Posterius est obsequium spirituum animalium qui hæc imagines insculpunt, & fibrarum cerebri quibus istæ imagines imprimi debent. Hæc autem in tractatione id utrumque *imaginationis* voce indifferentè designatur, nec affertur distinctio *activæ*, aut *passivæ*. Ex materiâ subjektâ enim facillè comperias de utrâ fiat sermo, an de *activâ* mentis *imaginatione*, an de *passivâ* corporis *imaginatione*.

Nec decidimus speciatim quænam sit illa pars præcipua cujus meminimus supra. Primò quia id inutile satis ducimus. Secundò quia res est per quàm incerta. Tertiò denique hæc in re tacere satius existimamus, cujus veritas hæc nequit demonstrari aliis, licet apud nos constaret quænam sit illa pars præcipua.

Jam igitur, ut placet Willisio, in duobus corpusculis, quæ *corpora striata* nuncupat, resideat sensus communis; sinus cerebri conservent species memoriæ; & corpus *callosum* sit sedes imaginationis, sive, ut vult Fernellius, in piâ matre quæ cerebri substantiam involvit; sive in glandulâ *Pineali* viri clar. Cartesii, sive in aliâ quâpiam parte nobis hæc hactenus incognitâ; res non me valde anxium habet, dummodo sit quædam pars præcipua, id sufficiet; immo id pernecessarium est. Systema etiam Cartesii, quoad ipsius substantiam, subsistere debet. Quippe licet hallucinatus fuisset cum asseruit glandulæ *Pineali* mentem immediatè adhærere, id non obstat quominus ipsius systema, quoad rem ipsam, infractum subsistat, ex illo enim percipies omnem utilitatem quam percipere potes ex vero, ut in hominis cognitione progressum facias.

Cùm igitur imaginatio consistat in solâ virtute quâ mens sibi imagines rerum efformare potest, eas imprimendo, ut ita loquar, fibris cerebri, certè quò vestigia spirituum animalium, quæ sunt veluti imaginum illarum lineamenta, erunt distinctiora & grandiora, eò fortius & distinctius mens res illas imaginabitur; quemadmodum autem

II.

Due facultates in imaginatione, altera activa, altera passiva.

III.

Causa generalis mutationum que sunt in imaginatione



tionē; &  
fundamen-  
tum hujusce  
secundi  
Libri.

latitudo, profunditas, & distinctio alicujus sculptilis operis pendet a vi actionis coeli in cuprum, & a tractabilitate cupri, ita altitudo & distinctio vestigiorum imaginationis a vi spirituum animalium & à constitutione fibrarum cerebri pendet, atque illa varietas quæ in hisce duobus deprehenditur, tantæ differentiæ, quæ existat inter hominum ingenia, causa est.

Ex his enim ratio facilè reddi potest varietatis quæ in hominum ingenii reperitur, hinc scilicet ubertate, & inopiâ, agitatione & tarditate, crassitudine & tenuitate spirituum animalium; illinc exilitate & densitate, humiditate & siccitate, flexibilitate aut inflexibilitate fibrarum cerebri; & denique analogiâ seu convenientiâ spirituum animalium cum hisce fibris, nec extra rem foret si unusquisque primò varias illas combinationes imaginari conaretur, illasque deinde differentiis quæ inter ingenia deprehenduntur adaptaret. Re verâ nonne utilius, immo jucundius foret ingenio suo uti, illudque ad veritatis indagacionem informare & assuefacere, quàm illud corruptioni quæ ex otio contrahitur, permittere, ut fit cum rebus jam concoctis & expeditis duntaxat attendit. Huc accedit quòd in ingeniorum differentiis quædam reperiuntur tam subtilia tamque impervestigabilia, ut dum ea quandoque potes per te sentire & assequi, eadem tamen aliis representare & exhibere nequeas.

Verùm, ut hæc discrimina quæ sunt inter hominum ingenia, quantum quidem fieri poterit, explicentur, utque unusquisque in suo met ingenio facilius deprehendere queat causam mutationum quas identidem animadvertit; hinc causas mutationum quæ fiunt in spiritibus animalibus, & in fibris cerebri in genere examinare operæ pretium videtur, hoc pacto omnes imaginationis mutationes etiam comperientur.

Homo sibi similis non diu perstat: propriæ inconstantia quisque apud se conscius est, circa eandem rem mox hoc, mox illud fertur judicium. Quid plura? hominis vita in perpetuâ sanguinis circulatione, & in aliâ cogitationum & desideriorum circulatione duntaxat consistit, nec putem tempus utiliùs posse collocari quàm in disquisitione causarum ejusmodi mutationum quæ fiunt in nobis. Hoc pacto enim nostrî cognitionem possumus adipisci.



## CAPUT II.

I. De spiritibus animalibus, & mutationibus quibus in genere obnoxii sunt. II. Chylum ad cor transire, atque in spiritibus mutationem adferre. III. Vinum idem efficere.

**N**emo est qui diffiteatur spiritus animales nihil aliud esse præter partes subtilissimas & velocissimas sanguinis, qui subtilitatem & agitationem præcipuè acquirit fermentatione quam in corde recipit, & motu violento musculorum quibus hæc pars constat: hólce spiritus cum reliquo sanguine per arterias in cerebrum usque deduci; ibique a sanguine separari ope partium quarundam in hunc usum comparatarum, de quibus nondum satis constat.

Ex his illa sunt quæ colligo; si sanguis sit subtilissimus, major erit spirituum animalium copia, si sit crassus, minor; si sanguis constet partibus quæ faciliè inflammari possint in corde, & ad motum aptissimæ sint, spiritus qui in cerebro erunt vehementer incalescent & agitantur: quòd si contra sanguis non satis fermentetur in corde, spiritus animales languidi erunt & inertes, ac denique juxta soliditatem partium sanguinis, spiritus animales erunt solidiores aut minùs solidi, ac ideo velociùs aut tardiùs movebuntur. Sed hæc, ut pro veris habeantur, fusiùs explicari ac exemplis & experimentis indubitatis illustrari debent.

Priscorum auctoritas quorundam ingenio non modò fucum fecit, sed eos excæcavit etiam. Non pauci enim adhuc reperiuntur tantâ in veteres opiniones veneratione ducti, aut forsân adeo pervicaces, ut ea videre recusent quæ haud dubiè non inficiarentur, si tantummodò oculos aperire dignarentur. Quotidie videas viros vastâ suâ lectione & eruditione spectatos satis, qui libros componere, mutuâsque publicè disceptationes habere audeant adversùs visibilia & palpabilia circulationis sanguinis, ponderis & virtutis elasticæ aëris, aliorumque similium experimenta. Experimentum illud cujus nostro sæculo Author nobis fuit vir clarissimus Pecquet, quo etiam hoc loco utemur, ideo tantum non arridet quòd nascendo canitiem, cujus magna semper fuit reverentia, præ se non tulerit: Eo nihilominùs, idque non invidentibus viris cordatis, utemur.

Ex illo experimento constat chylum non statim e visceribus ad jecur per venas *mesaraicas* transire, ut somniant veteres; sed illum chylum ex intestinis in venas lacteas, ac deinceps in quædam receptacula transire, quòd venæ illæ coeunt: hinc per canalem sive ductum thoracicum per

I.  
De spiritibus animalibus, & mutationibus eorum.

II.  
Chylum ad cor transire & in spiritibus mutationem adferre.

ver-



vertebras dorsi ascendere, & sese commiscere cum sanguine in vena axillari, quæ ingreditur truncum superiorē venæ cavæ; ubi commixtus cum sanguine ad cor rectâ tendit.

Ex hoc experimento concludere est; cùm sanguis chylo admixtus ab alio sanguine, qui jam multoties per cor circulaſſet, sit valdè diversus, spiritus animales qui nihil aliud sunt præter subtilissimas ipsius partes fore etiam valde diversos in jejunis & in iis qui modò alimentum sumpsissent. Præterea, cùm innumera sint ciborum & potionum genera, atque ii etiam qui istis utuntur sint temperamento variè constituto, duo homines qui simul eidem mensæ accubuerunt, statim post cœnam in facultate imaginandi tantam sentire debent varietatem, ut eam vix possis describere.

Fateor equidem eos qui prosperâ utuntur valetudine ita concoquere cibos, ut chylus ad cor transiens nec augeat nec minuat calorem; ita ut sanguis eâdem facilitate fermentetur ac si solus nec mixtus ingressus fuisset; unde fit ut spiritus animales, & proinde facultas imaginandi vix ullam patiantur immutationem. Senes verò & infirmi remotis mensis in se percipiunt maximas immutationes, sopiuntur plerunque: aut saltem ipsorum imaginatio vivacitate & promptitudine destituta languescit: nil distinctè percipiunt, nec ad rem ullam animum appellere queunt, alio prorsus denique modo ac antea constituti sunt.

III.  
Vinum idem  
efficere.

Sed ut id etiam sani & robusti manifestò experiantur, meminerint quid in ipsis factum fuerit, quum copiosius solito vinum potârunt, vel cùm in uno convivio nil nisi vinum, in altero verò aquam tantum bibent. Certè nisi omnino sint stupidi, aut nisi corpus habeant modo prorsus insolito constitutum, statim aut hilaritate, aut sopore, aut alio quovis novo modo se habebunt.

Vinum est adeò spirituosum, ut spiritibus animalibus ferè jam formatis unicè veluti consistet; verùm spiritus illi æquo sunt luxuriosiores, jugum voluntatis ob soliditatem & agitationem vehementem, non facile subeunt. In iis itaque qui viribus & vigore præ cæteris pollent, imaginationi & cæteris corporis partibus plus affert inordinationis quàm cæteri cibi potûsque: *Vinum luctator dolosus est*, inquit Plautus, atque in ingenio multa efficit ab iis quæ describit Horatius non longè diversa:

*Quid non ebrietas designat? opera recludit:*

*Spes jubet esse ratas: in prælia trudit inermem:*

*Sollicitis animis onus eximit: addocet artes.*

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

*Contractâ quem non in paupertate solutum?*

Præcipuorum effectuum quæ ex mixtione chyli cum sanguine in spiritibus animalibus deinde in cerebro & in ipsâ mente oriuntur rationem reddere non ita difficile est. Cur, exempli gratiâ, vinum exhilaret:



ret; cur moderatè sumptum ingenium exacuat; cur illud hebetet cum immoderatè & frequentius fumitur. Cur post epulas sopor corpus invadat, & multa id genus, quibus causæ ridiculæ affingi solent. Sed præter quàm quòd non datur hic Physicæ systema, tradenda esset idea anatomiae cerebri, vel iisdem quibus usus est Cartesius in suo Tractatu de *Homine* hypothesebus uti oporteret; alioqui mentem suam hâc in re nemo aperire potest. At verò si quis attentè legat tractatum illum de *Homine* Domini Cartesii, non dubito quin suam in hisce philomathiam abunde expleat, quippe hic Author isthæc omnia explicat, vel saltem ea satis patefacit, ut quilibet ipsius dogmatibus jam imbutus per se rem possit intelligere, si modò meditetur.

## C A P U T III.

*Aërem quem spiramus aliquam etiam in spiritibus immutationem asserre.*

**S**ecunda causa generalis mutationum quæ in spiritibus animalibus fiunt, est aër quem spiramus. Quamvis enim impressiones ejus impressionibus chyli sint tardiores & leviores, paulatim tamen id efficit, quod succi ciborum brevi efficiunt. Aër ille e ramis tracheæ arteriæ in ramos arteriæ \* venosæ ingreditur. Hinc cum reliquo sanguine in corde miscetur & fermentatur, & pro ipsius & sanguinis diatresi peculiari, spiritus animales atque ideo facultatem imaginandi valdè immutat. \*Vena est pulmonis.

Non me latet quosdam negare aërem cum sanguine in pulmonibus & in corde misceri, quia nempe in tracheæ arteriæ & arteriæ venosæ ramis meatus sive poros, per quos aër possit transire, oculis deprehendere nequeunt. Sed verò sensus non debent limites figere menti. Mens res sensibus imperceptas potest percipere, atque acie suâ multa attingere, quæ ipsis sese surripiunt, aliquas sanguinis partes e ramis arteriæ \* venosæ in ramos arteriæ tracheæ perpetuò transmeari nemo est qui inficietur, ut halitus, odor, & humiditas satis superque id probant, hujus tamen communicationis meatus oculos fugiunt. Quidni igitur partes subtiliores aëris e ramis tracheæ arteriæ in arteriam venosam transire possent, licet meatus illi oculos non feriant? Denique longè plures humores per poros imperceptos arteriarum & cutis transpirant, quàm per cæteros corporis meatus exeunt. Et pori metallorum solidiorum quantumvis angusti, quibusdam tamen corporibus exiguis quidem transitum permittunt, alioqui præcluderentur illi pori. \* Arteria est pulmonis.

Partes quidem aëris crassæ & ramosæ per poros corporis ordinarios transire



fire nequeunt, & aqua ipsa, licet crassissima, per certos tamen se se infinat poros in quibus aër subsistere coactus fuit. Verùm hic de partibus illis aëris crassis & ramosis non agitur, nihil, ut puto, ad fermentationem conferunt. De partibus tenuissimis, rigidis, acribus, in quibus nulli aut pauci saltem sunt rami quibus implicentur, duntaxat agitur, quippe quæ sanguinis fermentationi sint aptiores.

Authore mihi Sylvio possem tamen asserere aërem etiam crassissimum e tracheâ arteriâ in cor transire; Ipse enim dicit se id Domini Swammerdam industriâ expertum fuisse, plus enim oculato testis fido quàm mille auritis. Partes igitur aëris quem respiramus cor subeunt; in illo cum sanguine & chylo ignem illum quo vivimus & movemur fovent, atque pro illarum aëris partium diversitate fermentatio sanguinis diversa est, spiritusque mutantur.

Id quotidie ex variis hominum ingeniis pro regionum varietate constat. Vascones, exempli gratiâ, ingenio pollent vivaciori quàm Normanni. Rothomagenses, Dieppenses, & Picardi inter se differunt, & longè magis differunt ab incolis inferioris Normanniæ, quamquam sunt satis vicini. Verùm si homines in regionibus remotioribus degentes consideres, differentias longè majores comperies, verbi gratiâ, inter Italum & Belgam seu Batavum. Denique loca quædam semper fuere incolarum sapientiâ clara, ut Theman & Athenæ, alia verò stupiditate, ut Thebæ, Abdera, & alia quædam.

Nanquid non ultra est sapientia in Theman?  
Jerem. c. 49.  
v. 7.

*Athenis tenue cælum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebis, Cic. de fato.*

*Abderitana pectora plebis habes. Mart.*

*Bæotum in crasso jurares aëre natum. Hor.*

#### CAPUT IV.

I. De mutatione quam in spiritibus efficiunt nervi illi qui cor & pulmones attingunt. II. De mutatione quam efficiunt nervi qui jecur, lienem & viscera attingunt. III. Hæc omnia citra voluntatis nostræ consensum nec tamen sine providentiâ fieri.

**T**ertia causa mutationum quæ in spiritibus animalibus fiunt omnium maximè ordinaria & efficacissima est. Ipsius enim ope omnes affectus excitantur, foventur & invalescunt. Quæ causa ut clarè nobis innotescat, tenendum est quintum, sextum & octavum par nervorum magnam ramorum suorum partem in pectus & in abdomen mittere, ubi corporis



corporis conservacioni magnopere inserviunt, menti verò summopere efficiunt. Isti enim nervi non agunt ex voluntate hominum, ut nervi qui brachiis, cruribus, cæterisque partibus externis movendis inserviunt. Adde quòd nervi illi agant magis in mentem quàm mens in ipsos.

Hic igitur sciendum est multos ramos octavi paris nervorum sese immiscere in fibras primi ac præcipui inter omnes musculos, nempe in fibras cordis; ipsius orificia, auriculas, & arterias ab istis nervis circumdari. Isti etiam nervi sese in ipsam pulmonis substantiam diffundunt, atque ita variis motibus suis non leves afferunt immutationes in sanguine, cum enim nervi inter fibras cordis dispersi illud nonnunquam vehementius & ocius æquo dilatent atque contrahant, summâ vi magnam sanguinis copiam versùs caput cæterasque partes corporis externas pellunt. Nonnunquam verò iidem omnino secus agunt. At verò nervi illi qui orificia, auriculas, & arterias cordis circumdant, idem propè agunt ac spiracula illa quibus Chymici calorem clibanorum regunt & temperant, aut idem ac fistulæ illæ sive tubuli emissarii quibus utimur in fontibus ad laxandas vel reprimendas aquas. Isti enim nervi ad eum usum comparati sunt ut diversimodè constringant & dilatent cordis orificia, atque ita sanguinis introitum & exitum accelerent aut remorentur, ipsiùsque proinde calorem adaugeant aut diminuunt. Nervi denique per pulmonem resperfi eundem fortiuntur usum. Cùm enim pulmo consistet duntaxat ramis tracheæ arteriæ, venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ inter se invicem intricatis, nervi certè per substantiam ejus resperfi non possunt quin contractione suâ impediunt quò minus aër e ramis tracheæ arteriæ liberè transmeat, & quominus sanguis e ramis venæ arteriosæ in arteriam venosam possit transire, ut inde cor pertingat. Isti itaque nervi pro variâ agitatione suâ augent etiam aut minuunt calorem & motum sanguinis.

Variorum istorum caloris cordis nostri graduum experimenta nobis suppetunt perquam manifesta in affectibus nostris, per illorum affectuum impetum calorem illum subitò minui aut intendi sentias; quia autem falsò judicare solemus sensationes nostras iis corporis nostri partibus inesse quarum occasione in mente excitantur, ut in superiori libro rem dedimus claram; ideo omnes penè Philosophi cor esse præcipuam affectuum sedem imaginati sunt. Atque etiamnum hodie apud plerosque eadem viget opinio.

Quia autem facultas imaginandi immutationibus spirituum animalium non leviter quoque immutatur, spiritusque ipsi animales varii sunt pro variâ sanguinis fermentatione in corde, nemo est qui hinc facile non comperiat cur viri aliquo animi motu abrepti res secus imaginentur ac ii quibus sanguis est frigidus.

Altera causa quæ non parum confert ad minuendas & augendas insolitas illas sanguinis in corde fermentationes consistit in actione multorum aliorum ramorum quibus constant nervi illi de quibus supra.

M 2

Rami

I.  
De mutatio-  
ne spirituum  
quam effi-  
ciunt nervi  
qui cor &  
pulmonem  
attingunt.

II.  
De mutatio-  
ne quam in  
spiritibus est



*ficiunt nervi jecur, lienem cætera que viscera pertingentes.*

Rami illi sese diffundunt in *jecur*, quod continet subtiliorem sanguinis partem, aut illud quod vulgò dicitur bilis; in *lienem*, qui crassiolem aut atram bilem; in *pancreas*, quod succum acidum fermentationi aptissimum, in ventriculum, intestina, cæterasque partes quæ chylum capiunt; sese denique diffundunt per omnia loca ad variandam fermentationem sanguinis idonea. Ipsæ etiam arteriæ & venæ his alligantur nervis, ut id Willis de trunco inferiori magnæ arteriæ quæ ipsis vincitur prope cor, de arteriâ *axillari* à dexterâ parte, de venâ *emulgente*, & de quibusdam aliis deprehendit.

Cùm igitur usus nervorum in eo versetur quòd partes quibus alligantur variè exagitent; nemo est qui non videat facili negotio quo modo, exempli gratiâ, nervus jecur circundans ipsum comprimendo ingentem bilis copiam emittere possit in venas & in canalem bilis quæ cum sanguine in venis commixta & cum chylo per canalem bilis in cor ingreditur, ibique calorem solito vehementiorem efficit. Sic cùm quibusdam animi perturbatis motibus agitur, sanguis in arteriis & in venis fervet, per totum corpus ardor diffunditur, caput inflammatur, tótque spiritibus animalibus adeo vividis & concitatis impletur ut impetu suo impediunt quòd minùs imaginatio quicquam ab eo quod cerebro imprefferunt diversum possit sibi repræsentare, hoc est, quòd minùs de aliis rebus quàm eis circa quas versatur affectus cogitare queat.

Res non secus se habet de nervulis qui lienem pertingunt, aut alias partes materiam crassiolem, & ad calorem motumque minùs idoneam continentem; imaginationem languidam ac stupidam efficiunt, emittendo in sanguinem materiam aliquam crassam & ad motum ineptam.

Nervi verò qui arterias & venas circundant in eum usum comparati sunt ut sanguini transitum præcludant, illum in ea loca ubi conceditur aditus amandent, constrictis scilicet nervis & arteriis. Parte igitur illâ magnæ arteriæ quæ sanguinem cæteris partibus infra cor subsidentibus suppeditat nervis illis ligatâ & compressâ, sanguis majori copiâ caput necessariò subire debet, atque ita in spiritibus animalibus ac proinde in imaginatione immutationem efficere.

**III.**  
*Hæc mutationes citra voluntatis nostræ consensum, sive dirigente providentiâ, fieri.*

Porro observandum est hæc omnia nonnisi mechanicè fieri; hoc est, varios illos motus nervorum in omnibus affectibus, non ad nutum voluntatis, sed citra immo etiam contra ipsius imperium excitari, adeo ut corpus mente destitutum eodem modo dispositum quo corpus sanum eosdem planè motus qui affectibus excitantur suscipere possit. Itaque, licèt belluæ essent meræ machinæ, iisdem etiam profus motibus possent affici.

Quæ nos in sapientiæ immensæ illius admirationem rapere debent qui hanc organorum compagem tam concinnè adaptavit, ut unica res objecta movens hoc vel illo modo nervum opticum possit excitare tot varios motus in corde, cæterisque partibus corporis internis, & etiam in facie.

Paucis



Paucis enim abhinc diebus compertum est nervum eundem qui ramos quosdam in cor cæterasque corporis partes internas dispergit nonnullos etiam e ramis suis ad oculos, os, cæterasque vultus partes perducere: Unde fit ut nullus affectus intus moveatur, qui protinus non erumpat extrinsecus, quia nullus esse potest motus in ramis qui ad cor transeunt, quin statim aliquis etiam motus excitetur in ramis per faciem resperfis.

Mutua analogia & sympathia quæ inter nervos faciei, & quosdam alios aliis corporis partibus, quas nomine proprio appellare non licet, respondentem deprehenditur, multò adhuc memorabilior est, atque magnæ istius harmoniæ causa inde oritur, quòd ut in cæteris affectibus, nervuli ad faciem perducti nil sint præter ramos nervi illius qui inferius demittitur.

Quum motu aliquo violento percitus es, si ad id attendas quod in visceribus cæterisque corporis partibus in quas nervi sese insinuant sentitur, ut etiam ad faciei immutationes quæ affectum illum sequuntur, si præterea varias illas nervorum nostrorum agitationes esse omnino involuntarias, ipsasque vel reluctante voluntate fieri tecum reputes; simplex illa expositio mutue convenientiæ inter nervos fidem apud te nullo negotio nanciscetur.

Verum enim verò si horum omnium causas & finem respicias, tantum ordinem tantamque sapientiam in iis deprehendes, ut adversus pervicacissimos Epicuri & Lucretii discipulos, providentiam orbis directricem invictis possis asserere argumentis; si saltem hæc omnia non neglectim consideres. Quum horologium video, hinc certè meritò colligo dari aliquam intelligentiam, quippe quòd ista rotarum compactio & accurata combinatio fortuitò contingere nequiverit. Quo pacto igitur fortuna cæca, fortuitusque atomorum concursus tot in cunctis hominibus varia organa formare potuissent secundum proportionem & ordinem quem suprà exposui? quò fieri potest sine providentiâ ut sibi similia generent homines & cætera animalia? Insultum igitur & ridiculum planè est cum Lucretio dicere, partes hominis fortuitò fuisse adornatas, oculos ad id non esse comparatos ut per eos cerneremus, sed homines ad videndum tum demum inductos fuisse, cum observaverunt se oculis polere, & sic de cæteris corporis partibus. Audi ipsum loquentem:

*Lumina ne facias oculorum clara creata  
 Prospicere ut possimus, & ut proferre vias  
 Proceros passus, ideo fastigia posse  
 Surarum ac seminum pedibus fundata plicari  
 Brachia tum porro validis exapta lacertis  
 Esse, manusque datas utràque ex parte ministras  
 Ut facere ad vitam possimus quæ foret usus.  
 Cætera de genere hoc inter quæcunque pretantur*



*Omnia perversa, præpostera sunt ratione  
Nil ideo natum est in nostro corpore ut uti  
Possimus, sed quod natum est id procreat usum.*

Profectò qui tam apertis tamque invictis reluctantur argumentis, impii sunt Providentiæ ofores, qui, veritatem ne videant, sese ultro excæcant. Sed quid mirum? Qui falsam quandam animi constantiam, vel, ut aptius loquar, impietatem affectant, ut olim Epicurei, ii protinus densis circumfunduntur tenebris, falsisque perstringuntur splendoribus, id genus hominum evidentiora quæque præfractè negare solet, dum ea quæ nil veritatis, nil perspicuitatis præ se ferunt, magnificè & confidenter audet asseverare.

Hujusce cæcitatæ quam in hominibus qui animi constantiæ famam aucupantur observavimus, exemplum nobis esto Poëta mox laudatus. De rebus enim difficilioribus & obscurioribus audacter contra omnem verosimilitudinem non modò sententiam suam profert, sed etiam de iis absolute decidit; dum tamen rerum evidentiorum ne vel ideas habere videtur. Si hujusce rei testimonia authoris proferre vellemus, sermonem ad nauseam usque producere opus esset. Mentem in veritatibus essentialibus contemplandis & revolvendis sistere quidem licet, sed animum ab eo deflectere quod ejus attentionem præcipuè meretur, cùmque ad res levioris momenti per digressionem convertere quid est nisi otio malè abuti?

Causas generales tum externas tum internas mutationum quæ in spiritibus animalibus ac ideo in facultate imaginandi fiunt modò explicuimus. Externas ostendimus esse cibos quibus utimur & aërem quem spiramus, internam verò consistere in involuntariâ quâdam certorum nervorum agitatione. Nullas alias hujuscemodi mutationum causas generales cognoscimus, & etiam alias dari planè negamus. Cùm itaque facultas imaginandi in corpore ab iis duobus duntaxat pendeat, scilicet, a spiritibus animalibus, & a dispositione cerebri in quod agunt; ut perfecta tradatur imaginationis cognitio, jam nil restat nisi ut varias mutationes quæ in substantiâ cerebri fieri possunt, exponamus.

Verum priusquam eas examinemus, mutuam idearum nostrarum cum vestigiis cerebri, & eorum inter se vestigiorum vinculum explicare operæ pretium est, tum quædam tradenda erit idea memoriæ & habituum, hoc est facultatis illius quâ jam cogitata denuo cogitamus, & antea acta iterum possumus agere.



## CAPUT V.

- I. De mutuo inter ideas mentis & vestigia cerebri vinculo.  
 II. De mutuo horum inter se vestigiorum vinculo. III. De  
 memoriâ. IV. De Habitibus.

**I**Nter materialia nullum est quod hominum attentione dignius videatur quàm ipsorum corporis compages, & mutua inter singulas partes ipsius analogia; quemadmodum inter spiritualia nullum est cujus cognitio ipsis sit utilior cognitione ipsorum mentis, omniumque relationum quas habet necessariò ad Deum, naturaliter verò ad corpus.

Non sufficit confusè sentire & cognoscere vestigia cerebri mutuis vinculis inter se colligari, ipsaque semper cum motu spirituum animalium conjungi, vestigia in cerebro excitata ideas in mente excitare, motusque in spiritibus animalibus excitatos affectus in voluntate movere. Hæc, inquam, omnia confusè cognoscere non sufficit. Sed præterea, quantumquidem id fieri potest, harum omnium analogiarum, horumque variorum vinculorum causa cognoscenda est, ut & præsertim effectus quos edere queunt.

Horum, inquam, vinculorum cognoscenda est causa, quia scilicet necesse est cognoscere ducem & rectorem nostrum, qui solus in nobis agere, nosque beare aut infelices reddere potest. Istorum præterea vinculorum cognoscendi sunt effectus, quia, quantum in nobis est, nosmetipsos cæterosque homines quibuscum degimus cognoscere expedit. Hoc pacto ad feliciorum perfectiorumque statum, quem juxta ordinem naturæ, legesque Evangelii sperare possimus, nosmetipsos perducere, atque in eo nos conservare valebimus. Et cum cæteris hominibus commodè poterimus degere, cum probè cognoscemus quo pacto possimus sive eorum ope uti, sive iis opem ferre.

Isthæc explicare non in hoc toto libro, nedum in hoc capite, apud me non constituo. Multa sunt quæ non assequutus sum, quæque me unquam assequuturum esse sperare non ausim: sunt etiam quæ satis quidem teneo, nec possum tamen explicare. Nullum enim est ingenium, quantumvis parvum, quod inter meditandum plures non comperiat veritates, quàm homo omnium eloquentissimus posset explanare.

Haud arbitrandum est, ut plerique Philosophi arbitrati sunt, mentem fieri corpoream statim atque corpori conjungitur, corpusque fieri spirituale statim atque spiritui conjungitur. Mens non diffunditur per singulas corporis partes ut ei vitam motumque impertiatur; ut id nobis inducit

I.  
De conjun-  
tione men-  
tis cum cor-  
pore.



ducit imaginatio: corpúsque per conjunctionem suam cum mente non fit sensus capax, ut id nobis evincere videntur sensus nostri fallaces, utraque substantiá remanet id quod erat ante conjunctionem, & quemadmodum mens non est capax extensionis & motus, corpus quoque non est capax sensus aut affectus. Conjunctio mentis cum corpore, quantum quidem illam cognoscere possumus, consistit in mutuá & naturali analogiá inter cogitationes mentis & vestigia cerebri, inter affectus mentis & motus spirituum.

Statim atque mens novas excipit ideas, nova cerebro imprimuntur vestigia, & statim atque res objectæ efficiunt nova vestigia, mens novas excipit ideas: Non existimandum tamen est mentem illis vestigiis attendere, cum ea ne cognoscat quidem, nec putandum est has ideas in iis vestigiis includi, cum nulla sit inter vestigia & ideas illas analogia; nec denique mentem a vestigiis háscé ideas excipere, quippe, ut infra sumus explicaturi, impossibile est mentem quicquam a corpore excipere, aut ipsam fieri perspicaciorem quàm erat antea se ad corpus convertendo, ut id contendunt Philosophi, mentem res *per conversionem ad phantasmata* apprehendere existimantes, sed hæc omnia fiunt ex generalibus mentis cum corpore conjunctionis legibus, ut ibidem explicabo.

Sic statim atque mens brachium moveri vult, brachium movetur, quamvis mens ne cognoscat quidem quid agendum sit ut brachium moveatur, & statim atque spiritus animales agitantur, mens statim commovetur, quamvis ne sciat quidem an sint spiritus animales in corpore.

Quum agam de affectibus, agam etiam de vinculo mutuo quod intercedit inter vestigia cerebri & motus spirituum, ut & de vinculo quod est inter ideas & affectus, sive commotiones mentis, hinc enim pendent omnes affectus. Hic autem tantum agitur de mutuá inter ideas & vestigia analogiá, & de mutuo vinculo vestigiorum inter se invicem.

*Tres causæ mutue inter ideas & vestigia analogiæ.* Sunt tres causæ consideratione maximè dignæ analogiæ idearum cum vestigiis. Prima & quam aliæ supponunt est natura, sive constans & immutabilis creatoris voluntas; naturale est v. g. nec e voluntate pendens vinculum inter vestigia quæ efficiunt mons aut arbor quam cernimus & ideas arboris aut montis; inter vestigia pariter quæ in cerebro nostro efficiunt hominis aut animalis cujuscumque patientis & lamentantis clamores, hominis comminantis aut nos metuentis facies, inter hæc, inquam, vestigia atque ideas doloris, roboris, debilitatis, imo inter hæc vestigia & sensus commiserationis, metus, aut audaciæ, qui in nobis excitantur.

Ea naturalia vincula omnium sunt validissima, in omnibus hominibus in genere similia sunt, & ad vitæ conservationem omnino necessaria.

Atque



Atque ideo e voluntate nostra non pendent. Si enim debile est idearum cum sonis aut certis characteribus vinculum, sique in diversis regionibus omnino diversum est, id ex eo fit quod ex debili & mutabili hominum voluntate pendeat, atque ideo inde pendet id vinculum quod ad vitam non omnino sit necessarium, sed tantum modo ad vivendum ut homines qui inter se rationalem fovere debent societatem.

Secunda causa analogiæ idearum cum vestigiis est temporis identitas: sæpe enim satis est nos certas quasdam habuisse cogitationes eodem tempore quo in cerebro nostro nova erant vestigia, ut vestigia non amplius possint imprimi, quin de integro novas illas habeamus cogitationes. Si idea Dei sese objecit menti meæ eodem tempore quo cerebrum meum hisce tribus characteribus *iab* affectum fuit, sufficet si vestigia quæ hi characteres aut ipsorum sonus in cerebro insculperint denuo excitentur, ut de Deo cogitem; nec de Deo cogitare potero quin statim in cerebro vestigia quædam confusa producantur horum characterum aut sonorum, quorum occasione antea de Deo cogitaveram, cum enim cerebrum nunquam sit sine vestigiis, ea semper habet quæ aliquo modo referuntur ad res quas cogitamus; quamvis hæc vestigia ut plurimum sint admodum imperfecta atque confusa.

Tertia causa mutuæ inter ideas & vestigia analogiæ, quæque primam semper supponit, est voluntas hominum. Et certè hæc voluntas necessaria est ut analogia illa idearum cum vestigiis suum habeat modum & usui accommodetur. Si enim homines naturâ suâ ad id non propenderent ut ex mutuo inter se pacto ideas suas signis sensibilibus alligent, non modò ista analogia idearum societati esset prorsus inutilis, verum etiam perquam inordinata & imperfecta.

Primò quia ideæ cum vestigiis arctè non ligantur, nisi cum spiritus agitatissimi hæc vestigia profunda efficiunt & firma. Cum itaque spiritus non agentur nisi per affectus, si homines nullo affectu sive inclinatione ad suas ipsorum communicandas aliorumque participandas cogitationes moverentur, manifestò patet analogiam accuratam idearum cum quibusdam vestigiis vix admodum debilem, cum hisce analogiis seu vinculis regularibus & accuratis non obligentur, nisi ut ab aliis intelligi possint.

Secundò, cum iteratus concursus earundem idearum cum iisdem vestigiis necessarius sit ad formandam analogiam seu vinculum quod diu possit conservari, quia scilicet primus concursus, nisi violento spirituum animalium motu sit comitatus, vincula fortia non potest efficere; hinc manifestò patet, nisi homines inter se mutuò consentirent, vix ac ne vix unquam futurum ut eadem ideæ eademque vestigia inter se concurrerent. Voluntas itaque hominum necessaria est ut mutua inter easdem ideas eademque vestigia analogia certum possit habere modum, licet ista voluntas inter se consentiendi non tam ex ipsorum optione & ratione & ratione fluat, quàm ex impressione Autoris Naturæ qui nos



omnes condidit ut nobis invicem mutuam conferamus opem, nosque inclinatione vehementissimâ ad id impulit, ut mutuo inter nos conjungamur vinculo per mentem, quemadmodum conjungimur per corpus.

Cæterum seculò hîc animadvertendum est mutuam analogiam idearum quæ spiritualia a nobis distincta menti nostræ repræsentant cum vestigiis cerebri non esse, nec posse esse naturalem; atque illam proinde analogiam in omnibus hominibus diversam esse, aut saltem esse posse, cum non aliam habeat causam præter ipsorum voluntatem, & identitatem temporis de quâ supra loquutus sum. At contrâ vinculum quod est inter ideas omnium rerum materialium & vestigia quædam specialia est naturale; unde fit ut certa quædam vestigia eandem in omnibus hominibus excitent ideam. Omnes, exempli gratiâ, homines ideam quadrati proculdubio habent, dum quadratum vident, quia hæc analogia est naturalis. Sed meritò dubitari potest utrum omnes homines habeant ideam quadrati, quum hanc vocem, *quadratum*, proferri audiunt, quia nempe hæc analogia omnino pendet a voluntate. De omnibus vestigiis quæ ideis rerum spiritualium alligantur idem esto judicium.

Quia verò vestigia quæ naturâ suâ ideis alligantur mentem afficiunt, applicant & attentam præbent, plerique homines veritates sensibiles, hoc est mutuas relationes quæ sunt inter corpora percipiunt facilius & conservant. Sed vice versâ, quia vestigia quæ nullo alio vinculo cum ideis conjunguntur, quàm voluntario, mentem vividè non afficiunt, ideo homines res abstrusas, hoc est relationes mutuas inter ea quæ sub imaginationem non cadunt, difficilè percipiunt, multò difficilius retinent. Quòd si relationes illæ sint parumper complexæ tum omnino imperceptæ videntur, iis præsertim qui ejusmodi rebus non assueverunt; quia scilicet, analogiam inter ideas illas abstractas, & vestigia cerebri sui meditatione assiduâ non confirmârunt. Et quamvis alii illas relationes perfectè perceperint, citò tamen ab iis oblivioni traduntur, quia nempe hæc conjunctio nunquam æquè firma est & stricta ac naturales conjunctiones esse solent.

Difficultatem quam spiritualia & abstrusa percipiendo & retinendo experimur ex eo manare constat, quod analogiam seu vinculum mutuum quod est inter istorum ideas & vestigia cerebri vix possumus confirmare ac corroborare; ut vel ex eo patet quòd si per relationes rerum materialium possis explicare relationes rerum spiritualium, eas certè relationes clarissimas dabis, easque ita menti imprimes, ut non modò fidem certissimam obtineant, verùm etiam facillimè retineantur. Idea generalis quam de mente tradidimus in primo hujusce operis capite, hujus rei argumentum forsan est non adspernandum.

Contrâ si relationes quæ sunt inter materialia aliquis ita exprimat ut nulla sit inter ideas & vestigia ipsorum vocum necessaria analogia; eas relationes vix poteris concipere, & facillimè e memoria elabentur.

Qui, exempli gratiâ, in algebrâ & analysi tirocinii rudimenta non-

dum



dum depofuerunt vix poffunt capere demonstrationes algebraicas, ac eas femel perceptas facile oblivioni tradunt. Quia nempe cum quadrata, exempli gratiâ, parallelogrammata, cubi, folida, &c. per hâcce notas *aa*, *ab*, *a3*, *abc*, &c. designentur, quorum veftigia nullam habent naturalem analogiam cum ideis quadrati, parallelogrammatis &c. mens quò sibi fixas fingat ideas, aut iftarum relationes examinet, non invenit.

Qui verò Geometriam vulgarem addifcere incipiunt, facillimè & clariffimè percipiunt demonftratiunculas quæ ipfis explicantur, dummodo voces quibus utuntur magiftri diftinctè intelligant; quia fcilicet, ideæ quadrati, circuli &c. veftigiis figurarum quas ob oculos habent naturâ fuâ alligantur. Nec rarò etiam contingit ut fola figuræ quæ demonftrationi infervit expositio faciliorem ipfis det intelligentiam iftius demonftrationis quàm omnia ratiocinia quibus illa explicari folet. Quia voces, cum inftituto dumtaxat voluntario ideis alligentur, ideas illas fatis promptè & diftinctè non excitant ut omnes relationes facile dignofci poffint, hinc enim præcipua manet difficultas, quàm in fcientiis difcendis experimur.

Ex his obiter colligere eft, fcriptores illos qui novas voces, novafque figuras fingunt, ut animi fenfa aperiant, operâ ut plurimum fuâ abuti. Dum clari effe student, fiunt obfcuri. Omnes inquirunt, voces noftras, & characteres definimus, de iis apud cæteros convenire par eft. Verum quidem eft. Cæteri fatentur, fed voluntate tantum; dum iis ipforum natura repugnat. Ipforum ideæ novis hifce vocibus alligatæ non funt; id enim fine longo & frequenti ufû fieri nequit. Authores illum fortè ufum fibi comparaverunt, Lectores verò non item. Qui mentem inftituere fatagit ipfam debet priùs cognofcere. Naturæ feffe conformare oportet, non verò illam irritare & lædere.

Non eft tamen Mathematicis vitio vertendus labor, quem fuas voces accuratè definiendo fufcipiunt, id enim proculdubio neceffe eft ut tollantur æquivocationes. Sed quantum fieri poteft, adhibendæ funt voces ufû receptæ, aut quarum fignificatio non valdè differat ab eâ quam admittere volumus. Quod non femper obfervatur in mathematicis.

Nec etiam algebram, qualem præcipuè illam inftauravit Cartefius, damnare his volumus, licet enim quarumdam hujus fcientiæ vocum novitas menti negotium primâ fronte faceffat, in his tamen vocibus vix ulla eft varietas & confufio, utilitas præterea quæ ex illâ fcientiâ percipitur laborem in eâ exantlatum tantis exfuperat momentis, ut methodus ratiocinandi & ratiocinia cum aliis communicandi naturæ concinnior, & veritatibus occultis detegendis aptior nulla inveniri poffit. Hujus fcientiæ voces mentis capacitatem diverfam non agunt, memoriam non onerant, ideas noftras & ratiocinia mirè contrahunt, ipfaque ufû fenfibilia aliquatenus reddunt. Iftarum denique vocum utilitas longè fuperat utilitatem vocabulorum quibus figuræ triangulorum, quadrato-



rum, &c. exprimuntur, licet naturalia sint, quæ veritatum subobscurarum investigationi, & expositioni infervire nequeunt. Sed de analogiâ idearum cum vestigiis cerebri hæc dicta sufficiant. Jam ad mutuam vestigiorum inter se invicem vinculum transeundum est, ac ideo ad vinculum mutuam quod est inter ideas hisce vestigiis respondentem.

II.  
De mutuo  
vestigiorum  
inter sese  
vinculo.

Istud vinculum in eo consistit quod vestigia cerebri inter se invicem ita colliguntur, ut amplius excitari non possint quin ea omnia quæ eodem tempore impressa fuerunt etiam excitentur. Aliquis, exempli gratiâ, festo cuidam publico interfuerit, si omnes circumstantias, præcipuosque observet adstantes, tempus, locum, diem, cæteraque peculiariora; sufficiet si loci duntaxat meminerit, aut etiam alius cujuspiam circumstantiæ minùs memorabilis, ut cæteras sibi repræsentet. Hanc ob causam quando rem aliquam nomine suo designare non possumus, sufficiet si utamur nomine quod aliquam hujus rei circumstantiam denotet. Si, exempli gratiâ, nominis proprii Ecclesiæ cujusdam obliti fuerimus, illam alio nomine quod ad eam aliquomodo referatur indigitabimus; illa est Ecclesia, verbi gratiâ, in quâ tanta erat turba, in quâ D. concionem habuit, in quam novissimâ die dominicâ convenimus. Si verò nominis proprii alicujus hominis non possumus recordari, aut illum alio nomine designare commodiùs ducamus, illum, exempli gratiâ, poterimus indicare per faciem suam variolarum cicatricibus distinctam, per hominem illum grandi & eleganti corpore, per parvum illum gibbosum, pro variis quibus erga illum movebimur affectibus, licet de quoquam per contentum loqui sit iniquum.

Jam autem mutuam vestigiorum vinculum, atque adeo idearum inter se, non est modò fundamentum omnium figurarum Rhetorices, sed eo etiam vinculo nituntur innumera alia maximi momenti in Ethicâ, Politicâ, atque in genere in omnibus scientiis, quæ aliquam cum homine habent analogiam, ac de quibus ideo infra sumus dicturi.

Istius mutui vestigiorum vinculi causa est *identitas* temporis quo cerebro insculpta fuerunt. Sat enim est multa vestigia simul formata fuisse, ut non nisi simul etiam denuo excitentur; Cum enim spiritus animales viam vestigiorum eodem tempore editorum inveniant hiulcam, per eam pergunt, quia, nempe, facilius datur transitus quàm per alia cerebri loca. Hinc memoria & habitus corporei cum bellis nobis communes oriuntur.

Hæc mutua vestigiorum vincula cum spirituum commotionibus non semper junguntur, quia scilicet, ea omnia quæ videmus non semper nobis bona vel mala videntur, hæc etiam vincula possunt dirumpi, quia cum non sint semper necessaria ad vitæ conservationem eadem quoque semper non debent esse.

Sed quædam sunt in cerebro nostro vestigia inter se invicem naturali vinculo colligata, & præterea cum quibusdam spirituum motibus conjuncta, quia scilicet id ad conservationem vitæ necessarium est, ipsorumque



que vinculum facillè saltem disjungi nequit, quia idem illud semper esse expedit. Vestigium, exempli gratiâ, ingentis altitudinis quam quis infrâ se videt, & e quâ delabi periclitatur, aut ingentis alicujus molis in eum imminentis naturâ conjungitur cum vestigio quod mortem ipsi repræsenterat, & cum agitatione spirituum quæ ipsum ad fugam aut fugæ desiderium incitat. Vinculum illud nunquam interrumpitur, quia nempe idem semper esse debet; consistitque in certâ fibrarum cerebri dispositione, quæ ex quò nati sumus in nobis est.

Vincula omnia non naturalia rumpi possunt & debent, quia variâ temporum & locorum circumstantiâ ipsa debent mutare ut vitæ conservationi conducant. Utile est perdiri, exempli gratiâ, fugere homines sclopetis armatos in iis locis. & temporibus queis istis animalibus insidiari solent venatores, aliis verò temporibus ipsas fugere non est necessarium. Itaque, ad omnium animalium conservationem necesse est dari vincula quædam vestigiorum quæ possint facillè formari & destrui; alia verò quæ non nisi difficulter possint dirumpi, alia denique quæ nunquam.

Quid ejusmodi varia vincula valeant efficere perquam utile est disquirere. Horum enim effectus quamplurimi sunt, & ingentis momenti ad hominis omniumque quæ ad illum spectant cognitionem.

Ut memoriæ natura explicetur, id quod jam sæpius dictum est revocatum velim, scilicet, varias nostras perceptiones mutationibus quæ fiunt in fibris præcipuæ cerebri partis in quâ potissimum sedet mens alligatas esse.

Hoc solum posito memoriæ natura explicatur. Quemadmodum enim rami arboris cujuslibet, si certo quodam modo complicati aliquandiu remanserint, eodem modo facillè possunt postmodum complicari, sic fibræ cerebri, ubi semel quasdam impressiones spirituum animalium concursu & rerum objectarum actione acceperunt, ad easdem dispositiones recipiendas aptitudinem diu satis conservant. Jam autem memoria in hâc solâ facilitate consistit, quandoquidem de rebus iisdem cogitamus, cum easdem impressiones recipit cerebrum.

Cum spiritus animales modò vehementius modò leviùs agant in substantiam cerebri, cumque res sensibiles fortiùs multò agant quàm sola imaginatio; hinc facillè comperias cur rerum omnium non sit æqualis recordatio. Cur exempli gratia quod multoties percepisti, vividius sese menti tuæ objiciat quàm quod semel aut bis tantum. Cur eorum quæ vidisti recordatio sit distinctior quàm eorum quæ duntaxat imaginatus es; cur ideo distributio venarum in jecore certius & clariùs tibi innotescat, postquam illam semel vidisti in dissectione istius partis, quàm postquam illam multoties legisti in tractatu quodam anatomico, & sic de cæteris.

Qui ad ea quæ de imaginatione & de memoriâ dicta sunt attendet, falsumque illud abdicabit præjudicium quo cerebrum nostrum satis ma-



gnum non judicamus ut possit vestigia & impressiones maximâ cum copiâ conservare, is certè stupendorum memoriæ effectuum, de quibus Augustinus decimo Confessionum libro mirabundus loquitur, causam maximâ cum voluptate deprehendet. Ab iis fusiùs explicandis ex professò supersedeo, id enim unumquemque sibi met ipsi aliquo ingenii conamine explicare satius existimo. Quæ enim per nos didicimus longè majorem creant voluptatem quàm quæ ab aliis accepimus.

IV.  
De habitibus.

\* Alibi explano quâ in re consistat hæc facultas.

Ut ad habituum explicationem deveniamus, quomodo mentem partes corporis cui conjuncta est movere concipiamus, hîc aperire operæ pretium est. Res autem sic a nobis concipitur. Verosimillimum est quibusdam cerebri locis, ubi ubi sint, semper inesse non parvam spirituum animalium copiam, qui spiritus cordis unde exiverunt calore concitatissimi ad id semper sunt parati, ut quâ data porta ruant; omnes nervi in receptaculum illorum spirituum coeunt, mens autem pollet\* facultate ipsorum motum determinandi, ipsosque per nervos illos in musculos corporis deducendi. Postquàm spiritus illi musculos subiverunt, tum illos inflant ac proinde contrahunt; atque hoc pacto movent partes quibus muscoli adhærent.

Mentem eo quem diximus modo corpus movere quilibet facîle sibi persuadebit si ad id attendat; nempe cum quis aliquandiu jejunus mansit, certè quoquo velit movere corpus modo, in cassum enitetur, immò vix pedibus stare poterit. At verò si liquorem aliquem maximè spirituosum, ut vinum aut aliquid simile, possit cordi instillare, protinus corpus promptius obedire sentiet, ac quolibet modo movebitur. Ex hoc enim experimento quis non videt mentem corpori suo, deficientibus spiritibus, motum indere non potuisse, at verò spiritibus suppetentibus imperium in corpus denuo recuperasse?

Jam autem musculos inflari in agitationibus brachiorum, cæterarumque corporis partium adeo evidenter patet, tamque verisimile est musculos illos non posse inflari nisi quia corpus aliquod in illos se insinuat; quemadmodum follis non potest intumescere nisi aër seu aliud quoddam corpus illum subeat; hæc, inquam, ita clara sunt ut extra omnem dubii aleam positum videatur, quòd scilicet spiritus animales e cerebro per nervos in musculos usque pelluntur, ut nempe muscoli iis spiritibus inflentur, & quovis moveri possint modo. Cum enim musculus plenus est, necessariò brevior est quàm cum vacuus erat, unde fit ut trahat moveatque partem illam cui adhæret; porrò id videbis fusiùs in libris quos de *Affectibus* & de *homine* Cartesius in lucem edidit. Hanc tamen explicationem omnibus suis numeris demonstratam & perfectam non habemus, nec eam ut talem prodimus. Multa desiderantur quæ vix assequi possumus, sine quibus tamen explicatio illa non potest evadere perfecta. Sed hæc nihil ad rem nostram faciunt; ista enim quam tradidimus explicatio, sit vera necne, perinde tamen inservit explanandæ habituum naturæ; si enim mens hoc modo non



do non movet corpus, illud saltem necessariò movet motu quodam huic quem explicuimus satis simili, ut consequentias quas elicuimus possumus legitimè elicere.

Sed ut explicationi nostræ insistamus observandum est spiritus animales vias per quas ipsis transeundum est satis liberis apertisque non semper invenire; unde fit ut, exempli gratiâ, ægrè moveamus digitos eâ celeritate quæ ad pulsanda instrumenta requiritur, aut musculos pronuntiatiioni inservientes cum voces linguæ peregrinæ pronuntiare volumus; sed paulatim spiritus animales fluxu continuo aperiunt & planas faciunt vias illas, adeo ut temporis successu nullam patiantur vim aut difficultatem. In hac autem promptitudine quâ spiritus animales per membra corporis transeunt consistunt habitus.

Ex hac explicatione innumeræ quæstiones quæ circa habitus solent agitari perquam facillimè solvi possunt. Cur, exempli gratiâ, infantes novos habitus acquirant faciliùs quàm homines ætate provectiores. Cur veteres habitus spoliare sit difficillimum. Cur homines loquendo tantam loquendi facilitatem comparaverint ut incredibili celeritate voces enuncient, immo sæpissime lingua præcurrat mentem, ut sæpius contingit in iis qui recitant orationes quas a puero didicerunt: Ut unum tamen enuncietur verbum certo quodam tempore, certoque ordine simul movendi sunt multi musculi, ut musculi linguæ, musculi labiorum, musculi gutturis & diaphragmatis. Sed circa hæc quæstiones multasque alias curiositatem moventes, nec inutiles nemo est qui sibi non satisfaciât si tantillum meditetur; his itaque supersedeo.

Ex suprâ dictis videre est magnam esse analogiam inter memoriam & habitus, memoriâque aliquo sensu haberi posse pro habitu. Quemadmodum enim habitus corporei consistunt in promptitudine quâ spiritus animales per quædam corporis loca transire affueverunt; sic memoria consistit in vestigiis quæ iisdem spiritus insculpserunt cerebro, quæ vestigia efficiunt ut possimus rerum antea actarum recordari, adeo ut si nullæ perceptiones cursui spirituum animalium illisque vestigiis alligarentur, nullum foret discrimen inter memoriam & habitus. Nec difficiliùs concipi potest quo pacto belluæ mente destitutæ ac proinde nullius perceptionis capaces, suo belluino modo, rerum quæ cerebro ipsarum impressæ fuerunt recordentur, quàm concipitur quo pacto varios habitus comparare possint; Et si quis ad ea quæ diximus attendat, non est quod magis stupeat quòd membra corporis belluarum paulatim varios comparent habitus, quàm quòd machina recens fabricata æquè facillè non moveatur, quàm cum jam eâ sæpius usus es.



## CAPUT VI.

I. *Fibras cerebri non mutari æquè celeriter ac spiritus.* II. *Tres mutationes in tribus hominis ætatibus.*

I. *Fibras cerebri non æquè celeriter mutari ac spiritus.* **S**ingulæ corporum viventium partes, solidæ æquè ac fluidæ, caro non secus ac sanguis, perpetuo agitantur motu. Cum hoc tamen discrimine, quòd motus partium sanguinis sit visibilis & sensibilis, motus verò fibrarum carnis sit omnino imperceptus. Spiritus igitur a substantiâ cerebri in eo differunt quòd spiritus animales sint agitatissimi & maximè fluidi, substantia verò cerebri aliquam habeat soliditatem stabilitatemque; adeo ut spiritus in particulas tenuissimas divisi paucis horis dissipentur, transpirando per poros vasorum quibus continentur; iisque sæpius succedant spiritus alii a prioribus penitus dissimiles: fibræ verò cerebri æquè facile non dissipantur, in ipsis rarò contingunt mutationes alicujus momenti; ipsarumque substantia nonnisi multis elapsis annis potest immutari.

II. *Tres mutationes in tribus hominis ætatibus.* Differentiæ memorabiliores quæ in ejusdem hominis cerebro per totam vitam deprehendantur, sunt in infantia, in ætate virili, & in senectute.

Fibræ cerebri per infantiam sunt molles, flexiles & delicatæ, ætate provectâ fiunt sicciore, duriores, firmiores: sed per senectutem sunt penitus inflexiles, crassæ & nonnunquam humoribus superfluis intermixtæ, quos debilis hujus ætatis calor non potest dissipare amplius. Quemadmodum enim fibræ quibus constat caro paulatim indurescunt, & sicut caro pulli perdicis tenerior est carne ipsius perdicis annosæ, ita fibræ cerebri infantis aut adulti longè molliores & delicatiores esse debent fibris hominum ætate provectorum.

Harum mutationum causâ facilè tibi innotescet, si attendas fibras illas perpetuò agitari a spiritibus animalibus, qui circa illas multifariam circumfluunt. Quemadmodum enim venti terram cui afflant exsiccant, sic spiritus animales agitatione perpetuâ plerasque cerebri fibras paulatim exsiccant, comprimunt & consolidant, adeo ut fibræ hominum ætate provectorum difficilius inflectantur fibris juniorum. Quod verò ad coætaneos spectat, vinolenti qui per multos annos vinum aut aliam potionem immoderatè potarunt, fibras habere debent solidiores & minus flexiles quàm illi qui ejusmodi potibus per totam vitam abstinerunt.

Variæ autem cerebri constitutiones in infantibus, in viris, & in senibus causæ sunt valde efficaces hujusce differentiæ quæ deprehenditur in  
facul-



facultate imaginandi hominum qui in hisce tribus versantur ætatibus, de quibus jam loquemur; ac id. quidem quid eveniat in cerebro infantis examinemus, cum adhuc in utero matris inclusus est.

CAPUT VII.

I. De communicatione quæ est inter cerebrum matris & cerebrum infantis ipsius. II. De communicatione quæ est inter cerebrum nostrum & cæteras corporis partes quâ ad imitationem misericordiamque movemur. III. Explicatio generationis monstrorum, & propagationis specierum. IV. Quædam inordinationes mentis & inclinationum voluntatis explicantur. V. De concupiscentiâ & peccato originis. VI. Objectiones cum responsionibus.

**N**Os cum omnibus rebus creatis aliquo vinculo coherere, atque cum iis omnibus quibus circumcingimur aliquâ convenire analogiâ clarum satis mihi videtur. Porro ex illâ ipsâ analogiâ, non parum percipimus utilitatis ad vitæ nostræ conservationem commoditatēque. Cum Galliâ longè arctiùs jungimur quàm cum gente Sinarum, cum sole quàm cum stellâ aliquâ remotiore, cum ædibus nostris quàm cum alienis. Quæ propiora nobis sunt nos propiùs attingunt. Vinculis quibusdam imperceptis strictiùs hominibus quàm belluis, cognatis & amicis quàm peregrinis, iis a quibus vitæ nostræ conservatio pendet, quàm iis a quibus nil metuimus speramûsve, adhærescimus.

Porro quod in illâ quæ nos inter cæterosque homines deprehenditur naturali conjunctione potissimùm observatu dignum est in eo consistit, quòd hæc conjunctio eò arctior sit quò iis hominibus indigemus magis, Cognati & amici mutuo junguntur vinculo, Ipsorum dolores, calamitates, voluptates, gaudia inter utrosque communia dicas. Quæcunque enim sentiunt patiunturve amici nostri nos pariter sentimus patimurve, ipsorum habitu externo scilicet commoti. Quia tamen sine iis vivere possumus, conjunctio illa mutua & naturalis quæ nos inter & ipsos intercedit non est omnium conjunctionum arctissima.

Infantes in utero materno quorum corpus nondum omnino formatum est per se tantâ sunt debilitate & egestate, ut conjunctione omnium arctissimâ cum matribus congiungi debeant. Et licet ipsorum mens a mente matris sit separata, cum tamen ipsorum corpus ab ipsius matris corpore non sejungatur, utrumque iisdem prorsus sensationibus, iisdemque affectibus affici existimandum est; uno verbo eadem cogitationes

*Malebraucii de Inquisit. Verit.*

O

quæ

I.  
De communis  
nicatione  
quæ est inter  
cerebrum  
matris &  
cerebrum  
infantis ipsius,



quæ in mente matris occasione motuum corporis excitantur in ipsis excitari debent.

Quicquid mater videt, audit, sentit, patitur, illud pariter videt, audit, sentit & patitur infans. Cum enim oris species totiusque corporis habitus hominis motu aliquo violento perciti adstantes pervadat penetrétque, & eos in similem animi motum veluti transformet, quamvis homo ille cum adstantibus non strictè conjungatur; Cum hæc, inquam, ita sint, quis merito non credat matrem infanti easdem quibus ipsa afficitur sensationes imprimere posse; eisdemque in eo affectus excitare? Corpus enim infantis unum est corpus cum corpore matris: sanguis spiritusque utriusque sunt communes. Jam autem sensationes & affectus a motibus sanguinis & spirituum pendent ordine naturæ, istique motus e matre ad infantem necessariò transeunt. Ergo omnes affectus, omnes sensationes & in genere omnes perceptiones quæ corporis occasione fiunt matri & infanti communes sunt.

Hæc mihi quidem multis de causis videntur omni exceptione majora, si enim attendas sæpe fieri ut mater felis conspectu maximè perterrita infantem pariat qui pariter, quotiescunque tale conspiciat animal, totus perhorrescit, hinc facillè colligas illum infantem maximo jam horrore animi, atque non sine magnâ spirituum commotione id vidisse quod mater eum in utero gestans videbat, quoniam ipse felis nullo eum malo afficientis conspectus tam singulares adhuc in eo producit effectus. Hæc tamen non propono nisi tanquam hypothesein quandam, quæ meo quidem iudicio infra demonstrabitur. Omnis enim hypothesis quæ difficultates quaslibet solvere potest ut axioma quoddam infractum haberi debet.

**II.** Vincula invisibilia quibus Author Naturæ sua inter se connectit opera ipsius sanè sapientiâ hominûmque admiratione digna sunt. Hæc nobis simul documento & admirationi esse debent, sed de iis ne per somnium quidem cogitamus, cæcorum adinstar ducem sequimur, nec eum videmus, rationemque quâ nos ducat ignoramus. Natura æquè ac ipsius Author nos latent, motus qui in nobis excitantur sentimus quidem, sed ad causas motrices non attendimus. Nulla tamen est cognitio quæ nobis sit magis necessaria. Ex hac enim eorum omnium quæ ad hominem pertinent pendet explicatio.

In cerebro nostro haud dubiè quædam est dispositio atque compages quæ nos ad imitationem naturali quodam fert motu; id enim societati civili necesse est. Non modò liberi parentibus, discipuli magistris, inferiores superioribus credere & morem gerere debent; sed præterea omnes homines ad id naturâ suâ comparati esse debent ut iisdem sese accommodent agendi rationibus, iisdemque etiam actionibus quibus uti solent homines quibuscum degunt. Ut enim homines inter se congi possint, similes esse debent & quoad corpus & quoad ingenium: Atque istud principium est innumerarum rerum de quibus infra: Cæterum



terum ad ea quæ hoc capite dicturi sumus, istud adhuc monitum velim, nempe in cerebro esse dispositiones quasdam naturales quæ nos ad misericordiam æquè ac ad imitationem ferunt.

Sciendum est igitur non modò spiritus animales in eas corporis partes sponte ferri, ut eadem agamus, iisdemque moveamur motibus quæ cæteri homines nobis adspicientibus agunt, quibusque moventur, sed etiam ut eorum vulnera, si fas sit ita loqui, quadantenus accipiamus, miseriarumque misereamur; Quum enim, ut id experientiâ constat, in hominem quempiam ictu violento percussum aut graviter faucium oculos attentos desigimus, tum spiritus in eas corporis nostri partes magnò nisu decurrunt quæ partibus illius hominis læsi respondent, nisi cursus spirituum, aliâ aliquâ parte satis vehementer & de industriâ titillatâ, aliorum deflectatur, aut nisi fluxus naturalis ad cor & viscera, qui in motibus subitaneis contingere solet, secum trahat aut immutet fluxum illum de quo loquimur, aut nisi denique idem efficiat conjunctio aliqua insolita vestigiorum cerebri cum motibus spirituum.

Illam spirituum in partes corporis nostri quæ respondent partibus quas in aliis vulnerari cernimus translationem in hominibus delicatis, quorum imaginariâ vivida est carnesque teneræ & molles, experiri facile est. Fremitum enim quemdam in cruribus sentiunt, si in hac alicujus hominis parte ulcus videant, aut eundem hominem percuti in illâ parte conspiciant. Rem confirmabit quod amicus quidam ad me nuper rescripsit. *Egrotante, inquit ille, sene quodam qui apud sororem meam degebat, factum est ut junior ancilla candelam admoveret, dum agro venæ pedis incidere videretur, simul ac illa scapellum vidit infixum, tantus pavor ipsius invasit artus ut per triduum aut quatrimum in eodem pedis loco quem viderat incidi dolorem senserit adeo acerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit.* Atque hujusce rei causa hæc est, spiritus scilicet in illas corporis partes sese violenter diffundunt; quo factò partes illæ intensiores factæ vehementiorem in mente excitant sensationem, ut sibi ab incommodis quæ aliis inferri videt præcaveat.

Ea corporum *compassio* in mente commiserationem efficit, ac ad aliorum dolores leniendos nos adducit, quia hoc etiam pacto nostros lenimus. Quid plura? nostram compescit malignitatem crudelitatemque: horror enim quem sanguis creat, & mortis formido, uno verbo, impressio illa quam efficit *compassio* ab interficiendis belluis illos etiam plerunque deterret apud quos bruta nil aliud esse præter machinas quasdam certissimè constat; plerique homines belluas illas non possunt trucidare, quin repercussu compassionis ipsi lædantur.

Porro hæc sedulò observandum est visum sensibilem vulneris quo quispiam affectus est eò gravius in adspicientibus vulnus efficere quò debiliores sunt & delicatioribus; Cum enim visus ille sensibilis anima-



les spiritus in eas corporis partes magnâ velocitate concitet quæ partibus in alio læsis respondent, spiritus illi in fibras corporis teneri majorem efficiunt impressionem quàm in fibras corporis robusti.

Homines itaque robusti atque vegeti cædis alicujus conspectu non læduntur; & ad commiserationem non ideo moventur quòd visus ille corpus ipsorum infestet, sed quòd ipsorum rationem offendat. Reorum non miserentur exorari aut flecti nequeunt. Fœminæ verò & infantes vulnera aliis inflictâ ægrè admodum & anxie ferunt, magnâ miserorum commiseratione moventur motu quodam mechanico. Nec sine sollicitudine belluam vociferantem audire possunt.

Infantes verò quod spectat qui adhuc sunt in utero matris, cum fibras habeant longè molliores quàm sunt fibræ fœminarum & infantium recens natorum, cursus spirituum in iis mutationes longè majores efficere debet ut infra patebit.

Quicquid suprâ dixi habeatur etiam ut suppositio quædam, per me licet. Sed istam hypothesim optimè intellectam velim, ut ea quæ hoc capite sum expositurus distinctè etiam possint intelligi. Hæ duæ hypotheses a me suprâ positæ clavis sunt multorum quæ vulgò difficillima & abstrusissima habentur, quæque revera hisce suppositionibus non admissis explanari nequaquam possent; en tibi exempla.

III.  
*Explicatio  
generatio-  
nis monstro-  
rum, &  
propagatio-  
nis speciei.*

Septem aut octo abhinc annis Parisiis in insanabilem Nosocomio juvenis erat ab ortu mente captus, omnibusque fractus membris quibus frangi solent rei. Per viginti penè annos in eo statu vixit. Non pauci illum viderunt, & ipsa defuncta Regina Regis nostri mater istud nosodochium invisens, illum juvenem videndi, ipsiusque brachia & crura ubi erant confracta contrectandi curiositate ducta est.

\* Juxta  
priorem  
hypothesin.

Ex hypothesibus jam positis hujusce infortunii hæc fuit causa, nempe cum ipsius mater reum mox crurifragio plectendum esse accepisset, istius supplicii testis oculata esse voluit. Singuli ictus quibus exceptus est miser ille imaginationem istius matris & repercussu quodam cerebrum tenerum delicatumque ipsius infantis, vehementer \* affecerunt. Fibræ cerebri istius fœminæ oppidò fuerunt commotæ, quin & forsan fractæ in quibusdam locis cursu violento spirituum ad rei adeo terribilis conspectum agitatorum; satis tamen in istis fibris soliditatis fuit, ut ipsarum ordo & compages penitus non destrueretur; cum, vice versâ, fibræ cerebri infantis non possent resistere rapido cursui spirituum, penitus detritæ fuerunt, tantumque fuit illud detrimentum, ut eo ejus ingenium per totam vitam fuerit labefactatum, & hanc ob causam natus est insipiens. Jam cur iisdem corporis partibus quibus reus quem mater ultima patientem conspexerat confractus esset, videndum est.

Ad conspectum supplicii fœminæ adeo horrendi, spiritus animales



e cerebro in cæteras corporis partes partibus in quibus reus plectebatur respondentes rapidè confluerunt, \* nec res secus contigit in infante. Quia verò ossa matris horum spirituum impetui resistere valebant, illasa remanserunt, nullum fortè etiam dolorem, nullumque horrorem sensit in brachiis & cruribus, dum per illas partes rumpebatur reus. At verò cursus ille rapidus spirituum partes ossium infantis molles & teneras dirumpere valuit. Ossa enim inter corporis partes ultima conformantur, & in infante, dum est in utero matris, soliditatis stabilitatisque oppidò parum habent. Porro illud observandum est quòd nempe, si mater spirituum illorum cursum violentà titillatione aliorsum deflexisset, ipsius infans cum ossibus fractis non prodiiisset, sed gravitèr læsa fuisset pars illa quæ parti versùs quam mater cursum spirituum deflexisset respondisset, ut jam suprà monui.

\* Juxta alteram suppositionem.

Istius sinistri casùs explicatio quam tradidimus infervire etiam potest explicationi plurimorum hujùsce generis; cur exempli gratià, cùm mulieres gravidæ homines in quorum facie aliquis apparet nævus adspicientes eosdem nævos infantibus insculpant, & in iisdem corporis partibus. Nec proinde immeritò monentur sese in aliquà corporis parte occultà conficere, cùm aliquid insolentis percipiunt, vel motu aliquo violento rapiuntur: hinc enim fieri potest ut nævi seu quodlibet aliud partibus illis occultis imprimantur, facie illibatà.

Exempla similia exemplo mox allato sæpissime nobis suppeterent, si infantes tantis acceptis vulneribus diu supervites remanere possent, sed plerunque nil sunt præter abortivos partus. Plerique enim infantes in utero matris quamquam bene valentis morientes non aliam ob causam moriuntur quàm ob terrorem aliquem, flagrantem cupiditatem, aut alium quemlibet motum violentum matris. Ecce aliud exemplum fati speciale.

Ante unum annum, dum Divi Pii relatio inter Sanctos festo solenni celebraretur, mulier quædam prægnans, istius Sancti imagine attentè nimis consideratà, infantem huic imagini prorsus similem enixa est. Os fenis, quantum quidem in infante imberbi fieri potest, gerebat. Ipsi brachia super pectus decussata erant, lumina ad cælum tollebat, erat fronte angustissimà, quia nempe vix apparebat frons istius imaginis versùs Ecclesiæ fornicem erectæ, cælumque adspicientis; mitram quandam habebat humeris inversam vestigiis sphericis distinctam, ubi mitræ gemmis solent obduci. Uno verbo infans ille imaginem, juxta quam mater vi imaginationis suæ ipsum formaverat, admodum referebat. Nemo est cui Parisiis id videre non licuerit æquè ac mihi, cum infans ille in spiritu vini diù fati fuerit conservatus.

Cæterum istud speciale est in hoc exemplo, quòd non hominis vivi motuque aliquo commoti, sed imaginis duntaxat conspectus id prodigii



digii potuerit efficere; at sanè ille conspectus non fuit sine summâ spirituum agitatione ac sensationibus vividissimis, sive ex matris ad id quod videbat applicatione, sive ex commotione quam in illâ festi tumultus excitabat.

Matre igitur in illam imaginem totâ defixâ, spiritibusque ipsius vehementer agitis, infans, juxta priorem suppositionem, eandem imaginem cum applicatione & spirituum agitatione æquè ac mater videbat. Mater istâ imagine vividè percussâ ad ipsius habitum saltem externum sese componebat, juxta posteriorem suppositionem; cum enim ipsius corpus omnino formatum esset, fibræque carnis satis duræ essent ut spirituum cursui resistere possent, in omnibus imagini similem se præbere nequibat. Cum verò fibræ carnis infantis essent admodum molles, ac ideo ad quolibet suscipiendos situs aptæ, fluxus spirituum rapidus ea omnia in ipsius carne effecit, quæ ad id necessaria erant ut imagini omnino similis evaderet, atque penè, saltem quantum poterat, perfecta fuit imitatio cui infantes magis sunt idonei. Sed figura quam ex illâ imitatione corpus infantis contraxit ipsius mortis fuit causa.

Quid possit efficere vis imaginationis matrum multis aliis exemplis, quæ apud Authores extant, possemus demonstrare. Quos enim quandoque foetus edunt abortivos? Non modò infantes informes, sed etiam fructus quos gustare cupiverunt, poma, pyra, uvas, aliæque similia enituntur. Dum matres, exempli gratiâ, pyra imaginantur, ipsorumque comedendorum desiderio flagrant, infantes ea pariter imaginantur, eorumque pari flagrant desiderio, sive jam animatus sit foetus, sive non, jam autem cursus spirituum fructus exoptati imagine excitatus sese diffundit per corpusculum ad figuram mutandam propter mollitiem aptissimum, & sic miseri illi infantes in ea transformantur quæ cupiverunt avidius. Matres verò ex eo nil accipiunt detrimenti, ipsarum, scilicet, corpus non est satis molle ut possit suscipere figuram eorum quæ imaginantur. Ea itaque imitari, ipsisque similes fieri nequeunt.

Nec putandum est mutuam illam convenientiam quam exposui, quæque tot infortuniorum causa est, esse aut inutilem aut contra ordinem naturæ institutam, vice versâ propagationi corporis humani, formationique foetus videtur perquam utilis, quin omnino necessaria est ad transmissionem quarundam cerebri dispositionum quæ pro temporibus & locis variæ esse debent, agnorum enim cerebrum in quibusdam regionibus ita comparatum esse debet ut fugiant lupos, quia, scilicet, in illis locis multi, ipsisque valde formidabiles extant.

Illam quidem communicatio cerebri matris cum cerebro infantis funestis casibus est interdum comitata, cum matres motu aliquo violento sese abripi sinunt. Attamen sine illâ communicatione mulieres & animalia foetus ejusdem speciei edere non possent.

Quamquam enim ratio formationis *foetus* in genere potest explicari, ut id non frustra tentavit Cartesius, sine tamen illâ communicatione cerebri



cerebri matris cum cerebro infantis vix potest explicari cur, exempli gratiâ, equa non gignat bovem, aut gallina ovum perdicis aut alicujus alijs avis. Qui de eâ foetus formatione sunt meditati a meâ, ni fallor, sententiâ non abludent.

Fateor equidem eam esse omnium verosimillimam, & experientia maxime conformem opinionem quâ statuitur infantes jam formatos esse ante actionem illam quâ concipiuntur, matrêque nihil ipsis dare præter incrementum per tempus graviditatis. Illa tamen communicatio spirituum animalium & cerebri matris cum spiritibus & cerebro infantis valde conferre videtur ad determinandum illud incrementum, atque ad dirigendas partes illas quæ ipsius nutritioni inserviunt, ita ut inter se combinentur in ipsius corpore eodem prope modo ac in corpore matris, uno verbo ad efficiendum ut infans sit similis matri aut saltem ejusdem speciei; idque non obscure liquet ex iis quæ contingunt cum matris imaginatio est inordinata, & cum motus aliquis violentus naturalem ipsius cerebri dispositionem mutat; tum enim, ut mox explicuimus, hæc communicatio conformationem corporis infantis mutat, matrêque nonnunquam foetus abortivos edunt eò similiores fructibus quos cupiverunt, quò spiritus facilius per fibras corporis infantis transfereunt.

Non negamus tamen Deum sine hæc communicatione quæcunque ad propagationem speciei necessaria sunt adeo accuratè & regulariter in sæcula infinita disponere potuisse, ut matres nunquam abortivissent, immo etiam liberos ejusdem magnitudinis ejusdemque coloris, ac per omnia similes semper peperissent. Nostrum enim non est Divinam potentiam imbecilli imaginatione dimetiri, nec novimus quibus motus rationibus opus suum ita construxerit.

Plantæ & arbores alias arbores aliasque plantas sibi similes accuratè factis producunt sine istius communicationis ope, volucres & multa alia animalia illâ communicatione non indigent ut animalia diversa foveant & excludant, cum ovis diversæ speciei incubant, ut cum, exempli gratiâ, gallina incubat ovis perdicis. Nec tamen fortè immeritò quis posset existimare in feminibus & ovis jam contineri plantas & aves quæ ex iis educuntur, ipsaque avium corpuscula jam conformata fuisse communicatione supra memoratâ, plantasque suam etiam accepisse conformationem aliâ communicatione æquipollenti; sed id forsân nil aliud est præter meram conjecturam; deinde licet id certo aliquo niteretur fundamento, quænam sint quæ Deus facere potest non tutum est ex iis quæ fecit judicare.

Qui tamen animadvertet plantas quæ matris actione incrementum accipiunt ipsius similitudinem longè melius referre, quàm quæ ex femine nascuntur; tulipas, exempli gratiâ, quæ ex bulbis producuntur ejusdem esse coloris cum matre, cum contra quæ ex femine oriuntur ab eâ fere semper differant; qui, inquam, ad hæc attendet eò certè addu-

cetur



cetur ut credat communicationem matris si omnino necessaria non sit ut fructus sit ejusdem speciei cum eâ, ad id saltem prorsus necessariam esse ut fructus matri sit omnino similis.

Quamvis itaque Deus præferat hanc communicationem cerebri matris cum cerebro infantis quandoque causam fore extinctionis multorum fœtum, & generationis monstrorum, propter inordinationem imaginationis maternæ; illa tamen communicatio adeò admirabilis est, adeoque necessaria, tum ob causas supra jam memoratas, tum ob plurimas alias quæ his possent accedere, ut incommoda illa Deum à consilio suo deterrere non debuerint. Aliquo sensu Deus monstra formare non habuit in animo, certè si Deus unicum crearet animal, illud informe non crearet. At verò opus admirabile rationibus simplicissimis perficere, omnèsque res conditas mutuis connectere vinculis apud se decernens, quosdam effectus ex rerum illarum concatenatione & naturâ necessariò sequuturos prævidit; consilium tamen idcirco non mutavit. Quamvis enim monstrum, si illud solum consideres, sit opus quoddam imperfectum, si tamen cum cæteris commisceatur rebus creatis, mundum certè imperfectum aut creatoris sapientiâ indignum non reddet, si conferatur opus cum rationum quibus producitur simplicitate.

Quid matris imaginatio valeat in corpus infantis fusè satis explicuimus, jam quid in ipsius mentem agere possit videamus; atque hoc pacto primos errores intellectûs & voluntatis hominum in suâ origine detegamus. Istud enim potissimum ad institutum nostrum pertinet.

IV.  
*Quidam errores mentis, inclinationesque voluntatis explicantur.*

Vestigia cerebri sensationes & ideas in mente excitare, commotionesque spirituum animalium nunquam fieri in corpore, quin protinus motus ipsis respondentes in mente excitentur, pro certo constat; uno verbo, omnes passionis sensûsque corporei nunquam sine veris sensationibus verisque mentis affectibus excitantur. Jam autem, juxta primam suppositionem nostram, matres vestigia cerebri sui, ac deinde motus spirituum animalium in infantes transferunt. Ergo & in infantium mente easdem sensationes eosdemque quibus ipsæ afficiuntur affectibus excitant; ac proinde ipsorum cor & rationem multifariam corrumpunt.

Si tot infantes gerunt in facie nævos aut vestigia ideæ quæ matrem feriit, quamvis fibræ cutis spirituum cursui longè fortius reluctentur quàm partes molles cerebri, & quamvis spiritus sint multò agitatiores in cerebro quàm in cute; si, inquam, hæc ita sint, quis inficietur spiritus animales matris agitatione suâ immoderatâ in cerebro infantium multa imprimere vestigia? Jam autem cum vestigia profunda cerebri & commotiones spirituum ipsis respondentes diu & non rarò per totam vitam permaneant, hinc liquidò patet perpaucos infantes nasci qui aliquâ in re non sint ingenio obliquo, quique alicui affectui non sint mancipati; quia scilicet perpaucae sunt foeminae quæ



quæ vitis quibusdam aut infirmitatibus non laborent, quæque per graviditatis tempus motu aliquo violento percitæ non fuerint.

Isthæc experienciâ quotidianâ plus satis comprobantur; nec rarò videas domos totas in quibus infirmitas quædam imaginationis hæreditaria est. Verùm exempla specialia huc afferre necesse non judicamus. Immo fatius erit si ad nonnullorum solamen asseramus istas infirmitates parentum non esse naturales, hoc est humanæ naturæ essentielles, ac proinde vestigia cerebri, quæ istarum infirmitatum sunt causa, posse deleri temporis successu.

Haud abs re tamen erit hîc proferre exemplum Jacobi Regis Britannia, de quo Eques Dygbi in Libro suo de Pulvere Sympathico mentionem habet. Hæc sunt quæ in hoc Libro asserit. Nonnulli Scotiae Magnates Mariæ Stuard, dum Jacobum Regem in utero gestaret, cubiculum ingressi ipsius Secretarium gente Italum, ipsâ rem videlicet conspiciente, confoderunt, quamvis Secretario obviam sese tulisset, ut cædem illam præverteret; in hoc autem conflictu vulnera leviora accepit Regina, terrorque inde secutus in ipsius imaginatione tam alta impressit vestigia, ut cum infante quem in utero gestabat communicarentur, adeo ut Rex Jacobus per totam vitam gladium strictum conspici non ausus fuerit. Ipse Dygbi asserit se rem fuisse expertum, cum institutus fuit Eques. Quippe Rex gladium quo ejus humerum attingere debuisset in faciem rectâ diverit, & nisi quis Regis manum deduxisset, Equitem sauciavisset. Tot ejusce rei extant exempla, ut ad auctores confugere videatur inutile. Nec quemquam esse credo qui eat inficias. Multi enim sunt qui muris, foricis, felis, ranæ, ac præcipuè reptilium, ut serpentum & colubrium, visum ferre nequeunt; unde autem odii tam insolentis causa petenda est, nisi ex metu ad illorum animalium conspectum matribus per graviditatem injecto?

Verùm, quod præcipuè observatum velim, admodum verisimile est homines adhuc hodie in cerebro conservare vestigia & impressiones primorum Parentum. Quemadmodum enim animalia producantur animalia sibi similia cum similibus in cerebro vestigiis, unde fit ut animalia ejusdem speciei, iisdem inter se afficiantur sympathiis & antipathiis, eademque in iisdem circumstantiis edant actiones; Ita primi nostri Parentes post peccatum tot tamque alta ex rebus sensibilibus acceperunt vestigia, ut ea cum posteris communicare facillè potuerint, adeo ut summa illa versùs res sensibiles propensio, quam ab utero matris contrahimus, ingensque illa quæ sic affecti a Deo distamus intercapedo ex suprâ dictis non incommodè possit explicari.

Cùm enim, juxta ordinem a naturâ præstitutum, cogitationes mentis vestigiis cerebri debeant respondere, jam tum peccati labe inquinati non immerito dicimur quum in utero materno sumus conformati, ex eo enim tempore voluptatibus sensuum summopere adhærescimus. Iisdem affecti vestigiis ac parentes easdem etiam cogitationes eademque

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

P

ad

V.  
Concupiscentia, &  
peccatum  
originis explicantur.



Vide Illu-  
strationem  
circa pec-  
catum ori-  
ginis.

Divus Pau-  
lus Rom.  
cap. 6. §. 12.  
14. &c.

VI.  
Objectiones  
cum respon-  
sis.

ad res sensibiles inclinationes nos habere par est.

Itaque cum concupiscentiâ & peccato originis nasci debemus, si concupiscentia nihil aliud sit præter actionem naturalem vestigiorum cerebri in mentem, ut rebus sensibilibus adhæreat, certè cum concupiscentiâ nos nasci oportet. Si peccatum originis nihil est præter regnum concupiscentiæ, istòsque conatus menti & cordi infantis tyrannicè dominantes, certè nascimur in peccato originis. Jam autem verisimillimum est regnum concupiscentiæ aut ipsius victoriam illud esse quod in infantibus peccatum originis, in hominibus verò liberis peccatum actuale dicitur.

Si ad hæc duo quæ certissima sunt seriò attendas, 1<sup>o</sup>. scilicet transmitti peccatum originis per corpus modò & per generationem, nec mentem generari; 2<sup>o</sup> corpus in mentem agere eamque corrumpere non aliter posse quàm per istius cerebri partis vestigia ex quâ naturâ pendet ejus cogitationes, tibi, spero, pro comperto erit peccatum originis eo quo explicui modo transmitti.

Unum tamen experientiæ contrarium ex statutis dogmatibus colligi posse videtur, nempe matrem infanti habitus & inclinationes suis similes, eandemque cum ipsâ ad imaginandum & res jam cognitæ ediscendum facilitatem communicare debere. Hæc enim omnia, ut jam dictum est, pendet duntaxat a vestigiis cerebri. Jam autem vestigia cerebri materni ad infantes transire pro certo constat. Id enim exemplis e genere humano depromptis probavimus, & insuper exemplo animalium confirmavimus quorum catuli cerebrum habent iisdem quibus parentes vestigiis refertum. Unde fit ut animalia ejusdem speciei vocem eodem modo flectant, membra similiter moveant, iisdem denique ad prædam captandam ac sese ab insidiatoribus tutanda utantur artibus. Cum igitur vestigia matrum cerebro infantum insculpantur & imprimantur, infantes cum iisdem habitibus iisdemque dotibus quibus præditæ sunt matres nasci deberent: quin & eos habitus illasque dotes per totam vitam conservare deberent; cum habitus a teneris annis contracti diutius permaneant. Quod tamen experientiæ repugnat.

Ut huic objectioni satisfiat, sciendum est in cerebro duo esse vestigiorum genera. Alia sunt naturalia, seu naturæ humanæ propria; alia verò acquisita. Naturalia vestigia sunt profundissima, nec possunt planè deleri, acquisita verò, utpote minùs alta, facillè deperduntur; quamvis autem naturalia & acquisita non aliter inter se differant quàm gradibus, ac priora sæpe posterioribus sint debiliora, cum quotidie animalia rebus quæ vestigiis illis naturalibus prorsus contrariæ sunt assuefiant (canis, exempli gratiâ, consuetudine & disciplinâ eò adducitur ut a pane aut perdice quam videt sentitque abstineat.) Inter illa tamen vestigia istud intercipitur discrimen, quòd naturalia vinculis quibusdam imperceptis cum cæteris corporis partibus colligentur. Omnia enim nostræ machinæ organa operam mutuam inter se conferunt, ut in statu



statu naturali permaneant. Singulæ corporis nostri partes sibi mutuò suppeditant omnia ad conservationem sive instaurationem vestigiorum naturalium necessaria. Itaque penitus deleri nequeunt, cùmque illa deleta putas, tunc reviviscere incipiunt.

At verò vestigia acquisita, quamvis majora, profundiora & fortiora naturalibus, paulatim tamen deperduntur nisi eorum conservationi, perpetuâ causarum quibus producta sunt applicatione, consulas; cæteræ enim partes ad corporis ipsorum conservationem nil conferunt, quin potius ad ea abolenda ac penitus destruenda perpetuò connituntur. Hæc vestigia cum vulneribus quæ accipere solet corpus possunt comparari. Vulnera sunt quæ cerebrum accepit, sed quæ sponte suâ, ut vulnera corporis, mirâ machinæ constructione sanantur. Si in alicujus genâ incisio fieret etiam major ipso oris hiatu, foramen illud paulatim solidaretur, sed oris hiatus solidari nequit, quippe qui naturalis sit. Eadem est ratio vestigiorum cerebri; quæ naturalia sunt ea nunquam delentur, cetera temporis successu evanescunt; ex eâ autem veritate innumeræ in ethicâ deduci possunt consequentiæ.

Cùm igitur in corpore nihil sit quod vestigiis naturalibus non respondeat, in infantes integra transmittuntur. Psittaci itaque psittacos eâdem voce, eâdem garrulitate præditos edunt. Quia verò vestigia acquisita in solo remanent cerebro, nec toti corpori respondent, nisi parumper, cùm videlicet motibus illis qui in affectibus violentis excitari solent impressa fuerunt, vestigia illa in infantes transmitti non debent. Sic psittacus qui Domino suo salutem dicit, psittacos non edet ita institutos ut possint idem facere, nec Viri Docti suscipient liberos sibi similes.

Quamvis igitur quicquid in cerebro matris agitur in cerebro infantis etiam agatur eodem tempore; matérque nihil videre, sentire, imaginari possit, quin protinus idem videat, sentiat, imaginetur infans; ac denique quamvis omnia falsa matrum vestigia corrumpant imaginationem infantium; nihilominus cùm vestigia illa non sint naturalia, eo quem explicuimus sensu, mirum videri non debet, si ut plurimum deleantur statim atque infantes prodierunt in lucem. Tum enim causa quæ vestigia illa formabat fovebatque desinit. Naturalis corporis constitutio ad ipsorum destructionem tendit, & res sensibiles alia imprimunt vestigia profunda & plurima, quæ illa penitus delent quæ in infantibus dum erant in utero matris formata fuerant. Si enim quotidie contingit ut dolor acerbis dolorum quos antea sumus perpeffi sensum extinguat, quantò magis sensationes vividæ, quales sunt sensationes infantium quum primùm res objectæ agunt in organa sensuum delicatula, delebunt vestigia pleraque quæ ex eisdem rebus objectis veluti quodam repercussu tantùm acceperunt, cùm adversus illorum impetum uteri materni clypeo defenderentur.

Ubi tamen vestigia ex vehementi quodam affectu & cum violentissimâ sanguinis & spirituum agitatione matris efformata fuere, in cere-



brum ac etiam in totum corpus infantis tantâ vi agunt, ut vestigia in eo imprimant æquè profunda & firma ac vestigia naturalia, ut patet ex exemplo Equitis Dygbi, ut & infantis illius qui natus est mente captus & fractus membris, cujus in cerebro omnibûsque membris tantum attulerat detrimenti imaginatio matris; ac denique exemplo generalis humanæ naturæ corruptionis.

Nec est quòd quis miretur filios Regis Britanniaë eâdem infirmitate quâ pater non laborasse. Primò enim ejusmodi vestigia toti corpori non imprimuntur ut vestigia naturalia. Secundò, mater cui non eadem erat infirmitas, illam firmâ constitutione suâ ab infantibus suis arcuat. Quippe, quod tertium erit, mater multò magis agit in cerebrum infantis quàm pater, ut patet ex suprâ dictis.

Verum observandum est hæc argumenta quibus ostendimus liberos Jacobi Regis Angliæ infirmitatis paternæ participes esse non debuisse, non impedire tamen quominus peccatum originis, sive summa illa qua in res sensibiles ferimur propensio, ac prope infinita quàm a parentibus hausimus a Deo aversio possit explicari, quippe vestigia cerebro primorum Parentum a rebus sensibilibus insculpta, fuere profundissima, affectibus violentis comitata, & adaucta perpetuo rerum sensibilibum & ad vitæ conservationem necessariarum usu, non modò in Adamo & Evâ, sed etiam, quod notatu dignum est, in Sanctorum sanctissimis, in cunctis hominibus & foeminis ex quibus oriundi sumus, corroborata, adeo ut nihil in naturâ adversus hanc corruptionem reniti potuerit, tantum igitur abest ut vestigia illa primorum Parentum paulatim deleantur, ut potiùs de die in diem augescere debeant; certè nisi Jesu-Christi gratia hunc torrentem perpetuò coërceret, quod olim cecinit Poëta Ethnicus suam nancisceretur veritatem:

*Ætas Parentum pejor avis tulit*

*Nos nequiores, mox daturos*

*Progeniem vitiosorem.*

Nam, quod sedulò observatum velim, vestigia quæ in piïssimis matribus pietatis sensum excitant, nullam infantibus quos utero gestant impertiunt pietatem; vestigia verò quæ ideas rerum sensibilibum excitant, & ex quibus violenti nascuntur affectus, in infantibus sensum & amorem rerum sensibilibum haud dubiè excitant.

Supponamus, exempli gratiâ, matrem quandam ad Dei amorem ferri motu spirituum qui vestigium imagine senis venerandi impressum comitatur, quia nempe illa ideam Dei imagini senis alligavit; id enim fieri potest, ut in capite de communi idearum vinculo vidimus, quamvis nulla sit inter Deum & imaginem senis analogia: hoc posito, certè mater in cerebro infantis nihil aliud præter imaginem senis & propensionem quandam versùs senes efficere poterit, quod ab amore Dei quo afficitur longè differt. Nulla sunt enim vestigia in cerebro quæ alias ideas ab ideis rerum sensibilibum possint excitare; corpus enim instituen-



dæ menti destinatum non fuit. Quòd si quandoque illam compellet, id in suimet ipsius gratiam tantum facit.

Mater itaque cujus cerebrum vestigiis plenum est quæ naturâ suâ ad res sensibiles referuntur, quæque, propter concupiscentiam sibi inhærentem corporisque imperium, delere non potest; illa vestigia necessario communicat cum infante, ipsumque, licet iusta sit, peccatorem parit. Mater illa iusta est, quia Deum amore optionis complectens aut saltem complexa nullum ob concupiscentiam subit reatum, quamvis ipsius motibus per somnum obtemperet: At verò infans Deum amore optionis nunquam dilexit, ipsius cor versùs Deum nullâ propensione inflexum est; unde manifestò liquet in isto inordinationis ac perturbationis statu nil esse quod iram Dei movere non debeat.

At verò postquam baptismate fuerunt regenti, & cum sive per cordis dispositionem ei similem dispositioni quæ in iustis etiam per noctis phantasmata remanet, sive forsan per actum quandam liberum amoris erga Deum, quo functi sunt dum per aliquot momenta ab imperio corporis virtute sacramenti liberati fuerunt, (cùm enim Deus eos ut ab ipsis amaretur condiderit, in iustitiâ ac in ordine a Deo præscripto censendi non sunt nisi Deum ament aut amaverint, aut saltem nisi ipsorum cor eodem modo sit dispositum ac si ipsum reapse amavissent:) cùm, inquam, harum alterutrâ ratione iustificati fuerunt, tunc utique, licet concupiscentiæ per infantiam morem gerant, ipsorum concupiscentia non ampliùs est peccatum, ipsos reos iræque obnoxios haud ampliùs efficit, iusti sunt & accepti Deo, quemadmodum gratiam non amittunt qui per somnum motus concupiscentiæ sequuntur. Infantes enim sunt cerebro adeo molli & a rebus objectis vel debilioribus tam vividè tamque vehementer afficiuntur, ut penès eos non sit ipsarum impressionibus resistere: Verùm rebus quæ non sunt instituti mei explicandis æquo diutiùs insisto. Sufficiat si ex suprâ dictis possim colligere, hæc omnia falsa vestigia quæ matres cerebro infantium imprimunt ipsorum mentem adulterare, & imaginationem labefactare; unde fit ut plerique homines res secùs quàm sunt imaginari soleant, rerum quas percipiunt falsas ideas sibi efformando. Si quis meam ulteriùs edoceri velit sententiam de peccato originis, & de ratione quâ in infantes transmittitur, legat ille illustrationem hujùsce capitis.



## CAPUT VIII.

*I. Mutationes quæ in infantis ex utero matris exeuntis imaginatione, mutuo cum nutrice, genitrice, aliisque commercio, contingunt. II. Præcepta ad eos bene educandos utilia traduntur.*

**C**apite præcedenti cerebrum infantis quatenus est in utero materno consideravimus, jam quid ipsi, ut primùm in lucem prodiit, contingat examinandum venit. Quum primùm e tenebris emergens lumine potitur, aëris circumjacentis frigus ipsius artus exemplo invadit, mollibus mulieris ipsum suscipientis amplexibus delicatula ipsius membra læduntur. Cunctæ res objectæ ipsi inbelli ac inermi, utpote inusitatæ & incognitæ terrorem incutiunt. Lacrymæ & vagitus quos edit ipsius dolorum formidinumque argumenta sunt certissima. Quid enim aliud sunt quàm preces in ipsius gratiam a naturâ fusæ, ut circumstantes adversus dolores quos patitur quosque extimescit ipsum tutentur.

Sed ut anxietas in quâ ipsius animus tunc temporis versatur clarè possit intelligi, recordandum est fibras ipsius cerebri esse mollissimas & delicatissimas, ac proinde res objectas in eas altissimè imprimi. Si enim etiam minima imaginationem debilem possunt lædere, quantò magis imaginationem infantis lædent & turbabunt tot res objectæ quæ ipsi prorsus inusitatæ sunt?

Verùm ut agitationes & dolores infantium nascentium, & vulnera quæ ipsorum imaginatio accipere debet vividius imaginemur: In quem, quæso, non adduceremur terrorem, si gigantes nobis quinquies aut sexies proceriores ad nos incautos, ipsorumque consilii nescios accederent? aut si novam quamdam animalium ab iis quæ videre solemus prorsus dissimilium speciem, vel duntaxat si equum alatum, seu aliam quampiam Poëtarum chimæram e nubibus in terram delabentem cerneremus? Quàm alta cerebro imprimerent vestigia portentosa ejuscemodi, quòtque cerebra hîcse semel tantum visis perturbarentur?

Quotidie videas viros quibus est cerebrum firmum nec novis suscipiendis impressionibus aptum, multo rerum usu exercitos, non imbelles, nec sui ita impotes ut nullius sint consilii, eventu tamen insperato & terribili rationis usu privari. Infantes a singulis rebus sensus ferientibus, sibi que non familiaribus aliquid patiuntur. Singula animalia ipsis animalia novæ speciei sunt, quippe nihil eorum quæ jam vident, antea viderant: omni virtute & experientiâ sunt destituti; Ipsorum cerebri fibræ sunt maximè delicatæ atque flexiles. Quî igitur ipsorum imaginatio tot variis objectis rebus illæsa maneret.

Matres



Matres quidem rerum objectarum impressionibus infantes jam parumper assuefecerunt, eas scilicet fibris cerebri infantium, dum in ipsarum utero essent, imprimendo: unde fit ut iis quæ oculis maternis, ut ita dicam, viderunt multò minùs offendantur cùm eadem suis usurpant oculis: Nec etiam diffiteor falsa vestigia & vulnera quæ ad tot terribilium rerum conspectum accepit imaginatio infantis paulatim comprimi ac sanari, ipsis enim ut pote non naturalibus, tota corporis constitutio contraria est, illaque delet, ut capite superiori monuimus. Quod si non contingeret, omnes infantes nascerentur insipientes. Nihilominus tamen nonnulla semper imprimuntur vestigia adeo fortia & alta, ut deleri per totam vitam nequeant.

Si ad ea quæ in semetipsis aguntur, & ad suas cogitationes seriò attenderent homines, quæ jam dicta sunt apud se haud dubiè experirentur. Inclinationes quasdam & aversationes seu odia quædam occulta in se sentirent, quorùmque nulla alia potest afferri causa præter vestigia illa ab infantia insculpta. Cùm enim illarum inclinationum & aversationum causæ nobis singulis sint propriæ, certè naturâ humanâ non nituntur. Deinde, cùm illæ causæ nos fugiant, ipsas eo tempore in nos egisse oportet, quo circumstantiarum quæ nobis monumenti loco esse potuissent memores esse nondum valebamus. Quodnam autem illud tempus est nisi tempus infantia?

Cartesius in unâ ex suis epistolis scripsit se luscis singulari quodam amore complecti. Cujus rei causam anxie disquirens comperit tandem puellam quam infans diligebat hoc laborasse vitio, amor nempe quo illam prosequeretur ad omnes ipsius similitudinem aliqua in re referentes pervaserat.

Verùm levibus illis inclinationum nostrarum inordinationibus in errorem rarò conjicimur: Quod sæpius erremus id inde est nempe quòd mens aliquâ in re semper læva sit; & stultitiæ cuidam penè omnes incautè dediti simus. Qui familiarium ingenium attentè examinabit id nullâ difficultate comperiet. Et quamvis nosmetipsi stultitiæ alicujus specialis exemplar simus, & ab aliis habeamur, alios tamen stultitiæ etiam alicujus iis propriæ arguimus, eosque non aliter inter se differre censemus quàm gradibus.

Hæc igitur est origo satis fœcunda errorum humanorum, nempe perturbatio cerebri orta ex impressione rerum externarum ipso nativitatis momento. Verùm hæc causa non tam citò quàm crederes desinit.

Mutuam & necessarium cum nutricibus aut etiam cum matribus, quæ ut plurimum liberali carent educatione, colloquium infantium ingenium jam alteratum penitus turbat & corrumpit. Mulierculæ illæ ipsis nihil præter nugas fabulâsque ridiculas aut terrificas obtrudunt. Ipsorum menti nihil præter sensibilia objiciunt, & verba sua ita disponunt, eoque oris habitu eloquuntur, ut falsis sensuum judiciis confirmandis sint valde idonea. Quid plura? Infirmittates suas, absurdas formi-



formidines, ridiculas superstitiones & cætera id genus matres infantium menti veluti semen quoddam inserunt. Quo pacto in veritate inquirendâ aut delibandâ nusquam exerciti, tandem non possunt veritatem discernere, aut suâ uti ratione. Hinc tandiu inhærens timiditas & pusillanimitas quædam. Non pauci enim sunt qui quindecim aut viginti annos nati nutricis ingenium nondum exuerunt.

Infantes quidem ad veritatem meditandam scientiâsque abstrusas & sublimes comparandas non videntur maximè idonei. Cùm enim fibræ ipsorum cerebri sint tenerrimæ, rebus objectis vel debilioribus & tenuioribus quàm facillimè commoventur; ipsorum verò mens sensationes accipiens fibrarum agitationi necessariò congruas, a Metaphysicis & puræ intellectionis meditationibus ad sensationes suas tota deflectitur. Infantes itaque toties tamque facilè per ideas sensuum confusas distracti puras veritatis ideas attentè satis perpendere nequeunt.

Verùm primò infans septennis errores a sensibus ortos longè facilius exiit quàm sexagenarius cujus mentem præjudicia infantie per totam vitam præpedivère. Secundò ideis veritatis claris & distinctis suscipiendis infantem idoneum non esse concedatur, saltem moneri potest ipsius sensus semper & ubique fallaces esse; si illum veritatem non doceas, certè ipsum in erroribus fovete nec non confirmare iniquum est; Infantes etiam teneriores, quamvis sensationibus jucundis & injucundis oppressi sint, id tamen brevi & facilè ediscere solent quod proveciores non nisi post longum tempus possent ediscere; ut, exempli gratiâ, ordinem & analogiam quæ est inter singulas voces & res quas audiunt, videntque. Quamvis isthæc a solâ penè pendeant memoria, ipsos tamen ratione suâ uti, vel ex methodo quam ineunt dum linguam sibi vernaculam ediscunt, satis superque patet.

II. Verum si facilitas illa quâ fibræ cerebri infantium vividas rerum objectarum impressiones recipiunt, sit causa cur scientiis abstrusis inepti judicentur, in promptu remedium est. Hæc enim mihi concedantur oportet, si nempe, metus, desideria, spes, dolor, voluptas ab infantibus omnino, quantum fieri potest, amoverentur; certè statim atque voces audire & reddere possent, difficillima quæque & abstrusissima, Mathematicas saltem sensibiles, Mechanicam & aliâ ejusmodi ad vitam necessaria perinde doceri possent. Sed quâ, quæso, mens ipsorum scientias abstrusas posset incumbere, dum desideriis & pavoribus perpetuò agitur: Quod notatu adeo dignum est ut nihil magis.

Quemadmodum enim vir ambitiosus, factâ mox facultatum aut honoris jacturâ, vel ad insperatam evectus dignitatem quæstiones Metaphysicas, seu *æquationes* Algebraicas solvere non posset, sed ea solum factitare quæ instans suaderet animi motus. Ita infantes in quorum cerebri, pomum, vel tragemata non leviùs agunt quàm dignitates in quadragenarium, ad veritates abstrusas auscultandas minimè sunt habiles.

Ita

Præceptum  
ad bene edu-  
candos libe-  
ros utile.



Ita ut infantium progressibus in scientiis nihil magis officiat, quàm præmia & pœnæ quibus perpetuò alliciuntur aut terrentur.

Nec id modò, mens infantium pœnarum formidine præmiorumque spe indefinenter districta a pietate deterretur. Pietas sensuum captum longè magis exsuperat quàm scientia; illam multò sapit minùs natura hominis corrupta quàm hanc. A studio scientiarum non omnino abhorret ingenium humanum, a pietate prorsus. Si igitur variis & vehementibus agitationibus a studio licèt jucundo dimoveamur; quantò minùs infantes voluptatibus sensibilibus quibus remunerantur, pœnisque quibus terrentur omnino addicti satis sibi conservabunt libertatis, ut res ad pietatem pertinentes possint sapere.

Angustæ mentis capacitati pauca sufficiunt ut impleatur; Jam autem mentem plenam novæ cogitationes subire nequeunt, nisi eas priùs excutiat quæ totam ipsius capacitatem occupabant. At verò mentem rebus sensibilibus evacuare hoc opus, hic labor est. Quod ut intelligatur, attendendum est nos naturæ propensione versùs bonum perpetuò ferri. Cùm autem voluptas sit character quo bonum a malo distingui-mus, hinc necessariò fit ut voluptas nos ante omnia afficiat & occupet. Cùm igitur usus rerum sensibilium, utpotè corpori humano conducibili-um, in se voluptatem includat, hæc bona, sensibilia scilicet, mentis nostræ capacitatem occupare aliquatenùs necesse est. Donec Deus iis nescio quem affundat amarorem, qui nobis illorum tædium & fastidium ingeneret; gratiâ suâ nimirum suavitatis cœlestis omnibus terrenis suavitatibus longè superioris sensum in nobis excitando: *Dando menti cœlestem delectationem quâ omnis terrena delectatio superetur.* D. August.

Quoniam verò a malo non minùs abhorremus quàm bonum prosequi-mur, dolor autem est character malo impressus a naturâ; quicquid de voluptate dictum est, de dolore, vice versâ, intellectum velim.

Cùm igitur ea quæ in nobis voluptatem & dolorem excitant totam impleant mentis capacitatem, nec ea abjicere, aut eorum sensum ex arbitrio fugere penes nos sit. Hinc manifestò liquet infantes non secus ac cæteros homines ad pietatis amorem induci non posse, nisi secundùm Evangelii præcepta a rerum omnium sensibilium quæ aut vehementia desideria excitant, aut ingentes incutiunt terrores privatione initium fiat. Omnes affectus inordinati, gratiam delectationemque illam internam, quam Divini auxilii ope in officio nostro præstando percipimus, suffocant & extinguunt.

Infantes tenelli non secus ac adulti pollent ratione, quamvis careant experienciâ; eisdem etiam habent propensiones innatas, quamvis ad alia ferantur. Assuescant rationem sequi duces, si ratione præditi sunt. Ad officii sui præstationem, ipsorum inclinationes ritè temperando & moderando, sunt excitandi. Qui ipsos rerum sensibilium impressione ad officium adigunt ipsorum sanè rationem extinguunt; rectorisque corrumpunt inclinationes. In officio quidem tum stare videntur, sed

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

Q

viden-



videntur modò, reapse non stant. Virtus nec in intimâ ipsorum mente, nec in imo sedet pectore, illam vix nôrunt, multò minùs diligunt. Mens ipsorum desiderijs, pavoribus, odio, & amore rerum sensibilium intricata, in libertatem sese asserere, & ratione uti nequit. Infantes itaque sic ab incunabulis abjectè & serviliter educati nescio quam erga res quæ virum probum Christianúmque decent indifferentiam paulatim contrahunt, quam per totum vitæ curriculum tenaciter retinent; unde fit ut dummodo auctoritate, aut arte suâ supplicia declinare possint, in omnes concupiscentias laxatis prorumpant habenis; quippe qui revera alia non cognoscant bona quàm bona sensibilia.

Interdum equidem infantes sensuum ope sunt instituendi, sed ubi tantum ratio non sufficit. Primò ipsis ratione demonstrandum est quid sit ipsorum officij; si rationes illas quibus officio fungi tenentur non possunt capere, ad tempus relinquendi sunt; nam certè si ipsos vi externâ cogas ad ea faciendâ quæ non credunt sibi esse faciendâ, eos minimè institues, menti competit institutio, non corpori. Quod si id recusent facere quod ipsis ratio evincit esse faciendum, illud est quod tolerari non debet, quin severitas tunc ritè potest adhiberi. Tunc qui

Qui parcit  
virgæ, odit  
filium su-  
um.  
Prov. 13.24.

filio suo parcit illum magis odit quàm diligit, inquit sapiens. Si castigationes mentem non erudiunt, nec virtutis amorem imprimunt, corpus saltem aliquâ ratione instituunt ac informant, impediuntque quominùs vitium degustetur, mentique proinde tyrannicè dominentur. Cæterum observandum est pœnas mentis capacitatem non implere, ut eam voluptates implere solent, statim atque dolor timórque ex iis ortus desit, mens etiam ab ipsis cogitationem aliorsum deflectit. Tunc enim imaginationem non sollicitant; affectus non movent, concupiscentiam non irritant; integram denique menti faciunt copiam quodlibet cogitandi. Iis itaque erga infantes uti possumus ad eos in officio externè saltem continendos.

Verùm si quandoque pœnis sensibilibus infantes terrere aut etiam multare conducat, hinc non est concludendum ipsos præmijs sensibilibus esse adducendos. Quæ sensus vehementer feriunt, tunc demum duntaxat sunt adhibenda, cum id ineluctabilis postulat necessitas. At verò nulla incumbit necessitas eos afficiendi præmijs sensibilibus, ipsisque ea præmia inducendi, quasi ipsorum operum essent finis. Hoc pacto enim meliores ipsorum actiones finistrè detorquerentur, & ad sensibilibium amorem potiùs quàm ad virtutem ferrentur. Voluptatum semel delibatarum vestigia imaginationi altè inhærent; bonorum sensibilium ideas perpetuò excitant, importuna movent desideria quæ mentis tranquillitatem turbant; concupiscentiam denique ubique irritant, veluti fermentum quod cuncta corrumpit; Verùm hæc accuratè explicandi non est hîc locus.





PARS SECUNDA.  
DE IMAGINATIONE.

---

## CAPUT PRIMUM.

- I. De imaginatione mulierum. II. De imaginatione virorum.  
III. De imaginatione senum.



**N** Parte superiori causas Physicas inordinationum imaginationis generali quadam ideâ explicuimus. In hac parte has causas erroribus generalioribus imaginationis adaptare conabimur, & de illis etiam errorum causis quæ Morales dici possunt loquemur.

Ex iis quæ capite præcedenti dicta sunt clarè satis patuit tenuitatem fibrarum cerebri annumerari inter præcipuas causas quæ nos ab attentione in veritatibus subobscuris requisitâ avertunt.

Hæc autem fibrarum mollietates in mulieribus ut plurimum occurrit; unde fit ut rerum sensibilibus sint adeo peritæ. De ritu circa vestimenta aut linguam recepto decidere, elegantes agendi rationes, elegantem corporis habitum discernere mulierum est. Circa hæc viros scientiâ, solertiâ & sagacitate superant. Quicquid gustu discernitur ad ipsas etiam pertinet, sed ut plurimum veritatibus paulò difficilioribus detegendis ineptæ sunt. Quicquid abstrusum est ipsas fugit. Ad solvendas quæstiones complexas & intricatas imaginationem frustra adhiberent, solam rerum superficiem intuentur, ipsarum verò penetralia debili & limitatâ imaginatione suâ non possunt introspicere, aut singulas partes inter se invicem non interruptè conferre. Res nihili ipsas agit diversas, leviori strepitu terrentur, minimo motu detinentur, uno verbo rerum modus non ipsa substantia totam ipsarum mentis capacitatem implere potest. Cùm enim res objectæ vel tenuiores ingentes in delicatis cerebri fibris excitent motus, in mente protinus etiam ita vividas excitant sensationes ut iis tota occupetur.

I.  
De imaginatione mulierum.



At verò si certò constet molliem fibrarum cerebri esse præcipuam causam horum effectuum, illam in omnibus mulieribus reperiri non aequè certum est. Aut si reperiatur mollities illa spiritus animales tantam interdum habent cum fibris cerebri ipsarum proportionem, ut mulieres quædam ingenii solidioris quam viri reperiantur. Ingenii vis ac soliditas consistit in certo quodam temperamento crassitudinis & agitationis spirituum animalium cum fibris cerebri: sunt autem foeminae quæ iusto illo potiantur temperamento. Sunt mulieres fortes & constantes, viri debiles & inconstantes. Sunt mulieres doctæ, strenuæ, audaces. Sunt vice versâ viri molles & effoeminati, nullius consilii, inertes. Uno verbo cum vitia quædam cuidam sexui, ætati aut conditioni tribuimus, rem ut plurimum duntaxat sic se habere intelligimus; haud ignari nullam esse regulam generalem quæ careat exceptione.

Singulos enim viros singulasque foeminas ejusdem ætatis, ejusdem regionis, aut ejusdem familiae, cerebrum eodem modo constitutum habere existimandum non est, certè credibilius est rem itidem se habere de imaginatione ac de facie, quemadmodum enim duæ facies non reperiuntur per omnia similes, ita non possunt inveniri imaginationes proforsus inter se similes; omnesque viri, mulieres, & infantes non aliter inter se differre censendi sunt quàm quia vel delicatiores vel minus delicatæ sunt ipsorum cerebri fibræ. Nam sicut temere supponenda non est *identitas* essentialis in rebus inter quas nullum deprehenditur discrimen; ubi pariter perfecta non percipitur *identitas*, non sunt constituendæ differentia essentialis. Atque hæc duo vitia hominibus sunt perquam familiaria.

Fibræ igitur cerebri, ut quicquid de iis dici potest dicamus, in infantibus ut plurimum sunt mollissimæ & delicatissimæ; ineunte ætate durefcunt & corroborantur; Pleraque tamen mulieres, & nonnulli viri fibras habent per totam vitam tenerrimas. Quicquam præterea determinare tutum non est. Sed quid mulieribus & infantibus diutius immoramur? Veritatem investigare aut docere non satagunt. Ipsorum errores magni non sunt momenti, ipsorum enim dictis fides ægrè adhibetur. De viris loquamur quorum mens firma est atque vicens, quippe qui veritati inveniendæ ac docendæ videantur idonei.

II.  
De imaginatione hominum ad virilem ætatem perducentium.

Mens ut plurimum ab anno trigesimo ad quinquagesimum usque perfectionem suam attingit. Tunc temporis fibræ non parvam contraxere soliditatem, voluptates & dolores sensibiles non tantam in nobis impressionem faciunt, adeo ut nihil hac ætate timendum & præcavendum videatur præter affectus violentos qui raro movebuntur, si occasio sedulo vitetur. Mens itaque rebus sensibilibus non amplius interrupta, veritatem facili negotio potest contemplari.

Vir sic constitutus, præjudiciorum infantia immunis, meditationi a puero assuetus, claris & distinctis intellectus notionibus duntaxat incumbens, confusis sensuum ideis sedulo rejectis, ac perpetuæ, quantum



tum ipsi per tempus liceret, meditationi intentus vix certè ac ne vix erraret. Verùm de ejusmodi homine in cassum loquor: sermo est de hominibus ordinariis, ille verò est extraordinarius.

Illud est igitur quod dico: a soliditate & firmitate quæ ætate adultâ in fibris cerebri hominum reperitur pendet errorum, ut ita dicam, soliditas ac firmitas. Hoc sigillo ipsorum præjudicia & errores obsignantur, ac vis rationis eluditur. Atque, ut rem paucis conficiam, quantum hæc constitutio fibrarum cerebri utilis est hominibus probè educatis, tantum noxia est plerisque, hac enim constitutione unusquisque in suis confirmatur cogitatis.

Verùm non modò homines in erroribus suis præfractè adhærent, ubi quadragesimum aut quinquagesimum ætatis annum attigerunt. In novos insuper errores multò sunt procliviores. Cùm enim tunc jus de rebus omnibus judicandi sibi arrogent, ut ipsis quidem competere deberet, ex suis præjudiciis de omnibus temerariè decidunt; homines enim non aliter de rebus omnibus judicant, quàm ex ideis sibi familiaribus. Chymicus de corpore quopiam naturali disserturus, de tribus suis protinus cogitat principiis. Peripateticus ad quatuor elementa, qualitatèsq; sensibiles illico confugit; alius verò Philosophus aliis utitur principiis. Nihil itaque mentem humanam subire potest, quod exemplo erroribus jam contractis non inficiatur, vel quod etiam errorum non augeat numerum.

Hæc soliditas fibrarum cerebri alium præterea pessimum nanciscitur effectum, potissimum in hominibus provecioribus, ipsos enim reddit meditationi ineptos. Vix ullam plerisque rebus possunt præbere attentionem, unde fit ut veritates subobscuras attingere nequeant. Hypotheses vero propiores, si dogmatibus sibi inusitatis nitantur, ipsis non arrident, licet circa res quas sæpius experti sunt sint perspicacissimi. Verùm hæc ad eos qui per juventam ingenium inertæ permiserunt duntaxat pertinent.

Ut hæc illustrentur, sciendum est nos non posse quicquam ediscere nisi in id attentionem nostram defigamus; jam autem ad res attendere non possumus nisi eas imaginemur, & cerebro vividè pingamus. Ut autem quædam possimus imaginari, necesse est ut quædam cerebri partes insectantur, seu aliquo alio afficiantur motu, quò vestigia quibus ideæ illarum rerum alligantur possimus in eo formare. Si igitur fibræ cerebri tantillum obduruerint, nullam inclinationem nullòsq; motus potus poterunt admittere præter eos quibus jam affueverunt. Mens itaque neque imaginari quod volebat, neque ad id attendere poterit, sed ea solum quæ sibi sunt usitata imaginabitur.

Hinc colligere est, frequenti circa res quaslibet meditatione sese exercitare rem esse perquam utilem; hoc pacto enim quodvis facilè cogitandi contrahitur consuetudo. Quemadmodum enim instrumenta frequenter pulsando miram & omnimodam digitorum mobilitatem comparamus;



ita partes cerebri quæ necessariò moveri debent ut quodlibet possimus imaginari usu frequenti facilem acquirunt flexibilitatem, qua faciliè etiam, promptè, nec non distinctè res possumus imaginari.

Potior autem ratio hujusce habitus comparandi, quo virum ingeniosum ab alio distinguimus, hæc est; si nempe veritati etiam circa res difficillimas indagandæ a teneris assuescamus unguiculis, tunc enim fibræ cerebri quaslibet patiuntur inflexiones.

Non est tamen quòd genus illud hominum qui studiosi audiunt, qui que perpetuis lectionibus incumbentes inter legendum non meditantur; nec solutionem difficultatum priùs quàm ad Authores confugiant apud se quærunt, hanc facilitatem se acquisituros sperent. Hinc enim quid ad eos redundat præter facilem eorum quæ priùs legerunt recordationem? Certè quotidie videas homines vastâ Authorum lectione onustos rebus novis ac sibi inusitatis non posse attendere: falsa tamen prætumi di eruditione de iis nondum intellectis judicium ferre audent; hinc est quòd errores admittant quos præter ipsos nemo hominum admisisset.

Sed præter eam quam attulimus ipsorum errorum causam, alia est ipsis quidem singularis. Cùm nempe innumeras reperiant in memoria suâ species confusas, certam quandam statim eligunt quam pro re de quâ agitur usurpant. Quia autem ea quæ dicuntur isti speciei quam elegerunt non competunt, tum alios erroris immeritò accusant. Quod si infistas ipsos erroris & quidem ignorationis elenchi convincendo, protinus irascuntur, nec sibi dicta capientes speciei priùs a memoriâ oblatae constanter adhærent. Quòd si demum ipsorum opinionis falsitas evidentius pateat, alteram speciem substituunt, deinde tertiam quam reluctante veritate nec non conscientia defendunt; quia scilicet veritatem non diligunt, ipsosque suam ignorantiam profiteri pudet.

III.  
De senum  
imaginatio-  
ne.

Quod de quadragenariis & quinquagenariis dictum est, de senibus potiori jure intelligi debet; quippe fibræ ipsorum cerebri sunt multò minùs flexiles, deficientibusque spiritibus animalibus quibus nova formentur vestigia, imaginatio languescit. Quia verò fibræ ipsorum cerebri multis ut plurimum intermiscuntur humoribus superfluis, rerum antea actarum memoriam paulatim deperdunt, & hoc pacto repuerascunt. Unde fit ut in ætate decrepitâ iis omnibus laborent vitiis quibus infantes & adulti obnoxii esse solent, quatenus, scilicet, hæc vitia ex constitutione cerebri pendent, licèt utrisque sapientiores dici possint, quia nempe iisdem motibus qui spirituum animalium agitatione excitari solent non ampliùs moventur.

Hæc ampliorem non exigunt explicationem, nemo enim est qui de hac senili ætate ex aliis ætatibus de quibus mentio habita est, non possit faciliè judicare. Hinc enim patet senes multos difficiliùs res capere quàm ceteros homines, ipsosque suis præjudiciis inveteratisque opinionibus, ac ideo erroribus & pravis habitibus pertinaciùs adhærescere. Illud solum monemus, ætatem decrepitam non semper incidere in annum sexage-



xagesimum aut septuagesimum, omnes fenes non delirare, sexagenarios non semper juveniles abdicare affectus, nec denique ex dogmatibus supra positis eliciendas esse consequentias generales.

## CAPUT II.

*Spiritus plerunque tendere in vestigia idearum nobis maximè familiarium, unde fit ut rectum de rebus iudicium ferre non possimus.*

**V**arias mutationes quæ in spiritibus animalibus & in fibrarum cerebri constitutione fiunt juxta diversas ætates supra explicui. Si quis itaque super hisce supra dictis tantillum meditetur, imaginationis naturam & causas Physicas magis ordinarias differentiarum quibus ingenia alia ab aliis differre observantur distinctè satis cognoscet. Omnes enim mutationes quæ in imaginatione & in mente deprehenduntur ab iis necessariò pendent quæ in spiritibus animalibus & in fibris cerebri fiunt.

Porro multæ sunt causæ speciales, quæ etiam Morales dici possent, mutationum quæ contingunt in imaginatione hominum. Variæ ipsorum conditiones, varia munera & negotia, unò verbo, diversa vivendi instituta. Atque his expendendis immorari operæ pretium est. Quippe ejusmodi mutationes causæ sunt innumerabilis propè errorum numeri, cum scilicet unusquisque de rebus, juxta sortem suam, iudicet. Nec opus est, credo, ut quarundam causarum minùs frequentium, quales sunt morbi violenti, casus insperati, quæ in cerebrum ita violenter agunt ut illud interdum perturbent, effectibus explicandis insistamus, tum quia hæc rarò contingunt, tum etiam quia errores hominum sic affectorum sunt ita crassi & manifesti, ut contagio suo neminem possint inficere.

Ut omnes mutationes quas edunt variæ hominum conditiones in eorum imaginatione accuratè percipiamus, recordari omnino necesse est, nos res objectas aliter imaginari non posse quàm earum imagines formando in cerebro, istas verò imagines nihil aliud esse præter vestigia a spiritibus animalibus cerebro impressa; unde fit ut quò altiùs insculpta sunt vestigia illa, & quò sæpius vehementiusque spiritus animales eandem inierunt viam, eò vividius res imaginemur; spiritus nempe eum locum longè faciliùs subeunt per quem jam multoties transierunt, quàm loca isti propinqua per quæ vel nunquam vel rarò admodum transierunt. Atque hæc est causa frequentior falsitatis & confusionis idearum nostrarum. Nam spiritus animales rerum externarum actione, vel etiam mentis imperio ad id directi ut in cerebro certa im-

primant.



Primant vestigia alia sæpe edunt istis quidem aliquatenus similia, sed quæ tamen istarum rerum non sunt vestigia quæ mens sibi pingere volebat, quia nempe spiritus animales aliquam in locis cerebri quâ transeundum erant passi, ut ita dicam, resistantiam, a via facillè deflectunt, ut simul irrumpant in vestigia alta idearum nobis familiarium. Adfunt exempla istorum manifestissima & maximè sensibilia.

Qui visu non omnino debili pollent, dum lunam adspiciunt, binos oculos, nasum, os, uno verbo faciem integram sese videre arbitrantur. Nil tamen eorum est in Lunâ. Multi aliud prorsus in eâ conspiciunt. Et qui lunam revera talem esse qualem illam vident existimant, errorem suum facillè agnoscent, cum illam perspicillis quantumvis parvis adspicient; vel si descriptiones quas de illa ediderunt Hevelius, Riccioli & alii consulant. Causa autem cur faciem in luna non verò maculas irregulares quæ in ipsâ re verâ insunt, plerumque videamus hæc est; vestigia nempe faciei, quæ in cerebro nostro frequenti & attentissimo vultuum conspectu formata fuere, altissimè inhærent, adeo ut spiritus animales in aliis cerebri locis vim patientes a viâ quàm luna, dum eam adspicimus, lumine suo dirigit, facillè deflectuntur, ut vestigia illa quibus ideæ faciei alligatæ sunt subeant. His adde quòd cum lunæ magnitudo, ea saltem quæ nobis apparet, non valde differat a magnitudine capitis humani in certâ distantia positi, hinc fit ut impressione suâ vestigia formet, quæ magnam habent conformitatem cum vestigiis quæ nobis nasum, os, & oculos repræsentant; atque eo pacto spiritus ad id determinantur ut cursum suum in vestigia faciei inflectant. Sunt qui in lunâ videant hominem equo insidentem, alii verò alia; quia nempe imaginatione ipsorum vividè affectâ quarundam rerum objectarum actione vestigia istarum rerum, cujuslibet rei ope quæ cum illis conformitatem habet, denuo excitantur.

Nec aliam ob causam, currus, homines, leones, & alia quælibet animalia in nubibus cernere nobis videmur, cum figuræ nubium istorum animalium similitudinem aliquatenus referunt; & omnes penè homines, ii præsertim qui picturæ periti sunt interdum capita humana in muris videre imaginantur, cum tamen in iis nil sit præter maculas quasdam irregulares.

Eadem etiam de causâ spiritus vini, non imperante voluntate, in vestigia maximè familiaria intromissi arcana maximi momenti aperiunt. Hinc fit quoque ut per somnum ea plerumque imaginemur quæ interdum vidimus, quæque altiora fecerunt in cerebro vestigia; mens enim ea sibi semper repræsentat, quæ amplissima & altissima formarunt vestigia. Sed ecce exempla magis composita.

Morbus quidam noviter oritur: tantas efficit calamitates ut omnes obtupestant. Res adeo insolens tam alta cerebro imprimit vestigia, ut morbus ille menti perpetuò objiciatur. Si morbus ille dicatur,

exempli



exempli gratiâ, Scorbutus, tum omnes morbi erunt scorbutus, scorbutus est novum quoddam morbi genus, ergo omnes morbi novi erunt scorbutus. Scorbutus duodecim comitatur symptomatibus, quorum multa aliis morbis sunt communia; sed quid tum? si æger quidam aliquo ex his symptomatibus laboret, protinus scorbuto laborare censebitur. Ne aliorum quidem morborum in quos eadem cadunt symptomata mentio habeatur. In illo ægro eadem prorsus expectabuntur, quæ in iis qui scorbuto laborant contingere solent. Eadem ei porrigentur medicamina, nec sine stupore successus in aliis ægris observatus desiderabitur.

Author quispiam ad certum studii genus incumbat, materia quam tractat tam alta ipsius cerebro insculpet vestigia, atque ita vividè ipsi affulgebit, ut vestigia rerum toto genere diversarum confundantur, nec non quandoque penitus deleantur. Author quidam, exempli gratiâ, multa confluxit volumina de Cruce; hinc fit ut cruces ubique videat. Nec immeritò R. Pater Morinus ipsum irridet quòd existimaret numisma quoddam crucem exhibere, quod tamen rem planè diversam representaret. Non absimili imaginationis errore, Gilbertus cum multis aliis, postquam circa magnetem ipsiusque proprietates diu versatus est, innumeros effectus naturales ad qualitates magneticas, a quibus tamen toto cœlo discrepabant, referre voluit.

Ex his exemplis patet magnam illam facilitatem, quâ imaginatio res usitatas sibi pingere solet, difficultatèmq; quâ inutilitas sibi representat, efficere ut homines ideas penè semper efforment quæ dici possunt mixtæ & impuræ, & ut mens de rebus non judicet nisi habito respectu ad seipsam, & ad primas suas cogitationes. Cùm igitur varii hominum affectus, inclinationes, conditiones, officia, dotes, studia, omnes denique vivendi rationes tantas in ipsorum ideis constituant differentias, hinc fit ut innumeris quos infra sumus exposituri obnoxii sint erroribus. Quæ omnia apud se reputans Cacellarius Baco hanc sapientissimè protulit sententiam: *Omnes perceptiones tam sensus quàm mentis sunt ex analogiâ hominis, non ex analogiâ universi; estque intellectus humanus instar speculi inæqualis ad radios rerum, qui suam naturam naturæ rerum immiscet, eamque distorquet & inficit.*

---

### C A P U T III.

I. *Eos qui litteris & scientiis operam dant errori magis obnoxios esse.* II. *Cur malimus autoritate niti quàm ratione uti.*

**V**ariæ hominum vivendi rationes sunt prope innumeræ. Variæ sunt conditiones, varia officia, varia munia, variæ societates. *Malebrancii de Inquist. Verit.* R Ex



Ex illâ varietate fit ut omnes penè homines propter diversos fines agant diversisque nitantur axiomatibus. In eâdem etiam societate in quâ eodem agi spiritu, eadèmq; inire consilia deberent rarò tamen multos reperies qui ad idem tendant. Varia negotia, variâque commercia varietatem etiam inducunt in formâ & modo quo proposita executioni mandant, licèt de re inter ipsos conveniat. Ex his patet morales errorum causas sigillatim explicari non posse; nec id hoc loco perquàm utile foret. Sufficiat si de iis vivendi rationibus agamus quæ in plures & graviore errores injiciunt. Iis ritè expositis, nemo est qui non possit ultra pergere; & uno intuitu facilique negotio causas multorum errorum specialium occultissimas quisque poterit deprehendere, quæ non sine longo & tempore & labore explicari possent. Ubi veritas semel illuxit menti, illam strenuè amplectitur, mirâque profequitur alacritate.

I.  
Illos qui studio scientiarum operam dant, errori esse magis obnoxios.

Verùm inter varia hominum negotia nullum est de quo verba facere magis expediat quàm de illorum negotio qui studio litterarum operam dantes memoriâ magis utuntur quàm ratione. Nullum certè est quod memorabiliores efficiat in imaginatione mutationes, quòdque in errorem frequentius impellat. Experimentiâ enim constat eos qui librorum lectiõni & veritatis inquisitioni avidius & pertinaciùs operam dederunt, in graviore etiam errores cæteros homines injecisse.

Res non secus se habet de iis qui student ac de iis qui petegriantur. Si fortè fortunâ viator a recto deflexit itinere, quò ulterius progreditur, eò etiam longius aberrat a scopo, & eò magis aberrat quò minùs segniter procedit. Sic ingens illa veritatis inveniendæ cupiditas quâ nonnulli tenentur efficit ut libros in quibus eam sese nacturos sperant perlegant, aut ineptum eorum quæ scire cupiunt systema sibi forment, cui præfractè adhærent cæterisque amplectendum irritò conamine propinant, ut iis deinceps idem habeatur honos qui systematum inventoribus haberi solet. Hæc duo vitia explicemus.

Mirum est quòd homines ingenio præditi alieno tamen in veritate indagandâ malint uti quàm suo. Res suis usurpare oculis longè magis juvat quàm eas videre alienis. Nec putem virum bene oculatum oculos unquam sibi clausurum aut effossurum, eâ adductus spe, se, scilicet, ducem habiturum quem sequatur. \* *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat.* Cur autem stultus in tenebris ambulat? quia nihil videt quàm per alienos oculos, atque aliquid eo modo cernere nihil est, propriè loquendo, cernere. Res non secus se habet de mentis ac de oculorum usu; quemadmodum oculis multò præstat ingenium, ita usus rationis voluptates & utilitates longè solidiores parit menti quàm lux & colores parere solent oculis. Homines tamen oculis suis semper utuntur ad videndum, at ingenio suo ad veritatem assequendam ferè nunquam.

\* Eccl.  
2. 14.

Sed



Sed huic mentis perturbationi multa conferunt. 1. Ingenita hominibus socordia, qui operam suam in meditando conferre non dignantur.

2. Meditandi imperitia, quam contraxerunt homines quia se ad meditando non exercuerunt a primis annis, cum scilicet omnigenas inflexiones suscipere poterant fibræ cerebri.

3. Veritatum abstractarum quibus nituntur omnes quas hîc in terris adipisci possumus cognitiones aspernatio.

4. Ea quam percipimus ex verosimilium cognitione voluptas, quia nempe illa sunt jucunda, atque, ut pote notionibus sensibilibus freta maximè afficiunt.

5. Stulta ambitio quâ Doctorum famam affectamus. Docti enim audiunt qui lectioni magis incubuerunt: variarum opinionum cognitio in mutuis colloquiis longè utilior est, aptiorque ad fucum faciendum mediocribus ingeniis quàm vera Philosophia quæ meditatione comparatur.

6. Quia Priscos nobis fuisse perspicaciores, nosque frustrâ id querere quod ipsos latuit, falsò existimamus.

7. Quia illegitima veneratio cum inepta curiositate conjuncta rebus a nobis distitis, antiquissimis, ab oris remotissimis advectis, atque etiam libris obscurissimis majorem conciliat admirationem. Idcirco olim Heraclitum ob \* obscuritatem magnificabant. Anxiè disquiruntur numismata antiqua licèt rubigine corrosa. Alicujus veteris laterna, aut crepida sedulò conservantur quamvis vermibus exesa. Pretium ab antiquitate petunt. Non pauci Rabbiorum lectioni operam dant, quia nempe linguâ exoticâ, maximè corruptâ, & obscurâ scripserunt illi Doctores. Pluris aestimantur vetustissimæ opiniones, quia a nobis sunt remotiores. Ac sanè, si Nembrot historiam regni sui scriptis exarasset, in eâ, si Deo placet, accuratioribus politicæ leges, & cæteræ etiam continerentur scientiæ quemadmodum nonnulli censent Homerum & Virgilium naturæ arcana omnino calluisse. Veneratione digna est antiquitas, inquiunt; Quid? Aristoteles, Plato, Epicurus insignes illi viri errassent? Nec attendunt qui ita loquuntur Aristotelem, Platonem, Epicurum homines fuisse non secus ac nos, ejusdemque omnino speciei. Nos præterea nunc istos Philosophos bis mille annorum ætate superare, atque ideo plura debere cognoscere, ut pote plura expertos. Certè mundi vetustas & experientia veritatem reteggit.

8. Quia, quum opinio & author recens in pretio est, ipsius fama nostram delere videtur, quoniam, videlicet, ad nos proximè accedit. At verò de antiquis res perinde non est.

9. Quia veritas & novitas in rebus fidei non possunt simul concurrere. Quippe homines veritates à ratione pendentes ab iis quæ pendent a traditione non satis distinguentes non attendunt istas veritates ratione prorsus diversâ esse addiscendas. Novitatem cum errore,

II:  
Cur homines malinè authoritatem sequi quàm proprio vii ingenio.

\* Clarus ob obscuram linguam. Latentius.

Veritas filia temporis, non auctoritatis.



& antiquitatem cum veritate confundunt. Lutherus, Calvinus & alii innovarunt & errarunt; Ergo & Galilæus, Hervæus, Cartesius. Impanatio Lutheri nova est & falsa, ergo & circulatio sanguinis Hervæi falsa est, quia est nova. Hinc fit ut passim indigno novatorum nomine recentes Philosophos indigent non secus ac hæreticos. Ideæ & voces *veritatis* & *antiquitatis*, *falsitatis*, & *novitatis*, unâ colligatæ fuerunt; id semel actum sufficit. Vulgus illas ampliùs separare nequit, & cordati etiam viri eas ægrè sejungunt.

10. Quia in iis versamur temporibus quæ veterum opinionum scientia adhuc viget; & ii solùm qui ratione suâ uti norunt pravæ consuetudinis contagio possunt istius rationis vi sese furripere. Difficile est iis non cedere, quos

*Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.*

Denique utilitatis suæ gratiâ duntaxat agunt homines; unde fit ut qui agnitâ ejusmodi studiorum vanitate erroris convicti fuerunt, ad ea tamen incumbere non desinant; quia nempe honores, & dignitates tum sæculi tum etiam Ecclesiæ ab iis dependent, & quia illorum citiùs compotes fiunt qui in ejusmodi studiis excellunt quàm qui eorum sunt ignari.

Ex his, ni fallor, liquidò satis patet cur veteres opiniones ut veras amplectantur homines, novas verò ut falsas incauti respuant, cur denique proprio ingenio nunquam aut perquam rarò utantur. Multæ aliæ sunt causæ speciales istius mali; at verò si quis jam allatas æquâ judicii lance perpendat, haud ampliùs mirabitur pertinacem quorundam hominum erga veteres venerationem.

#### C A P U T IV.

*Duo pravi effectus lectionis in imaginationem.*

**F**alsa illa & indigna veneratio quâ nonnulli erga veteres ducuntur innumeros edit effectus pessimos quos hîc recensere non abs re videtur.

Vide articulum primum capituli præcedentis.

Ac primus quidem in eo consistit quòd hac veneratione ab usu ingenii sui desuescentes veram paulatim contrahunt illo utendi impotentiam. Arbitrandum enim non est eos qui in libris Aristotelis & Platonis legendis consenescent magnum ingenii sui usum facere. Horum Authorum lectioni tandiu plerumque incumbunt eo duntaxat consilio ut in ipsorum sententias descendant. Nec aliud sibi proponunt quàm ipsorum placita memoriæ mandare accuratè, an sint rationi consentanea parum solliciti, ut capite sequenti videbitur. Scientia itaque & Philosophia



phia quam ediscunt est potius scientia memoriæ quàm scientia mentis. Nihil tenent præter historias & facta, non verò veritates evidentes. Et historici potius censendi sunt quàm veri Philosophi.

Secundus effectus lectionis veterum in imaginationem hic est. Nimirum incredibilem invehit confusionem ideis eorum qui istis incumbunt lectionibus. Duæ sunt diversæ rationes authores legendi, quarum altera optima est & utilissima, altera vero inutilis atque etiam noxia. Legere perutile est si mediteris super eis quæ legis. Si coneris propriâ ingenii vi solvere quæstiones quas in titulis capitum vides propositas priusquam caput ipsum legas, si rerum ideas inter se digeras & conferas; quid plura? si ratione utaris. At contrâ inutile est legere, nisi ea quæ legis intelligas. Immo damnosum est legere, lectaque intellexisse, nisi intellecta satis expendas ut de iis iudicium ferre possis; præsertim si tibi sit memoria tenax, vel si iis quæ legis & intellexisti incautus assensum præbueris. Prior legendi ratio mentem illuminat, confirmat, adauget: posterior, minuit, debilitat, obscurat ac perturbat.

Jam autem qui aliorum opiniones scire gloriantur, posteriori tantum modo student. Quò plus legerunt eò majore infirmitate & confusione laborat ipsorum ingenium. Quia, scilicet, vestigia ipsorum cerebri, utpote innumera, eaque indigesta, inter se confunduntur. Quæ confusio obstat quominus mens res distinctè imaginari ac sibi repræsentare possit. Mens quædam vestigia apertura in alia magis usitata incidens novam non quærit viam. Cum enim cerebri capacitas non sit infinita, vix fieri potest quin ingens ille vestigiorum in compositorum numerus inturbetur, confusionemque suam in ideas transferat. Nec aliam ob causam homines felici præditi memoriâ ad res accuratè judicandas inepti sunt, si casus magnam postulet attentionem.

Sed præcipuè animadvertendum est cognitiones quas ii sibi comparant qui sine meditatione & in eum duntaxat finem legunt ut aliorum addiscant opiniones, uno verbo scientias illas quæ pendent à memoria eas esse quæ animos \* inflant, quia videlicet magnum fulgorem præ se ferunt, ingentem cultoribus suis ingignunt superbiam. Unde fit ut qui isto scientiæ genere cæteris antecellunt superbiâ prætumidi iudicium de cunctis ferendi jus immeritò sibi arrogent. Quæ temeritas ipsos in errorum numerum propè innumerabilem injicit.

Verum falsa hæc eruditio peiori adhuc incommodo obnoxia est. Quippe homines hujusce commatis non sibi solis errant; sed omnia præterea vulgi ingenia, & innumeros juvenes qui in ipsorum verba tanquam in articulos fidei jurant in eosdem secum errores convehunt. Cum enim istorum juvenum ingenia immani eruditionis pondere oppresserint, atque opinionibus insolentibus & authorum antiquorum nominibus stupefecerint, ita invalere falsi isti Doctores, ut ipso-

\* Scientia  
inflat. i.  
Cor. VIII.  
i.



rum effata oraculorum adinstar mirabundi exosculentur, & in omnes eorum opiniones cæco impetu pedibus eant. Nec id modò. Viri etiam cordati qui de illis hominibus nil unquam accepissent, vix possent a veneratione & assensu quodam temperare, si ipsos tam audacter, tam magnificè, tam graviter decedentes audirent. Cui enim species externa fucum non facit? Quemadmodum enim sæpe contingit ut thraiones malè habeant viros se fortiores, sed quibus est major prudentia atque moderatio; Ita qui res defendunt quæ nec veritatem nec verisimilitudinem habent os sæpe obturant renitentibus, quia nempe ipsos imperioso, audaci, superbo aut gravi suo loquendi modo prævertunt.

Isti autem homines se ipsos adeo magnificiunt, & cæteros adeo contemnunt, ut dudum contraxerint habitum nescio quem externum fastuosum, gravitate quâdam, & fictâ modestiâ mixtum quo auditores præoccupant, & in suam trahunt sententiam.

Habitus enim ille externus quem singuli homines pro variis conditionibus præ se ferunt non aliunde oritur quàm ex opinione quam sui habet unusquisque respectu aliorum, ut cuilibet attento patebit. Habitus ergo superbus & ferox est habitus hominis semetipsum magnificientis, cæterorum existimationem suisque deque habentis. Habitus modestus est habitus semet ipsum parvi ducentis, cæteros magni. Habitus gravis est habitus hominis sese maximi putantis, aliorumque existimationem ambientis. Habitus verò simplex est habitus hominis sui met ipsius & aliorum parum solliciti. Varii itaque corporis habitus prope infiniti pendent a variis gradibus existimationis quâ nosmet prosequimur & cæteros homines quibuscum versamur; quippe secundum hos gradus diversum induimus oris & corporis habitum. Capite III. analogiam illam mutuam quæ est inter nervos quibus affectus intus excitantur & nervos qui eisdem affectus externo habitu quem imprimunt extrinsecus contestantur, ostendimus.

## C A P U T V.

*Homines studio deditos alicui ut plurimam auctori sese mancipare, adeo ut in id unum colliment ut nempe quid ille auctor tenuerit, non verò quid tenendum sit accurate discant.*

**A**liud præterea est vitium quo plerique homines ad studium incumbentes laborant, quòd, videlicet, aliquo auctore sese præverti finant. Si quid veri & boni in libro quodam compererint, protinus extra legitimæ approbationis modum transeunt, in illo libro,  
 si



si ipsis credas, nihil non est veri, nil non boni, nil non admirabilis. Ea etiam mirantur quæ non intelligunt, cæterosque in eandem secum admirationem adducere conantur. Ex laudibus quibus authores illos ornant gloriam & famam aucupantur, quia nempe cæteris persuadent se illos authores omnino assequi; nec id exilem existimant jactantiam materiam. Sese cæteris hominibus anteponunt, quia cujusdam antiqui Authoris aut hominis, qui sua forte ipse scripta non intelligebat, ineptias sese intelligere autumant. Quot eruditi viri in elucidandis Veterum Philosophorum, Poëtarumque locis obscuris desudarunt? Quot etiam non parvi ingenii homines circa unius dictionis criticam aut authoris cujusdam sententiam summam cum voluptate versantur. Sed hæc exemplis comprobare par est.

Quæstio de immortalitate animæ est sanè maximi momenti; nec id Philosophis vitio vertendum est, quod omnem illius quæstionis solvendæ causam moveant lapidem. Et quamvis ampla volumina isti veritati invalidis rationibus probandæ destinent, quæ paucis posset demonstrari, excusatione tamen digni sunt. Sed quis risum teneat dum anxie disputant quid circa id senserit Aristoteles. Quid, quæso, nobis hac ætate viventibus prodest, si sciamus an quondam extiterit homo quidam Aristoteles dictus, an ille libros scripserit suo nomine inscriptos; quid hoc vel illo loco scriptorum suorum intellexerit? Certè ejuscemodi rerum cognitio quemquam nec beatum nec infelicem reddere potest; at scire num illius authoris sententia vera sit necne, illud verò est maximi momenti.

Scire igitur quid Aristoteles de immortalitate animæ senserit inutile est, ut quod maximè, licèt utilissimum sit scire animam esse immortalem. Interea tamen asseverare non dubitem plurimos Doctos de Aristotelis sententiâ super hac re magis sollicitos fuisse quàm de rei ipsius veritate. Ut vel ex eo patet quod libros conscripserint ex professo ad explicandum quid circa istud existimârit Aristoteles; non verò quid de hoc credendum esset.

Sed quamvis non pauci in disquirendo quænam fuerit Aristotelis sententia desudarint, oleum tamen & operam perdiderunt, cum de hac nugatoriâ quæstione nondum apud authores conveniat. Infelices certè Aristotelis sectatores qui magistrum habeant adeo obscurum, quique ipse etiam obscuritatem quandoque affectat, uti id testatur in epistolâ ad Alexandrum scriptâ.

Opinio Aristotelis circa animæ immortalitatem fuit igitur aliquandiu gravis & memorabilis quæstio inter Doctos. Sed ne id gratis me in medium proferre quis credat, non possum quin hîc transcribam locum Lacerdæ, longum quidem & tædiosum, in quo hic Author varias congestit auctoritates super hac re tanquam super quæstione momentosâ. Hæc sunt ipsius verba in secundum caput *de resurrectione carnis Tertulliani*.



Quæstio hæc in scholis utrinque validis suspicionibus agitur, nam animam immortalem mortalemve fecerit Aristoteles. Et quidem Philosophi haud ignobiles asseverarunt Aristotelem posuisse nostros animos ab interitu alienos. Hi sunt e Græcis & Latinis interpretibus Ammonius uterque, Olympiodorus, Philoponus, Simplicius, Avicenna, uti memorat Mirandula l. 4. De examine vanitatis, Capit. 9. Theodorus, Metochytes, Themistius, S. Thomas 2. Contra gentes Cap. 79. & Phyl. lect. 12. & præterea 12. Metap. lect. 3. & quod lib. 10. qu. 5. Ari. 1. Albertus tract. 2. De animâ Cap. 20. & tract. 3. Cap. 13. Ægidius lib. 3. De animâ ad Cap. 4. Durandus in 2. dist. 18. qu. 3. Ferrarius loco citato contra gentes & latè Eugubinus l. 9. De perenni Philosophiâ Cap. 18. & quod pluris est, discipulus Aristotelis Theophrastus, magis in mentem & ore & calamo novisse penitus qui poterat.

In contrariam factionem abiere nonnulli Patres, nec infirmi Philosophi; Justinus in suâ parænesi, Origenes in φιλοσοφίῳ & ut fertur Nazianzenus in disp. contra Eunom. & Nyssenus l. 2. de animâ cap. 4. Theodoretus de curandis Græcorum affectibus l. 3. Galenus in historiâ Philosophicâ, Pomponatius l. de immortalitate animæ, Simon Portius l. de mente humanâ, Cajetanus 3. de animâ cap. 2. In eum sensum ut caducum animum nostrum putaret Aristoteles sunt parim adducti ab Alexandro Aptio de auditore, qui sic solutus erat interpretari Aristotelicam mentem, quamvis Eugubinus cap. 21. & 22. eum excuset. Et quidem unde collegisse videtur Alexander mortalitatem nempe ex 12. Metaph. inde S. Thomas, Theodorus Melochytes immortalitatem collegerunt.

Porro Tertullianum neutram hanc opinionem amplexum credo; sed putasse in hac parte ambiguum Aristotelem. Itaque ita citat illum pro utrâque: Nam cum hic scribat Aristoteli mortalitatem animæ tamen l. de animâ c. 6. pro contrariâ opinione immortalitatis citat. Eâdem mente fuit Plutarchus, pro utrâque opinione advocans eundem Philosophum in l. 5. de placitis Philosophi. Nam cap. 1. mortalitatem tribuit & cap. 25. immortalitatem. Ex scholasticis etiam, qui in neutram partem Aristotelem constantem judicant, sed dubium & ancipitem, sunt Scotus in 4. dist. 43. qu. 2. art. 2. Harveus quod lib. 1. qu. 11. & 1. senten. dist. 1. qu. 1. Niphus in opusculo de immortalitate animæ cap. 1. & recentes alii interpretes, quam mediam existimationem credo veriore, sed scholii lex vetat, ut auctoritatem pondere librato istud suadeam.

Porro omnium illarum citationum fides est penes Commentatorem; præterquam quòd enim ipsarum veritatis adstruendæ non est animus; non nobis suppetunt egregii illi libri ex quibus depromptæ fuerunt, aliæ etiam a nobis non afferentur, ipsi enim non invidemus gloriam eas sincerè & accuratè collegisse; his adde quòd qui eum in finem evolvere fusciperet vel solos indices commentatorum Aristotelis, otio suo miserè abuteretur.

Ex hoc igitur Lacerdæ loco patet viros inter Doctos non infimæ notæ  
in



in id multum laborasse ut scirent quid Aristoteles de immortalitate animæ senserit; nonnullósque hac de re libros scribere non dubitasse, inter quos fuit Pomponacius. Id enim potissimum sibi proponit author ille, ut nempe demonstret Aristotelem in eâ fuisse sententiâ ut existimaret animam esse mortalem. Nec id modò. Nonnulli fortè reperientur qui non tantùm de Aristotelis sententia circa hanc quæstionem sint anxii; Verùm etiam utilissimum putent scire an, exempli gratiâ, Tertullianus, Plutarchus aut alii existimarint, Aristotelem mortalitatem animæ credidisse an verò secus. Nec ab ejusmodi sententia valde abhorrere videtur ipse Lacerda ut cuilibet ad ultimam partem loci mox laudati attendenti patebit. Sic orditur ille locus *Porro Tertullianus &c.*

Quòd si inutile sit scire quid de immortalitate animæ crediderit Aristoteles, aut quid Tertullianus & Plutarchus de ipso Aristotele circa id censuerint; Res tamen ipsa, scilicet immortalitas animæ, est veritas scitû planè necessaria. Sed innumera sunt quorum cognitio est planè inutilis; quantò magis inutile erit varias circa illa Philosophorum tenere sententias? Illud tamen est quod sagaciter quærunt non pauci. Libros videas circa res ejusmodi examinandas a principio ad finem occupatos; super his nugis quot inter doctos conflagraverunt bella? Vanæ illæ & ineptæ quæstiones, ridiculæ inutilium opinionum genealogiæ amplam Doctis præbent critices materiam. Ejusmodi ineptiarum contemptores ipsi merito se contemnere debere credunt, atque eos ut indoctos habent quos hæc ignorare juvat. Genealogicam formarum substantialium historiam sese ad unguem tenere arbitrantur, & nisi pro tantis meritis grates ipsis persolvantur tum hujus sæculi homines ingrati arguunt animi. Heu quam istæc ingenii humani debilitatem & vanitatem clarè demonstrant! Certè nisi ratio studia dirigat, non modò studia rationem non perficiunt, sed illam potiùs obscurant, corrumpunt, ac planè pervertunt.

Verùm observandum hîc est in quæstionibus quæ circa fidem moventur eos non ineptire qui disquirunt, quid de iis, exempli gratiâ, senserit D. Augustinus, aut alius Ecclesiæ Pater. Nec etiam immeritò quæritur an Augustinus in eâdem fuerit sententiâ ac Patres priorum sæculorum; quia scilicet, res fidei non possumus assequi nisi per traditionem, ratione in iis cæcutiente. Cùm antiquissima sententia sit etiam veritissima, quid senserint antiqui operæ pretium est scire; id autem fieri nequit, nisi sententia multorum qui sese invicem exceperunt examini subjiciatur. At verò de rebus a ratione pendentibus res planè secus se habet, ut quid de iis credere consentaneum sit sciamus, veterum opinio nil nostrâ interest. Nescio tamen quâ mentis perturbatione nonnulli efferantur, si aliter quàm Aristoteles philosophari audeas, dum parum curant an in rebus Theologicis ab Evangelio, Patribus & Conciliis non discedas. Ii ut plurimum qui adversus quasdam Philosophiæ



veritates recens compertas pertinaciùs obstrepunt, quibusdam innovacionibus in Theologiâ detestandis pertinaciùs adhærere & indulgere videntur. Ipsorum loquendi formulas non culpamus, quippe quæ usu comprobentur, licèt veteribus inusitatæ fuerint. Sed errores quos vocibus suis æquivocis & confusis obtegunt & offundunt damnamus.

In rebus Theologicis antiquitas sectanda est, quia in eâ veritas est recondita, jam autem veritate semel compertâ abdicanda est omnis curiositas. At contrâ in rebus Philosophicis non est fugienda novitas, etiam propter veritatis amorem. Hic enim curiositas non patitur metam, ut in rebus Theologicis. Si quis Aristotelem & Platonem supra errorem fuisse crederet, tum iis solis duntaxat intelligendis meritò fortè stude- ret, sed quis id credat cui saltem mens sana fuerit? quin rationes monent ipsos novis Philosophis inferiores esse, quippe bis mille annorum, quo temporis spatio illos Philosophos superamus, experientia nos efficere debuit peritiores, ut jam dictum est. Certè recentes Philosophi omnes veritates a veteribus inventas possidere, iisque novas adstruere possunt. Ratio tamen vetat nos recentibus potiùs quàm antiquis fidem adhibere, Recentiorum cogitata ad examen revocare jubet, assensumque cohibere donec veritas ita evidenter nobis affulserit ut de eâ ampliùs dubitare non possimus sine manifestâ & ridiculâ præ- occupatione.

## CAPUT VI.

### *De præconceptis Commentatorum opinionibus.*

**P**orro nulli sunt hominum in quibus præjudicia conspicua magis se præbeant quàm in Commentariorum scriptoribus. Quia scilicet hæc opera Viro cordato parum digna videtur, ideo authorum quos commentariis suis illustrare cæperunt admirationem apud omnes conciliare conantur. Semetipsos cum authoribus suis ita confundunt, ut unum eundemque dicas hominem; tum verò philautia mirè suas agit partes. Authores igitur suos præconiis suis efferunt, ipsis lumen affundunt, ipsos gloriâ cumulant, hanc scilicet gloriam ad se redundaturam non ignari. Magnificæ illæ ideæ non modò Aristoteli, Platoni nomen apud nonnullos conciliant, sed iis etiam qui illos authores commentati sunt parant venerationem. Ac inter Commentatores aliquis fortè reperietur qui commentariis scribendis animum non appulisset, nisi ad eandem cum Authore suo apotheosin adspirasset.

Non



Non est tamen quòd quis putet me omnes Commentatores istius insimulare vitii; multi sanè suos laudant authores sine ulla ἀντιμαρτυρίας spe, quin potius istam superbiam cum horrore refugerent, si ad rem tantillum attenderent; illos igitur sincerè laudant, sine ullâ affectatione. Id faciunt incogitantes; at verò si sint incogitantes, est philautia quædam impercepta omnibus hominibus innata, quæ ipsis incautis laudes illas suggerit. Calorem cordi insitum non sentiunt homines, licèt cum cæteris corporis partibus vitam & motum communicet; sese tractent palpéntque necesse est, ut illum queant sentire, quippe qui sit ipsis congenitus. Res eodem planè modo se habet de vanitate; Homini adeo innata est ut eam ipse non sentiat, & quamquam plerisque ipsius cogitationibus vitam, ut ita loquar, motúmque suppeditet, id tamen plerumque agit impercepto prorsus modo. Ut vanitatis tuæ convincaris, tracta, palpa, scrutare teipsum. Nemo est qui satis exploratum habeat vanitatem esse quæ plerasque movet actiones; ipsa quidem philautia id non ignorat, sed eo fine ut illud hominis cognitioni subripiat.

Cùm igitur Commentator quandam relationem & affinitatem habeat cum authore quem suis exornat commentariis, certè non mirum est si philautia amplam ipsi subministret laudum segetem, ut eam postea in suos usus convertat. Idque tam dextere, tam subtiliter, tam callide peragitur ut imperceptum prorsus sit. Sed hïc omnes philautiæ astutias detegendi non est animus.

Commentatores non ideo duntaxat authores suos laudant quia in ipsorum gratiam anteoccupati sunt, & quia hoc pacto sibimetipsis consulunt, sed etiam quia id ita solenne est ut necessitas quædam sic agendi incumbat. Quidam reperiuntur qui licèt non ingenti erga scientias quædam & quosdam Authores ducantur amore, illos tamen Authores commentari non dubitant, quia scilicet officio quo inter homines funguntur, fortunâ, inconstanti quodam voluntatis impetu, aut aliâ quâvis causâ ad id laboris adducti sunt. Jam autem se ad id teneri arbitrantur ut Authores suos ad astra hyperbolicè evehant; licèt Authores sint inepti, scientiæ abjectæ & futiles.

Ac revera is ludibrium deberet qui Authorem commentari aggrediretur quem ineptum judicaret, aut qui de materiâ suo iudicio inutili scriberet. Hos igitur Authores hâsque scientias quantumvis aspernabiles, ut suæ saltem famæ velificetur, laudare debet. Et sic erratum altero errato rependitur. Hinc fit ut Viri non indocti diversis Authoribus commentandis operam dantes contradictoria sæpe proferant.

Hinc fit etiam ut penè omnes Præfationes veritati ac sanæ rationi non consonent. Si Aristoteles commentariis explicetur, protinus *genii nature* nomine condecorabitur. Si quis super Platone lucubret, tum erit *Divinus Plato*. In commentandis hominum operibus pauci sunt qui



simplici illorum hominum nomine contenti sint. Homines illi, si Commentatoribus credas, sunt homines planè Divini, sui sæculi prodigia, ac denique dona ipsis peculiaria cœlitus acceperunt. De materiâ quæ tractatur res non fecus se habet; illa nempe est omnium pulcherrima, nobilissima, & maximè necessaria.

Sed ne quis hîc sibi verba dari credat. Ad hunc modum Commentator maximi inter Doctos nominis de Authore suo loquitur. Averroes de Aristotele, in Præfatione quam istius Philosophi Physicæ præmittit, dicit Logicam, Ethicam & Metaphysicam ab Aristotele fuisse inventas & perfectas. *Complevit, inquit, via nullus eorum qui secuti sunt eum usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum, quidquam addidit, nec invenies in ejus verbis errorem alicujus quantitatis, & talem esse virtutem in individuo uno miraculosam & extraneam existit, & hæc dispositio, cum in uno homine reperitur, dignus est esse divinus magis quàm humanus.* In aliis locis ipsum laudibus ornat longè magnificentioribus, ut *1. de generatione animalium.* *Laudemus Deum qui separavit hunc virum ab aliis in perfectione, appropriavitque ei ultimam dignitatem humanam, quam non omnis homo potest in quacunque ætate attingere.* Idem Commentator dicit *1. 1. destrue. disp. 3.* *Aristotelis doctrina est Summa Veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus; quare bene dicitur de illo, quod ipse fuit creatus & datus nobis Divinâ providentiâ, ut non ignoremus possibilia sciri.*

Quid illud est, quæso, nisi insanire? quis mentis compos hæc loquatur? sane Commentatoris præoccupationem ad vesaniam & amentiam usque devenisse necesse est. Repetat, quæso, lector verba mox allata; & quæ addit in alio loco. *Aristoteles fuit Princeps per quem perficiuntur omnes sapientes, qui fuerunt post eum: licet differant inter se in intelligendo verba ejus, & in eo quod sequitur ex eis.* Interea tamen istius Commentatoris opera per totam Europam & ulterius etiam dispersa fuere. Ex Arabico in Hebraicum idioma, ex Hebraico in Latinum, & fortè in alia idiomata versa fuerunt; quod satis evincit quanto apud Doctos fuerit pretio Commentator ille; adeo ut non putem afferri potuisse argumentum manifestius præoccupationis Doctorum. Hinc enim patet ipsos Authoris alicujus opinione non modò præverti, sed etiam sua præconcepta judicia aliis impertiri pro existimatione quam sibi peperit Author ille: adeo ut falsis istis laudibus vulgus doctorum seductum, cum se ad illorum Authorum lectionem accingit, temerarias hauriat opiniones, atque hoc pacto in errores non paucos incidat. En aliud exemplum.

Vir inter Doctos insignis, qui Geometriæ & Astronomiæ Scholas instituit in Academiâ Oxoniensi, libro quem super octo prioribus Euclidis propositionibus composuit, in hæc verba orditur. *Consilium meum, Auditores, si vires & valetudo suffecerint, explicare definitiones, petitiones, communes sententias, & octo priores propositiones primi libri elementorum; cætera post me venientibus relinquere; & eundem librum his*  
verbis



verbis absolvit. *Exsolvi per Dei gratiam, Domini Auditores, promissum, liberavi fidem meam, explicavi pro modulo meo definitiones, petitiones, communes sententias & octo priores propositiones elementorum Euclidis. Hic annis fessus cyclos artémque repono. Succedent in hoc munus alii fortasse magis vegeto corpore, vivido ingenio, &c.* Certè ingenio mediocri una hora sufficet, ut per se, vel opitulante inter Geometras minimo, definitiones, petitiones, axiomata & primas Euclidis propositiones addiscat. Vix ullâ egent explicatione. Hic tamen Author de isto opere tanquam de durâ & arduâ provinciâ loquitur. Veretur ne vires sibi deficient, *Si vires, inquit, & valetudo suffecerint.* Opus imperfectum posteris perficiendum relinquit. *Cætera post me venientibus relinquere.* Deo gratias agit quòd indulgentiâ speciali ipsi concesserit promissum exsolvere. *Exsolvi per Dei gratiam promissum, liberavi fidem meam, explicavi pro modulo meo, quid? quadraturam circuli? duplicationem cubi? neutiquam.* Præclarus ille vir explicavit *pro modulo suo* definitiones, petitiones, axiomata, & octo priores propositiones primi libri Euclidis. Fortè inter successores aliquis reperietur cui firmior suppetat valetudo, majorésque vires quò tantum opus possit perducere. *Succedent in hoc munus, alii fortasse magis vegeto corpore & vivido ingenio.* Ipsum jam quiescere par est. *Hic annis fessus cyclos artémque reponit.*

Profectò cum Euclides sua composuit elementa, non tantâ existimavit se obscuritate laborasse, aut res adeo extraordinarias in medium protulisse, ut commentario trecentis aut circiter paginis constanti indigeret, ad suas explicandas definitiones, petitiones, & octo primas propositiones primi sui Libri. At Doctus ille Angelus Euclidis scientiam ita potuit exaggerare, ut si per tempus & vires licuisset, duodecim aut quindecim ampla volumina circa Geometriæ elementa haberemus quæ hujus scientiæ tironibus plurimum, si Deo placet, utilia essent, & ad Euclidis gloriam summopere cederent.

In quarto.

Hæc sunt absurda falsæ eruditionis consilia. Author ille Græcam callebat linguam, ipsius enim lucubrationibus opera Chrysofomi Græcè edita debemus. Veteres fortè Geometras perlegerat, ipsorum propositiones ut & genealogiam historicè tenebat. Antiquitatem eadem colebat veneratione quâ veritatem par est colere. Sed quid ex isto ingenii habitu resultat? Commentarius scilicet definitionum nominis, petitionum, axiomatum & octo primarum propositionum Euclidis, quem commentarium intelligere ac memoriæ mandare longè difficilius est quàm ipsas propositiones quas explanare aggreditur; quid dico propositiones? totus ipse Euclides faciliùs intelligetur quàm hi Commentarii.

Multi quidem præ jactantiâ linguam Græcam aut etiam aliam quam non intelligunt usurpant. Quippe Dictionaria, indices, & loci communes, ingentem plurimis Authoribus conferunt opem. Sed quis ad id adducatur ut linguam Græcam adhibeat, ubi Græcè loqui adeo ab-



furdum est? Hinc infero Authorem illum non alio ad Euclidem commentandum incitamento impulsus fuisse quàm ingenti quâ in illius gratiam tenebatur præoccupatione & opinione.

Certè si rationem adhibuisset, non verò memoriam in illâ re quæ solâ indiget ratione, aut si eodem erga veritatem motus fuisset amore & veneratione ac erga Authorem cui commentarios adscripsit; non potuisset quin, longo tempore in id tam exile opus consumpto, tandem falsus fuisset definitiones quas Euclides tradit de angulo plano, & de lineis parallelis esse vitiosas, nec eorum naturam satis explicare; secundam propositionem esse ineptam, quippe quæ non possit probari nisi per tertiam petitionem, quæ non potest concedi nisi concessâ secundâ propositione. Nam concedendo tertiam petitionem, posse, nempe, describi ab unoquoque puncto circulum cujuslibet intervalli; id inquam, concedendo, non modò conceditur ex puncto lineam duci alteri lineæ æqualem, quod in hac secundâ propositione Euclides magnis demonstrat circuitibus & ambagibus; sed etiam conceditur duci ex unoquoque puncto numerum linearum infinitum cujuslibet longitudinis.

Sed plerique Commentatores non sibi proponunt elucidare suos Authores, aut veritatem inquirere, suam tantum eruditionem ambiziosè ostentare, & Authorum suorum vitia propugnare habent in consiliis. Non tam loquuntur ut sui & Authorum suorum intelligentiam lectoribus dent; sed ut admirationem & sibi & illis concilient. Nisi Commentator ille, de quo sermo est, citationibus Græcis multisque Authorum ignobilium nominibus, & aliis Scholiis ad intelligendas notiones communes, definitiones nominis, & petitiones Geometriæ prorsus inutilibus suum impleset librum, quis quæso illum legisset? quis admiratus esset? quis titulo Docti & ingeniosi viri nomine ipsum condecorasset?

Nemo est, opinor, qui his auditis non fateatur lectionem Authorum incautum ingenium sapissime antevertere. At vero statim atque homo præjudiciis sese implicari sivit, mentem sanam, seu sensum quem vocant communem amplius non habet. De omnibus quæ ad sua præjudicia aliquâ conformitate referuntur, sinistrè judicat; iis omnes suas inficit cogitationes. Si res a præjudiciis suis sint prorsus alienæ, iis animum appellere nequit. Ita Sectatori Aristotelis Aristoteles solus sapit. De cunctis judicat relatè ad Aristotelem, quicquid isti Philosopho adversatur, id falsum existimat. Ei aliquis Aristotelis locus semper præstò erit, illum semper & ubique laudabit, obscura & omnibus ignota, non secus ac evidentia & vel pueris nota ex Aristotele probabit; quia, nempe, Aristoteles est ipsi, quod aliis ratio & evidentia esse solent.

Pariter si quis Euclidi & Geometriæ studio sese manciparit, omnia ad lineas referet & ad propositiones Authoris sui. Nec unum profere-



ret verbum nisi relatè ad scientiam cui studet. Totum erit majus suâ parte, quia, nempe, id dixit Euclides, nec ipsum pudebit Euclidem laudare ut id probet, ut aliquando observavi, sed id apud alios Authores a Geometriâ alienos multò magis solenne est, videas enim libros prolixis sententiis Græcis, Hebraïcis, Arabicis refertos, ad probanda quæ evidentissima sunt.

Jam autem hujusce vitii hæc est causa; Ea scilicet quibus præventi fuerunt vestigia adeo alta fibris ipsorum cerebri impresserunt, ut semper hiulca maneant; spiritibus animalibus ob perpetuum fluxum ea claudi non sinentibus. Quum itaque mens cogitationes istis vestigiis alligatas necessariò habeat; ipsarum veluti mancipium evadit: Illæ cogitationes eam perpetuò sollicitant & interrumpunt; etiam cum erroribus agnitis occurrere cupit. In perpetuum igitur erroribus discrimen adducitur, nisi semper sibi præcaveat, & canonem initio libri traditum constanter observet, hoc est, nunquam assentiatur nisi rebus evidentissimis.

Hic non loquor de plerorumque hominum communi errore, qui in eligendo studii sui genere sunt incauti & infelices. Hæc pertinent ad Ethicam, licet ad ea quæ de præoccupatione præmisimus etiam referri possent. Is enim certè falso motus præjudicio agit, qui se totum Rabinorum, & linguarum quarumlibet incognitarum, ac proinde inutilium studio ita addicit, ut in iis totam vitam miserè consumat; Falsâ illâ adductus spe fore ut vir doctus aliquandò evadat, licet hoc studii genere non possit unquam ullam sibi parare veram scientiam; sed quia hæc occupatio non tam erroris quàm jacturæ temporis & stultæ vanitatis causa est, eos prætermitemus qui in ejusmodi scientiis abjectis aut inutilibus magnos progressus facere nituntur.

## CAPUT VII.

## I. De novorum systematum inventoribus. II. Ultimus error eorum qui studio scientiarum operam dant.

Quomodo se habeat eorum imaginatio qui studio scientiarum operam navantes nihil admittunt quod Authorum quorundam non inmutatur autoritate supra patefecimus. Alii sunt istis valde oppositi. Nullius apud eos sunt pretii Authores etiam spectatissimi. Eos quidem olim magni æstimabant, sed mutato consilio semetipsos inter Authores accensuerunt; auram popularem captaturi novæ alicujus hypotheseos inventores audire gestiunt, eâ scilicet adducti spe sibi indicata ore alio dicentibus non defuturos admiratores.

I.  
De novorum  
systematum  
inventoribus.

Istud



Istud genus hominum imaginatione forti ut plurimum pollent; fibræ eorum cerebri ita sunt dispositæ ut vestigia sibi impressa diu confervent. Ubi igitur novum systema aliquam verisimilitudinem præ se ferens apud se imaginati sunt, ipsos ab errore depellere frustra labores. Quicquid ipsorum sententiam tantillum stabilit, id exosculantur & tenaciter conservant, dum contra objectiones sibi factas ne animadvertunt quidem, aut futili aliquâ distinctione eludunt. Ob istud ingenii figmentum intus sibi congratulantur, magnam ex eo sperantes exultationem. In solâ veritatis specie, quam referunt verisimiles ipsorum opiniones contemplandâ attentum sunt, ab imagine illâ oculos non deflectunt; at verò cæteras opinionum suarum facies, quæ ipsas falsitatis possent arguere veluti per transennam tantum adspiciunt.

Ut verum aliquid formetur systema magnæ requiruntur ingenii dotes; Multum enim acuminis & sagacitatis habere non sufficit; sed præterea quædam mentis sublimitas & magnitudo necessariae sunt, quibus multa uno intuitu possint conspici. Mediocribus ingenii, licet vivacissimis & subtilissimis, non ea tamen est capacitas, quâ omnia ad legitimum instituendum systema necessaria possint intueri & complecti. Levioribus terrentur difficultatibus aut debilioribus perstringuntur splendoribus, nec visum suum ita possunt producere, ut integrum amplæ alicujus materiæ corpus eodem tempore contueri possint.

Sed frustrâ mens ingenti pollet capacitate & perspicacitate, nisi præterea affectibus & præjudiciis vacet; nil ab eâ sperandum est: præjudicia alteram mentis partem occupant, alteram inficiunt, affectus inordinati ideas mille modis confundunt; & illud plerunque in rebus nobis repræsentant quod in iis reperire exoptamus. Cum etiam vehementiori veritatis amore flagramus, is ipse amor nos sæpe fallit. Verum cupido illa quâ Doctorum nomen & famam ambimus, nos præcipuè arcet a verâ comparandâ scientiâ.

Perpauci igitur extant qui nova systemata condere possint; permulti tamen reperiuntur systematum inventores. Inter eos qui studio multam conferunt operam pauci sunt qui ex notionibus communibus ratiocinentur. Aliquid semper singulare est & anomalum in ipsorum ideis; nec hinc obscure liquet ipsos aliquo systemate sibi peculiari niti, omnes ipsorum libri id quidem haud manifestant; nam cum scriptum aliquid publici juris facimus, ad ea quæ scribuntur propius attendimus; & sæpe sola attentio sufficit ut erroris convincamur. Libri tamen quidam subinde prodeunt in lucem, ex quibus id facile concludas: sunt enim Authores quos ab initio patefacere juvat se aliquid novum invenisse systema.

Præjudicia quæ in Authorum quorundam gratiam concipiuntur valdè augent numerum eorum qui nova formant systemata; hi, nempe, cum apud Authores quos amplexati fuerant nil veri & solidi reperiunt,



periant quoslibet libros primò fastidiunt, novam deinde opinionem aliquâ verisimilitudine vestitam ambabus amplectuntur ulnis, & in eâ eo quo diximus modo sese magis ac magis confirmant.

Ut verò ingens ille erga novam opinionem suam amoris æstus deseruit, aut ad ipsius examen accuratiùs adacti sunt, ipsam publicam facturi; tum ipsius falsitatem agnoscunt, eâ tamen lege atque conditione ut alias opiniones nunquam sint amplexuri, eosque omnes damnent qui se veritatem aliquam comperisse profitebuntur.

Ultimus itaque & maximè periculosus error multorum qui studio se tradunt in eo consistit quòd nihil posse certò sciri arbitrentur, plurimos libros antiquos & recentes perlegerunt, nullâ in iis veritate compertâ, multa egregiè cogitaverunt quæ ad serium examen revocata falsa ipsis visa sunt. Hinc inferunt omnes sibi similes esse; nec dubitant quin ii qui se aliquam reperisse veritatem existimant sententiam illico mutarent, si, ut ipsi fecerunt, cogitationes suas ad iudicii trutinam perpenderent. Illos itaque damnant nullo ampliori admissò examine. Quid enim? si non damnarent, ipsis ingenii palmam cedere viderentur; quod quidem verisimile non putant.

II.  
Error insignis eorum qui studio operam dant.

Eos igitur pertinaces ducunt qui se aliquid certò tenere asseverant; nec ferunt scientias haberi ut veritates evidentissimas, extra omnem legitimæ dubitationis aleam positas, sed tantum ut opiniones quas ignorare non expedit. Illos tamen homines attendere velim se omnes libros nondum legisse, quamquam innumeros propè legerint; aut si omnes legerunt, cum eâ quæ sanè necessaria est attentione non legisse; seque omnes cogitationes possibiles non habuisse, licet multas habuerint egregias quas falsas deprehenderunt; aliosque ideo reperiri posse qui scopum propius attigerint. Nec omnino necesse est alios illos homines esse ingenio ipsis perspicaciori, si demum id eos malè habet, sufficit si feliciores fuerint. Certè qui asserit se res evidenter apprehendisse quæ ipsi ignorant, nullam iis infert injuriam; quippe multa sæcula non fecus ac ipsi eas ignorarunt veritates; non quòd præclara defuerint ingenia, sed quòd ipsis res primâ fronte non bene cesserit.

Ne igitur agrè ferant si quis oculatus de iis quæ clarè videt loquatur, ad ea quæ ipsis proponuntur animum advertant si id demum post tot errores a se possint impetrare deinde judicent, nil obstat. At si quicquam examinare reculent, fileant saltem: attendant, quæso, an id responsi quod iis dare solent a quibus interrogantur sit legitimum, *illud est quod ignoratur; nemo id hæctenus assequutus est*; certè ut hæc responsio ab iis fiat legitime, necesse est ut existiment se omnia scire quæ omnes alii sciunt, aut ab omnibus aliis possunt sciri; si id enim de se non crederent, ipsorum responsum esset etiam absurdus. Cur ignorantiam suam fateri ipsis durum videtur in hypothesi, cum in thesi se nihil scire profiteantur? Et cur ex suâ ignorantia omnium hominum ignorantiam inferre volunt?

Malebrancii de Inquisit. Verit.

T

Tria



Tria sunt igitur hominum studio deditorum genera. Alii Authori cuidam, aut scientiæ inutili seu falsæ, ferviliter & immeritò se dedunt: Alii propriis se lactant chimæris. Postremi denique, ex duobus primis plerumque coalescentes, omnia scibilia se scire credunt; quia autem se nihil certò & evidenter tenere exploratum habent, hinc concludunt generaliter nil posse evidenter cognosci, & quicquid ipsis proponitur ut meras opiniones habent.

Triplicis istius hominum generis vitia ex proprietatibus imaginationis capite X. & XI. expositis, & præcipuè ex primâ manare clarum est. Id oritur ex præjudiciis quæ ipsorum mentem occæcant, eamque ab aliis rebus avertunt; Præjudicia sunt eorum menti id quod Principum Ministri sunt ipsis Principibus, quemadmodum enim Ministri eos omnes a Dominorum suorum conspectu arcent, qui pro ipsis non stant, vel qui eos deturbare possent; sic præjudicia illorum hominum non permittunt menti introspicere ideas rerum puras & intemeratas, sed eas fucò obducunt; suo veluti symbolo & tesserâ eas induunt; eas deinde sic larvatas menti objiciunt; adeo ut vix possit errores agnoscere & exuere.

## CAPUT VIII.

- I. De ingeniis effæminatis. II. De ingeniis superficialiis.  
III. De viris autoritate præditis. IV. De iis qui experimenta faciunt.

Quæ jam diximus sufficere mihi videntur ut generalia imaginationis eorum qui student vitia, & errores ipsis frequentissimos agnoscamus. Quia autem pauci, si illos excipias, ad veritatis investigationem sese accingunt, cæteri verò ipsorum autoritate & testimonio nituntur, huic secundæ parti possemus hîc finem imponere. Haud abs re tamen existimamus aliquid de erroribus cæterorum hominum perstringere; eos enim cognoscere non est planè inutile.

I.  
De ingeniis  
effæminatis.

Quicquid sensus delectat nos vehementer afficit, jam autem quò vehementius rebus afficimur, eò magis etiam iis attendimus. Quò circa qui voluptatibus quibuslibet maximè sensibilibus & jucundissimis indulgent, veritates paulò difficiles non possunt penetrare; quia ipsorum mens, utpote non infinita, ipsis voluptatibus tota occupatur, aut saltem distringitur.

\* Beaux  
esprits.

Plerique Magnates, aulici, divites, juvenes, ac ii qui \* *elegantium ingeniorum* nomen sibi arrogant, in pèrpetuis voluptatibus versantes, idque sibi solum negotii suscipientes, ut placeant concupiscentiamque  
& sen-



& sensus excitent; tantam in hisce rebus peritiam, seu potius tantam mollitiem acquirunt, ut eos potiori jure dicas esse ingenia effeminata, quàm ingenia subtilia & expolita, ut id falsò existimant. Multum enim differt vera ingenii subtilitas & elegantia a mollitie, licet hæc duo vulgò confundantur.

Ingenia subtilia & perspicacia illa sunt quæ ratione duce vel minimas rerum differentias dignoscunt, effectus a causis occultis, inusitatis, & imperceptis pendentes prospiciunt; ea sunt denique quæ res sibi propositas penitus introspiciunt. Ingenia verò mollia nihil habent præter falsam subtilitatem. Nec vivida sunt, nec perspicacia; ne effectus quidem a causis sensibilibus & manifestissimis procedentes vident, nil denique capiunt & penetrant; at verò circa sensibiles agendi & loquendi modos sunt delicatissimi. Vox barbara aut obsoleta, accentus Provinciæ alicui familiaris, invenusta oris compositio, ipsos longè vehementius offendunt quàm invalidæ rationes. Argumenti vitium non percipiunt, dum vel minima in periodo seu gestu anomalia ipsos fugere nequit. Quid plura? Rerum sensibilibus sunt peritissimi, utpote qui perpetuo sensuum usu sint exercitati. At verò quia ratione suâ nunquam ritè usi sunt, res a ratione pendentes non intelligunt.

Illi tamen sunt homines quorum fama viget, præclara facillè habentur ingenia. Si quis enim liberè & expedite loquatur, si vocibus terfis & exquisitis, si figuris utatur quæ sensus demulceant, affectusque impercepto quodam modo excitent; is certè ex vulgi sententiâ erit ingenium elegans, subtile, delicatum; licet nil veri nil boni, nil non inepti blateret. Nemo est qui videat istum hominem adeo decantatum molli, atque effeminato pollere genio, & falsis tantum circumfulgere splendoribus, qui mentem nunquam illuminant; ac eum oculos nostros duntaxat, non verò rationem alloqui & persuadere.

Porro omnes homines hoc vitio supra notato aliquatenus teneri non inficiamur. Nemo est inter illos qui sensuum impressionibus ita se subducatur ut externis agendi & loquendi modis paulum non adhærescat. In eo omnes homines non aliter inter se quàm gradibus differunt. Sed ideo quibusdam id vitium speciatim tribuimus, quia nonnulli sunt qui agnitum illud sedulo corrigere satagunt; at ii de quibus sumus loquuti id tanquam præstantem ingenii dotem existimant & fovent. Non modò non agnoscunt falsam istam ingenii subtilitatem non aliunde oriri quam a muliebri mollitie, & complurium errorum originem esse; sed illam arbitrantur esse invictum ingenii sui sublimitatis argumentum.

Hisce possunt accedere innumera ingenia levia, ac, ut ita dicam, superficialia. Ii sunt qui res nunquam penitus inspicientes nil præter ipsarum veluti corticem ac superficiem attingunt; & differentias non nisi confusè discernunt. Non ipsorum culpâ quidem, ut in aliis; ipsorum ingenium voluptatibus sensibilibus non fuit coarctatum, sed quia ingenio sunt naturâ exili. Nec putandum est istam ingenii exilitatem

II.  
De ingenii  
superficiali-  
vitiis.



ex mentis naturâ pendere: Illa ingenii tenuitas nonnunquam ex inopiâ aut tarditate spirituum animalium oritur, interdum ex inflexibilitate fibrarum cerebri, aliquando etiam ex immoderatâ spirituum & sanguinis copiâ, aut ex aliâ quavis causâ quam tenere necesse non est.

Duplex igitur est ingeniorum genus. Alia differentias rerum facile perspiciunt, atque illa sunt recta ingenia. Alia mutuan inter eas imaginantur & supponunt similitudinem, & ista sunt ingenia quæ superficialia diximus. Priora habent cerebrum vestigiis rerum objectarum claris & distinctis excipiendis idoneum, & quia ad ideas istorum vestigiorum sedulò attendunt, in istis rebus objectis nihil est quod ipsos fugiat. At verò ingenia superficialia excipiunt duntaxat debilia & confusa rerum objectarum vestigia. Ipsa tantùm veluti per nebulam vident, & ideo similia eis videntur, quemadmodum similes nobis apparent illorum facies quos eminus adspicimus: quia mens supponit semper similitudinem & paritatem, ubi nullam necessariam agnoscit differentiam & imparitatem, ut id libro tertio sum probaturus.

Qui orationes habent ad populum, qui loquaces dicuntur, & multi etiam inter eos qui facile mentem suam aperiant, quamvis rarò loquantur, istius sunt ordinis. Qui enim ferò & accuratè meditantur, meditata clarè eloqui rarissimè queunt. Hæsitant sæpe, quia vocibus quæ falsas in Auditoribus excitent ideas uti verentur. Cùm ipsos loqui pudeat eo tantùm sine ut loquantur, multorum adinstar, qui de omnibus audaciter garriunt, ideo cogitationes non vulgares verbis ut par est exprimere multùm laborant.

III.  
De viris  
auctoritate  
pollentibus.

Quamvis ingenti colamus veneratione viros pios, Theologos, senes, & eos omnes in genere qui magnâ apud homines valent auctoritate, de iis tamen id dicere nobis liceat; sapissime, videlicet, contingere ut se credant erroris immunes, quia a cæteris hominibus magnâ cum reverentiâ auscultantur; quia ratione suâ rarò utuntur ad assequendas veritates theoreticas, & quia quodlibet, nullo examine admisso, liberius damnant. Haud id quidem iis vitio damus, quòd plurimis scientiis minimè necessariis animum non appellant; quin ipsas prætermittant aut etiam adspernentur per nos licet, sed de iis saltem ne temere & ex arbitrio judicent. Attendant potiùs gravitatem istam quam præ se ferunt inter loquendum, auctoritatem quam sibi in alios acquisiverunt, consuetudinem illam quâ dicta sua aliquo scripturæ sacræ loco confirmare affueverunt, hæc omnia, inquam, in errores ineluctabiles injectura esse auditores suos, qui cùm non possint res penitus examinare, modis externis & specie sensibili sese præverti sinunt.

\* Cancel-  
larius  
BACO.

Error veritatis specie indutus majorem sæpe sortitur venerationem quàm ipsa veritas. Jam illegitima illa veneratio multa secum trahit incommoda. \* *Pessima res est errorum apotheosis, & pro peste intellectus habenda est, si vanis accedat veneratio.* Cùm itaque nonnulli Cacozeolo aut suarum cogitationum amore ducti Scripturâ innixi fuerunt ut  
falsâ



falsa stabilirent Physicæ aut aliûs scientiæ dogmata, Sectatores habuerunt qui ipsorum effata oraculorum instar hauserunt, propter scripturæ autoritatem quâ freti authores illi sensa sua propinaverant; Sed hinc etiam factum ut homines quidam, quibus mens erat læva, inde arripuerint occasionem spernendi Religionem, adeo ut, stupendâ inversione, scriptura sacra nonnullis fuerit errandi causa, alios verò veritas ad impietatem impulerit. Cavendum igitur est ne mortua quæramus inter viva, uti observat Author mox laudatus; nec est quod quis proprio spiritu suo ea se inventurum speret in scripturâ, quæ Spiritus Sanctus in eâ non declaravit. *Ex Divinorum & humanorum malesanâ admixtione*, pergit ille, *non solum educitur Philosophia phantastica, sed etiam Religio hæretica. Itaque salutare admodum est si mente sobriâ fidei tantum dentur quæ fidei sunt.* Qui itaque aliquâ in alios autoritate polent, eò cautiore esse debent in decisionibus suis, quò plures habent sectatores. Et Theologi præcipuè videant ne falso zelo moti, aut etiam famæ & opinionibus suis consulentes, Religionem in contemptum adducant. Quia verò ipsos sui officii monere meum non est, audiant Divum Thomam \* ipsorum Doctorem, qui interrogatus a Generali suo quid de articulis quibusdam sentiret, ex B. Augustino ad hunc modum respondit.

*Multum autem nocet alia quæ ad pietatis doctrinam non spectant vel asserere vel negare, quasi pertinentia ad Sacram doctrinam. Dicit enim Augustinus in 5. Confess. cum audio Christianum aliquem fratrem ista, quæ Philosophi de cælo aut stellis & de Solis motibus & Lune dixerunt, nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem; nec illi obesse video cum de te, Domine Creator omnium nostrorum, non credat indigna, si fortè situs & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem si hæc ad ipsam doctrinam pietatis pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat quod ignorat. Quod autem obsit manifestat Augustinus in 1. super Genes. ad litteram turpe est, inquit, nimis, & perniciosum ac maximè cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum Christianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur toto cælo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tamen molestum est, quòd errans homo videatur: sed quòd Auctores nostri ab eis qui foris sunt talia sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Unde mihi videtur tutius esse, ut hæc quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque esse sic asserenda, ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine Philosophorum introducantur, neque sic esse neganda tanquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occasio prabeatur.*

Tanta est plerisque hominibus negligentia & imprudentia, ut verbum Dei ab hominum verbo non distinguant ubi simul juncta sunt; adeo ut utrique assentiendo in errorem, utrumque contemnendo in



impietatem incidant; nullo etiam negotio horumce errorum causa potest afferri, manant scilicet ex illâ quam Capite XI. exposuimus idearum analogiâ. Nec iis explicandis diutius insistere opus est.

IV.  
De iis qui  
experimenta  
faciunt.

De Chymicis, & in genere de iis omnibus qui faciendis experimentis animum adjungunt, operæ pretium est aliquid hîc subnectere. Ii veritatem scrutantur: Ipsorum placita sine ullo examine a plerisque accipiuntur. Itaque errores ipsorum eò magis sunt noxii, quò faciliùs cum aliis hominibus communicantur.

Naturam quidem investigare quàm libros evolvere præstat; experimenta sensibilia res certius sanè demonstrant quàm ratiocinia hominum. Nec eos qui ad Physicæ studium adiguntur possumus culpare, quòd in eâ perpetuis experimentis progressus edere conentur; dummodo scientiis utilioribus majorem etiam conferant operam. Philosophiam igitur experimentalem aut ipsius studiosos non damnamus, sed tantum illorum vitia.

Primum illorum in eo situm est, quòd ut plurimum non ratione, sed fortunâ duce sua faciant experimenta; adeo ut ingenti in iis consumpto tempore & pecuniâ, nec doctiores nec peritiores evadant.

Secundum in eo est quòd extraordinariis & curiositatem moventibus potiùs studeant quàm usitatissimis. Cùm tamen experimenta magis familiaria sint etiam simpliciora, manifestò patet his animum esse priùs applicandum quàm illis quæ sunt complexiora, & a majori causarum numero dependent.

Tertium est, quòd experimenta lucrifica avidè & accuratè quærant, dum ea negligunt quæ menti illuminandæ duntaxat inserviunt.

Quartum in eo consistit quòd omnes circumstantias peculiare temporis, loci, qualitatis simplicium quibus utuntur accuratè satis non observent; quamvis nulla sit ex illis circumstantiis quæ non possit effectum experimenti morari. Observandum enim est omnes voces quibus utuntur Physici esse æquivocas; vox illa, vinum, exempli gratiâ, tot varia significat, quot varia sunt soli ingenia, variæ tempestates, variæ vini conficiendi & conservandi rationes; adeo ut in genere possimus negare duo dari dolia vini planè similia. Quum itaque Physicus ait, ad hoc faciendum experimentum fume vinum, quid sibi velit non intelligis nisi confusè admodum. Magnâ igitur cautione utendum est in experimentis; nec ad composita veniendum quin priùs simpliciora & magis ordinaria accuratè fuerint intellecta.

Quintum ex eo fluit quòd ex uno experimento plures æquo eliciant consequentias. Cùm contrâ multis opus sit experimentis, ut rem unam possis legitimè inferre, quamvis unicum experimentum multis deducendis conclusionibus conferre possit.

Denique Physici, & Chymici nil ut plurimum animadvertunt præter effectus naturæ speciales, ad primas rerum notiones ex quibus consistant corpora nunquam ascendunt. Certò tamen constat neminem posse  
specia-



specialia Physicæ phænomena clarè & distinctè cognoscere, nisi generaliora teneat, & etiam ad Metaphysica transcendat. Vires tandem & animus ipsis ut plurimum deficiunt, labor & impensa ipsos terrent & lassant. Multa sunt alia vitia in iis de quibus sermo fuit. Sed cuncta dicendi non est animus.

Hujuscemodi vitiorum causæ sunt minor applicatio, imaginationis proprietates cap. X. & XI. explicatæ, & quia etiam de differentiis & mutationibus corporum non aliter judicamus quàm ex sensationibus nostris, ut primo libro dictum est.



# PARS TERTIA.

## DE COMMUNICATIONE CONTAGIOSA IMAGINATIONUM FORTIUM.

### CAPUT PRIMUM.

*I. De illâ proclivitate quâ ad alios in omnibus imitandos propendemus, unde manat communicatio errorum qui ab imaginationis facultate dependent. II. Duæ causæ præcipuæ quæ illam augent proclivitatem. III. Quid sit imaginatio fortis. IV. Eam esse multiplicem. De insanis, ac de iis qui imaginationem fortem secundum sensum hic explicatum habent. V. Duo vitia memorabilia eorum qui habent imaginationem fortem. VI. Quàm sint idonei ad persuadendum & fucum faciendum.*



OSTQUAM explanavimus naturam imaginationis, variæque ipsius vitia, & quomodo ab ipsâ in errorem conjicimur, restat ut in hoc secundo Libro de Communicatione contagiosâ imaginationum fortium loquamur, hoc est, de vi illa quâ nonnulli alios in suos errores facillè pellicere possunt.

Imagina-



Imaginationes fortes sunt admodum contagiosæ: in debiles dominantur; eas paulatim ad sui normam inflectunt, eosdem ipsis insculpunt characteres. Cùm igitur ii quibus est imaginatio fortis ac vivida rationis modum plerumque excedant; pauca sunt errorum humanorum causæ generaliores hac perniciosâ imaginationis communicatione.

## I.

*De illa proclivitate qua ad alios in omnibus imitandos propendimus, unde manat communicatio errorum qui ab imaginationis facultate dependent.*

Ut istius contagionis natura, & quomodo transmittatur possit percipi, sciendum est omnes homines sui mutuo indigere auxilio; & ad id fuisse creatos ut multa inter se componant corpora, quorum partes mutua habeant analogiam. Hujusce conjunctiones fovendæ gratiâ Deus mutuo charitatis vinculo eos obstrinxit. Sed quia philautia charitatem paulatim extinguere, atque hoc pacto vinculum societatis disjungere poterat; illius conservandæ gratiâ homines vinculis naturalibus conjungi curavit Deus, quæ deficiente charitate subsisterent, aut etiam ipsam adversus Philautiæ conatus tuerentur.

Vincula illa naturalia quæ nobis cum belluis sunt communia consistunt in quâdam cerebri habilitate quam habent omnes homines ad eos imitandos quibuscum versantur, ad eadem cum iis formanda judicia, eosdemque experiendos animi motus quibus ii agitantur: Atque illa dispositio homines inter se multo arctius conjungit quam charitas ratione innixa, quæ charitas rarissima est.

Nisi homo eâ præditus sit habilitate quâ nostra sensa affectusque possit suscipere, nobiscum conjungi, unicùmque corpus constituere nequit. Similis illis lapidibus formæ irregularis qui suum in ædificio locum non possunt fortiri, quia cum aliis non possunt conjungi.

*Oderunt hilarem tristes, tristémque jocosum,  
Sedatum celeres, agilem gnarumque remissi.*

Cum iis qui affectibus nostris nullo indulgent modo, sed nobis potius in omnibus adversantur, divortium non facere, illud est arduum virtutis opus, nec immeritò, quippe cum mœsto non mœrere, cum læto non lætari, est utrique insultare, homo tristis compellendus non est ore hilari & jocosum, ac specie ita renidenti ut lætitiâ imaginationi ipsius imprimat, ne e statu sibi maximè congruo & jucundo dejiciatur. Nullus enim est animi affectus qui miserum magis juvet quam tristitia.

## II.

*Duæ causæ præcipuæ quæ augent habilitatem quæ nobis est ad alios imitandos.*

*\* nouvelles modes.*

Omnes igitur homines cerebrum ad id habile gerunt ut, naturâ duce, sese eodem modo quo nonnulli cum quibus versantur affecti sunt possint componere. Illa autem habilitas duabus potissimum causis potest foveri & augeri. Altera est in mente, altera in corpore. Prior præcipuè consistit in naturali hominum propensione versus dignitatem & exaltationem. Illa enim propensio ad id nos impercepto excitat modo, ut viros nobiles in loquendi ratione, in incessu, in vestitu, & in habitu externo imitemur. Hinc \* novi ritus seu *modi*, linguarum vivarum instabilitas, & quædam generalis corruptio quæ in moribus irripit. Hinc denique omnes ineptæ & ridiculæ nullâ ratione sed arbitrio humano tantum innixæ novitates oriuntur.

Alterâ



Altera causa quæ habilitatem illam auget, quâ alios possumus imitari, & de quâ hîc præcipuè agitur, consistit in impressione quâdam quam imaginationes fortes faciunt in ingenia debilia & cerebra teneriuscula ac delicatula.

Per imaginationem fortem ac vegetam intelligo constitutionem cerebri quæ illud vestigiorum altissimorum capax efficit, quæ vestigia mentis capacitatem ita implent, ut aliis rebus quàm iis quas imagines illæ ipsi repræsentant non possit ampliùs attendere.

III.  
Quid sit  
imago  
fortis.

Duplex est hominum genus qui imaginationem fortem habent hoc sensu. Priores alta hæc vestigia suscipiunt ex involuntariâ ac inordinatâ spirituum animalium impressione. Posteriores verò de quibus hîc præcipuè sermo est, ea suscipiunt ex quâdam dispositione quæ in substantiâ cerebri deprehenditur.

IV.  
Imagino  
fortis duplex  
est.

Priores omninò insanire manifestum est, cùm connexionem naturali quæ est inter ipsorum ideas & hæc vestigia cogantur de rebus cogitare prorsus diversis ab iis de quibus cæteri homines loquuntur; unde fit ut nihil ad rem possint dicere aut respondere.

Innumeri sunt istiusce generis homines, qui inter se non differunt aliter quàm gradibus; ac inter eos possumus accensere illos omnes qui motu aliquo animi violento cientur, nam tempore commotionis illius spiritus animales tantâ vi imprimunt vestigia & imagines rerum quæ affectus moverunt, ut quamlibet aliam cogitationem non possint suscipere.

Sed observandum est illos homines nullius imaginationem, quantumvis tenui sit ingenio, cerebròque molli & delicato, posse corrumpere, duabus potissimùm de causis. Quia primò cùm non possint appositè respondere ad ideas aliorum, illos utique non possunt persuadere. Secundà cùm ipsorum mentis perturbatio sit manifestissima, quicquid dicunt aspernabile videtur.

Nos revera afficiunt homines motu aliquo violento jam affecti, & in imaginationem nostram impressiones faciunt suis similes. Quia verò ipsorum impetus & perturbatio manifestæ sunt, illis impressionibus resistimus, ac illas non multò post excutimus, dummodo ab eâdem causâ quæ ipsas edidit non foveantur, per se delentur, hoc est cùm efferati illi e conspectu nostro discesserunt, ita ut characteribus ipsorum faciei per violentum illum motum impressis, fibræ cerebri nostri non amplius immutentur, spiritusque animales non agitentur.

Istam imaginationis fortis & vegetæ speciem, quæ consistit in habilitate cerebri ad altas accipiendas ideas etiam a rebus objectis debilissimis & minimè efficacibus idonea, istam, inquam, imaginationis fortis speciem hîc duntaxat examino.

Vitium non est cerebrum habere aptum ad res fortiter imaginandas, & recipiendas imagines maximè distinctas & vividas minimarum rerum objectarum; dummodo mens in imaginationem imperium semper obtineat,



neat, ita ut istæ imagines ad ejus nutum imprimantur & deleantur; quin hinc oritur sagacitas & vis ingenii. At ubi imaginatio menti dominatur, & inconsultâ voluntate vestigia formantur dispositione cerebri & actione rerum objectarum & spirituum; illud verò est vitium pessimum, & quædam insaniam species. Eos qui imaginationem eo modo fortem habent adumbrare conabimur.

Quocirca recordandum est 1°. Ingenii capacitatem angustissimis limitibus esse circumscriptam, 2°. Nihil ejus capacitatem facilius implere quàm mentis sensationes, atque omnes in genere earum rerum objectarum perceptiones quibus vehementer afficimur; 3°. Denique alta cerebri vestigia nunquam imprimi sine sensationibus, aut aliis illis perceptionibus quæ nos vividè afficiunt. Hinc enim elucescunt genuini characteres ingenii eorum quibus est imaginatio fortis.

*V.* *Duo vitia memorabilia eorum qui habent imaginationem fortem.* Primus in eo consistit quòd isti homines de rebus paulùm difficilibus & complexis non possint rectè judicare. Cùm enim ipsorum mentis capacitas iis tantùm impleatur ideis quæ naturâ suâ altis hisce vestigiis alligantur, de multis eodem tempore cogitare ipsis non datur. Jam autem in quæstionibus complexis, mens motu celeri multas simul ideas debet perlustrare, omnesque uno intuitu relationes & analogias hisce solvendis quæstionibus idoneas agnoscere.

Nemo est qui non sit expertus mentem veritati cuiquam non posse attendere dum dolore aliquo violento afficitur, quia tunc sunt in cerebro vestigia ita alta ut totam ipsius impleant capacitatem. Cùm itaque illi homines de quibus agitur, ex iisdem rebus objectis vestigia excipiant altiora quàm cæteri, ut id supponimus, non possunt etiam mentis visum æquè longè porrigere, nec totidem res simul complecti. Prius igitur illorum vitium in eo est quòd sint angusto ingenio, eoque angustiori, quò ipsorum cerebrum altiora ex minimis rebus objectis patitur vestigia.

\* Visionnaires.

Alterum eorum vitium in eo positum est, quòd sint \* phantastici, non ita, tamen, ut id vitii ab omnibus dignosci possit. Vulgus enim ipsos non existimat tales. Ii soli quorum ingenium rectum est & perspicax, ipsorum phantasmata, & imaginationis perturbationem agnoscunt.

Ut hujus vitii origo deprehendatur, ea quæ in principio secundi libri diximus revocanda sunt in memoriam; sensus nimirum & imaginationem non differre nisi gradibus, saltem quoad ea quæ in cerebro aguntur; magnitudinem & altitudinem vestigiorum esse causam cur mens sentiat res objectas, cur eas judicet præsentis & satis propinquas, ut ex iis dolorem aut voluptatem percipere possit. Cùm enim vestigiâ rei cuiuspiam objectæ sunt parva, mens eam imaginatur duntaxat; præsentem adesse non judicat, nec etiam tanquam valde magnam aut consideratione dignam eam sibi pingit. Sed quò magis vestigia crescunt,

&c.



& quò altiùs imprimuntur , eò grandiore , propinquiore ; ac denique ad nos commovendos & lædendos aptiorem eam sibi repræsentat imaginatio.

Phantastici illi de quibus hîc sermo est ad id vesaniæ nondum devenerunt , ut absentia tanquam præsentia se videre putent : vestigia ipsorum cerebri nondum satis alta sunt ; non penitus insanunt , sed tantum aliquatenus , si enim penitus insanirent frustra de iis hîc loqueremur. Quem enim ipsorum insania fugeret ? Quis se ab ea deludi pateretur ? Non sunt phantastici quoad sensus , sed tantum quoad imaginationem : at insani phantastici sunt quoad sensus , cum non videant res ut sunt , & quædam sæpe videant quæ minimè existunt. At verò illi de quibus mentio est phantastici sunt quoad imaginationem , cum res secus imaginentur ac se habent , & multa etiam imaginentur quæ non extant. Manifestum tamen est hos ab illis non aliter differre quàm gradibus , nec ab uno statu ad alterum transitus est difficilis. Unde fit ut ille morbus posteriorum debeat repræsentari collatione factâ cum morbo priorum , qui manifestior est , mentemque fortiùs afficit : quippe in iis quæ non aliter differunt quàm gradibus , ea quæ leviùs afficiunt & sentiuntur semper explicanda sunt per ea quæ vehementiùs.

Alterum igitur vitium eorum qui sunt imaginatione forti & vividâ , in eo positum quòd sint phantastici quoad imaginationem , aut simpliciter phantastici ; ii enim insanorum aut stultorum nomine vocantur qui sunt phantastici quoad sensus. Hæc sunt igitur vitia ingeniorum phantasticorum.

Ii homines in omnibus modum excedunt ; abjecta extollunt , parva augent , remota appropinquant , nil ipsis se præbet ut in se est. Omnia demirantur , ad omnia immeritò exclamant. Si constitutione naturali ad metum sint proni ; hoc est , si ipsorum spiritus animales sint pauci , debiles , & tardi , minimâ de causâ terrentur , trepidant arundine motâ. At verò si ingens ipsis sit spirituum & sanguinis copia , quod frequentius accidit , vanas concipiunt spes quibus semetipfos lætant , ac sese imaginationis suæ ubertati totos permittentes \* inanibus quotidie agitandis apud se consiliis mirificè delectantur. In affectibus vehementes , in opinionibus tenaces , in suimet ipsorum contemplatione semper læti & alacres sunt. Quum inter egregia ingenia accenseri ambiunt , ac Authores se gerunt (sunt enim Authores omnis generis , phantastici & alii ,) quot deliramenta , quot impetus , quot & quantas trepidationes ! Naturam nunquam imitantur , omnia contorquent & exaggerant , in auras sese extollunt , nil ab ipsis profertur quod cothurnum non sapiat ; subsultim incedunt ; ipsorum oratio numerosa est & phalerata , nil denique ab ipsis audias præter figuras & hyperbolas. Si pietatem amplectuntur , illamque ex arbitrio metiri satagunt , spiritum Judaicum & Pharisæicum penitus induunt ; rerum corticulæ , cæremoniis externis , ac praxibus nullius momenti toti adhærescunt ; fiunt scrupulosi,

\* ils bâtit-  
sent des  
châteaux  
en Espa-  
gne.



pulosi, meticulosi, superstitiosi. Cuncta, si ipsis credas, ad fidem pertinent; Cuncta sunt essentialia, si ea excipias quæ revera ad fidem pertinent, & verè sunt essentialia; sæpe enim levioribus addicti officiis utilissima negligunt Evangelii præcepta, justitiam, misericordiam, & fidem. Quid mora? Qui istorum vitiorum ut complurium aliorum certior fieri cupit, attendat modò ad ea quæ quotidie in colloquiis agitari solent.

Qui imaginationem habent fortem & vividam, aliis præditi sunt qualitatibus quas hîc explicare operæ pretium est. De ipsorum vitiis hactenus actum est; nunc de ipsorum virtutibus ac prærogativis agendum. Unam habent inter cæteras quæ ad institutum nostrum præcipuè pertinet; Illâ enim prærogativâ in vulgi ingenia imperium obtinent; suas ipsis ideas obtrudunt, falsasque impertiuntur impressiones.

VI.  
*Hos qui sunt  
imaginatione  
forti facile  
persuadere.*

Ista prærogativa in eo consistit quòd facile, vehementer & vividè, quamvis non genuinè seu naturaliter mentem suam aperiant. Qui res vividè imaginantur, eas etiam vividè exprimunt, eosque omnes persuadent qui specie externâ & impressione sensibili potiusquam rationum vi devincuntur. Cùm enim cerebrum illorum, ut antea dictum est, altissima eorum quæ sunt imaginati vestigia excipiat, ea ut plurimum vestigia non sine magna spirituum commotione imprimuntur, ista autem spirituum commotio totum corpus tali modo disponit ut mentis cogitationes possit vividè ac vehementer exprimere, cùm itaque oris habitus, vocis inflexio, orationisque concinnitas vim verbis addat, auditorum & spectatorum animos sibi conciliant, & ad id præparant ut ejusdem quâ afficiuntur imaginis impressionem mechanicè, ut ita dicam, excipiant. Quæ enim altè menti nostræ infusa sunt altè etiam à nobis aliorum mentibus infunduntur; Qui vehementi movetur affectu, eodem alios ut plurimum movet, & ipsius Rhetorica licet non regularis est tamen flexanima. Habitus enim & modus externus, ut pote sensibilis, in imaginationem hominum vividius agit quàm solidissima argumenta si mente sedatâ proferantur; hæc enim ratiocinia nec sensus nec imaginationem afficiunt.

Qui igitur imaginatione pollent, hoc cæteris præstant, quòd arrideant, moveant, persuadeant, quia nempe cogitationum suarum imagines sibi formant perquam vividas & sensibiles. Sed alia præter eas sunt rationes quibus animos sibi devinciant. De rebus ut plurimum facilibus & obviis duntaxat loquuntur. Iis utuntur vocibus quæ nihil excitant præter notiones sensuum confusas quæ nos semper vehementissimè movent. De rebus sublimibus & arduis nullam agunt mentionem nisi vagam, ac veluti per locos communes; Res enim sigillatim, penitus & a principiis suis introspicere non audent, sive quia hæc illos fugiunt, sive quia timent ne verborum penuriâ sese intricent, ac ingeniis attentioni non assuetis negotium faceffant.

Ex suprâ dictis non obscurè liquet imaginationis inordinatæ vitia esse.



fe admodum contagiosa, ac in plerorumque ingenia facillimè irreperere. Cùm autem isti homines forti imaginatione præditi rectæ rationis plerumque sint Antagonistæ, propter ingenii exilitatem ac cerebri phantasmata, hinc colligere pronum est istam vitiorum & perturbationum imaginationis contagionem inter errorum nostrorum causas esse maximè generalem. Sed hæc exemplis & experimentis familiaribus sunt confirmanda.

## C A P U T II.

*Exempla generalia quibus imaginationis vis demonstratur.*

**F**requentissima suppetunt istius communicationis imaginationis exempla in liberis respectu parentum, ac potissimum in puellabus respectu matrum; in famulis respectu herorum, ac in ancillis respectu dominarum, in discipulis respectu præceptorum, in aulicis respectu Regum, & in genere in omnibus inferioribus respectu superiorum: dummodo parentes, magistri, aliique Superiores aliquâ polleant imaginationis vi; sin minus imaginatio debilis parentum, aut magistrorum, nullam fortè impressionem in liberis & servis efficeret.

Ista communicatio inter pares etiam deprehenditur, sed rariùs, quia inter eos non est veneratio illa qua ingenia ad id flectuntur, ut nullò examine admisso impressiones imaginationum fortium imbibant, hæc etiam communicatio in superioribus respectu inferiorum observatur; Hi, scilicet, imaginatione adeo vivida & imperiosa sunt præditi, ut superiorum suorum animos pro lubitu inflectant.

Parentes in liberorum imaginationem vehementissimè agere nemo est qui non percipiat si attendere velit istam habitarem naturalem quâ ad id comparatur ut eos quibuscum degimus imitemur, iisdemque quibus ipsi moveamur affectibus, longè firmiorem esse in infantibus respectu parentum, quam in cæteris hominibus. Cujus multæ possunt afferri causæ. Ac prima quidem ex eo deducitur quòd eodem sanguine sint formati. Quemadmodum enim parentes sæpissime transmittunt in liberos habitatem ad quosdam morbos veluti hæreditarios, quales sunt morbus articularis, calculus, insania, ac in genere omnes illi morbi qui accidentaliter non irreperunt, aut qui non ex solâ extraordinariâ humorum fermentatione orti sunt, quales sunt febris, &c. illos enim morbos non posse communicari liquet; ita dispositionem cerebri sui infantum cerebro imprimunt, imaginationem ipsorum ita inflectunt, ut easdem ac ipsi concipiant opiniones.



Secunda ratio hæc est. Infantes scilicet rarò utuntur familiari cæterorum hominum commercio ex quo alia vestigia ipsorum cerebro possent insculpi, ac perpetuus, ut ita dicam, impressiois paternæ nihil infringi. Nam sicut qui patriæ cancellos nunquam est prætergressus mores ritúsque peregrinorum a ratione prorsus alienos ducit, quia eos a more patrio quem sequitur recedere videt; ita juvenis e domo paternâ nunquam egressus, parentum sententias vivendique modos instar rationis universalis habet; seu potius haud credit alias esse rationis & virtutis regulas præter eas quas a parentibus edoctus est. Parentibus igitur in omnibus credit, atque ad eorum agendi rationem se conformat.

Porro adeo vehemens est ista paterna impressio ut non in imaginationem liberorum modò, verùm etiam in cæteras ipsorum corporis partes agat. Filius genitoris incessum, vocem & gestum imitatur. Filia eandem ac genitrix observat in ornatu compositionem, ejus incessum, vocemque etiam æmulatur. Si balbutit mater, balbutiet etiam filia, si cervicem inconcinnè contorquet, filia itidem contorquebit. Denique liberi in omnibus imitantur parentes, in defectibus & motibus incompositis, ut & in erroribus & vitiis.

Multa præterea istius impressiois effectum confirmant & augent, sed præcipuè autoritas parentum, summissio liberorum, & amor mutuus inter utrosque. Sed hæc causæ Aulicis, Ministris, ac omnibus in genere inferioribus non secus ac liberis communes sunt. Aulicorum exemplo rem sumus explanaturi.

Sunt qui de iis quæ non vident per ea quæ sibi sunt conspicua judicent. De sublimitate, exempli gratiâ, de vi ac de capacitate ingenii sibi ignotis per nobilitatem, dignitates, divitias sibi notas. Aliud ex alio metiuntur; infimus ille status quo infra Magnates dejicimur, ipsisque subijcitur, cupido quâ ipsorum gloriæ participandæ tenemur, ingensque splendor qui ipsis affulget, nos eò plerunque adducit, ut mortales divinis, ut ita loquar, afficiamus honoribus. Quippe si Deus autoritate Principes donet, homines ipsis erroris immunitatem arrogant; erroris immunitatem, inquam, ita universalem ut nullis in ullâ re aut occasione, aut ceremoniâ circumscribatur cancellis. Magnates cuncta per se nôrunt. Quamquam de quæstionibus sibi prorsus inusitatis decidunt, recta tamen ratio ab ipsis semper stat; qui ipsorum dicta expendere audent is est rudis rerumque imperitus. Is a veneratione ipsis debitâ desistit qui audent dubitare. Ac denique qui ipsos damnat rebellionis reus est, ineptit, delirat, cunctisque debet ludibrium.

At verò si Magnates nos favore suo dignentur, tum si ipsorum dictis calculum non adjicimus, non pervicaces & rebelles modò, sed & ingrati, & perfidi habemur. Piaculum est quo ab ipsorum gratiâ æternum arcemur. Unde fit ut aulici, atque adeo omnes subditi in verba, & opiniones Regis nullo adhibito examine jurent; ac in rebus etiam Religionis sese ipsorum arbitrio sæpissime permittant.



Britannia & Germania istius obedientiæ impiis Principum imperiis præstitæ luculenta nobis suppeditant exempla. Nil aliud sonant Historiæ posteriorum sæculorum. Nec desuere homines ætate pro-  
 vecti, qui quater aut quinques Religionem mutaverint, mutantibus Principibus.

Reges & ipsæ etiam Reginae in Britannia in omnia sive civilia sive Ecclesiastica regimen sibi arrogant. Ipsi Liturgias, Fæstorum officia, Sacramentorum administrationem & participationem dirigunt & approbant. Prohibent, exempli gratiâ, adorationem Jesu-Christi in Eucharistiâ, quamvis ipsum genibus flexis pro more antiquo recipi jubent. Uno verbo omnia immutant in liturgiis, ut eas novis fidei suæ articulis accommodent, atque de istis articulis judicandi cum Parlamento seu summâ Curia jus sibi tribuunt, non secus ac Papa cum Concilio, uti videre est in statutis Angliæ & Hiberniæ initio Regni Reginae Elisabethæ factis. Denique Reges Angliæ majorem in subditos exercent potestatem circa spirituale quàm circa temporale; miseri nempe homines rebûsque terrenis dediti, bonorum suorum quàm fidei conservationem pluris facientes, Principum voluntati facile obtemperant, dummodo rei suæ temporali non obset.

Varia vicissitudines Religionis in Suecia, & Daniâ imperium illud quo nonnulli in alios pollent satis superque nobis probare possent; sed harum vicissitudinum aliæ sunt etiam causæ non leves. Possunt quidem mutationes illæ stupendæ contagiosam imaginationis communicationem probare; sed ista argumenta generalia nimis & vasta mentem potiùs perstringunt & stupefaciunt quàm illuminant. Quia nempe ejusmodi eventus insperati pendent a nimio causarum concursu.

Si aulici cæterique homines veritates certas, essentielles, ac sine fallitis dispendio non deserendas deserant tamen; quantò minùs veritates abstractas parùm certas & utiles audebunt defendere. Si Religio Principis sit Religio subditorum, quantò magis ratio religione inferior erit etiam subditorum ratio. Principis itaque opiniones, voluptates, affectus, lusus, verba, vestitus, omnes denique actiones usû apud omnes invalescent: quid moror? Princeps ipse est norma usûs essentialis. Nec fieri potest nisi rarò admodum ut contra usum ritumque receptum peccet. Cum autem omnes usûs mutationes nil aliud sint quàm varia ornamenta, variæque venustates, nemo est qui mirari debeat quod Principes ita fortiter agant in imaginationem cæterorum hominum.

Si Alexander inclinet caput, omnes ipsius aulici caput inclinant. Si Dionysius Tyrannus Platone Syracusam adveniente, Geometriæ operam navet, illico Geometria floret, istiùsque Regis palatium, inquit Plutarchus, videas conspersum pulvere quem excitant figurarum delineatores. At verò simul ac Plato isti Principi indignatur, & Princeps voluptatibus denuo indulgens studium Geometriæ fastidit, aulici extem-  
 ple



*In operibus  
moralibus.  
Quomodo  
distingui  
possit adu-  
lator ab  
amico.  
\*Pedante-  
rie.*

plo eandem insistentiam. Ipsos dicas, pergunt idem, fascinosos & veneficæ cujusdam Circes incantamentis in alios homines transmutatos. E Philosophiâ ad intemperantiam transgrediuntur. Philosophiam respiciunt ut voluptates illicitas quas mox horrebant sectentur. Sic Principes vitia in virtutes, virtutesque in vitia transformare, omnesque illorum ideas mutare uno verbo possunt. Ad minimum ipsorum nutum, gestum, laborum aut oculorum motum res eò deveniet ut vera scientia & eruditio \* futilis quædam ludimagistri occupatio videatur; temeritas, ferocitas, sævitia pro magnanimitate habeatur, ac denique impietas & licentia pro virtute & libertate animi.

Sed in hoc, ut in cæteris, præsuppositum velim Principes polle-  
re imaginatione forti & vividâ; alioqui orationes eâ non possent in-  
struere energiâ & formâ, quæ ingenia debilia sibi devincit atque sub-  
jugat.

Quòd si imaginatio sola, rationisque auxilio destituta tantos edere  
valeat effectus; certè nihil adeo inauditum, adeoque insolens est quod  
non possit persuadere, si rationibus saltem verisimilibus innitatur. Rem  
probo exemplis.

*Diodor. Si-  
cul. Bibl.  
hist. l. 3.*

Priscus quidam Author refert Aulicos apud Æthiopas istius olim fuisse  
dementiae ut se claudos & deformes redderent, aut sibi membra quæ-  
dam truncarent, quin & mortem consciscerent Principis imitandi causâ:  
Rege claudicante, vel coclitate indecorum erat stipatoribus, binos habere  
oculos, aut rectos incedere: quemadmodum nemo est qui in aulâ nunc  
audeat sese ostentare cum Cæsitiis rugatis, & striatis galericulis, aut  
cum ocreis albis, calcaribusque auratis; vel aliis ejusmodi ornamentis  
quæ nunc obsoleverunt. Æthiopum ille mos absurdus quidem & mole-  
stus, sed usu receptus erat. Ad illum omnes sese alacriter accommo-  
dabant, spreto dolore in ejusmodi ritu perferendo, in id tantum colli-  
mabant ut generositatem, studium, constantiamque Regi suo testatam  
facerent. Denique istius ritus absurditas illegitimâ amoris causâ innixa  
pro lege habita est, ac diutissime obtinuit.

Qui in Orientem iter fecerunt hunc morem in multis regionibus non-  
dum obsolevisse, aliosque non minus ridiculos invaluisse tradunt. Sed  
quid tam remotas gentes quærimus? certè in nostrâ etiam Galliâ reli-  
giosè observantur leges & ritus absurdi & molesti ubicunque sunt  
homines affectibus suis indulgentes, & ubicunque imaginatio rationi  
dominatur, ibi stupenda in moribus absurditas & inconstantia. Quid  
dicas de mulieribus nostratibus quæ dum dirissima sævit hyems nuda-  
to pectore incedunt, & vigente æstatis calore, vestibus ita arctis ami-  
ciuntur, ut eas vix respirare posse dicas. Certè si ex illo ritu non  
tanto dolore ac Æthiopes afficiuntur, majori saltem pudore suffundi  
deberent. Non tantus est dolor, concedo, sed neque ita simul speciosa  
est causa illius perferendi; par ergo saltem utrinque est insulfitas. Si  
Æthiops oculos sibi effodiat, generositatem potest saltem causari, quid  
verò



verò caufabitur matrona Christiana ea ostentans quæ natura & Religio ipsam occultare jubent? Se morem receptum sequi dicet, & nihil amplius? Verùm iste mos est absonus, infestus, indecorus ac omnimodè Christianis indignus. Originem suam non aliunde ducit quàm ex manifestâ rationis depravatione, & occultâ cordis corruptione; sine scandalo non potest observari: qui illi adhæret a rationis partibus ad imaginationis partes, a puritate ad impuritatem, a spiritu Dei ad spiritum mundi manifestò deficit, uno verbo, omnes rationis & Evangelii leges violat, quid facias? usus sic voluit, jam autem usus, si hominibus sæculi credas, sanctiùs observari debet, quàm lex ipsa quam Deus digito suo inscripserat tabulis Mosis, quamque a spiritu suo pectoribus Christianorum insculpit. Certè haud scio an Galli Æthiopes meritò possint deridere. Qui Regem coclitem & claudum coclitibus etiam & claudis stipatum videret risum quidem primâ fronte vix posset tenere; sed tempore succedente ridendi tandem fieret finis, istâque magnanimitas & veluti devotio admirationem fortè potiùs pareret quàm risum. At verò de moribus aut modis qui apud Gallos obtinent res secùs se habet. Ipsorum absurditas nullâ nititur ratione verisimili; si minorem afferunt molestiam, tantò magis ridiculi sunt. Quid plura? ritus a ratione adeo abhorrentes tantam esse sæculi corruptionem ostendunt, ut nulla amplius sit resipiscentiæ spes.

Quæ de Aulicis dicta sunt, de plerisque famulis erga heros, de ancillis erga heras, atque, ut fiat temporis compendium, de omnibus inferioribus erga superiores intellecta velim, sed præcipuè de liberis erga parentes: liberi a parentibus ita pendent ut nemo magis; parentes illos complectuntur amore omnium maximè intimo, ac denique ad submissiones & obsequia ratione ducuntur, quæ ipsius rationis modum quandoque excedunt.

Cæterum imaginatio aliquando sufficit nonnullis ut agant in imaginationem; nec semper necessaria sunt autoritas, & imperium. Nonnulli interdum reperiuntur nobis incogniti, nulliùsque apud nos præconceptæ existimationis, quibus tanta imaginationis vis est, tantâque in verbis energia & vivacitas, ut nos etiam incautos & incogitantes persuadeant; dum ne vel quid persuadeant possumus assequi. Id quidem videtur incredibile, crebrò tamen accidit.

Ista autem imaginaria persuasio aliunde oriri nequit quàm ex vi ingenii hominis cujuspiam phantastici, qui multa quæ ipse non intelligit vividè deblaterat, quique auditorum ingenia ita contorquet ut cæcam adhibeant fidem. Plerique enim impressione sensibili ita permoventur, stupescunt, perstringuntur, ut ex affectu suo de iis judicium ferant quæ ipsi non intelligunt nisi confusè admodum. Ad id, quæso, sedulò attendant lectores, quid in semetipsis inter mutua hominum colloquia agatur seriò reputent, hanc veritatem crebrò experientur. Nec dubito quin hinc utilitatem non parvam percipiant.

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

X

Sed



Sed animadvertendum est duo valde ad id conferre ut aliorum imaginatio in nos invaleat. Primò pietatis & gravitatis species quam præ se ferunt nonnulli. Secundò liberrimus, & audacissimus quorundam aliorum loquendi modus. Quippe juxta propensionem nostram ad pietatem aut licentiam, viri pietatem & gravitatem, aut præfractam audaciam impiamque libertatem affectantes in nos variè prorsus agunt.

I. Ep. IV.

Ex illis quidem alii sunt perniciosiores aliis: Cave tamen ne cujusquam specie externâ deludaris; nec cedas nisi rationibus solidis. Ineptiæ possunt gravi & modesto proferri modo, impia quædam & blasphemiam pietatis pallio obtegi. Examinandum igitur est, juxta Johannis præceptum num spiritus sint Dei, nec cuilibet spiritui fidendum. Dæmones in Angelos lucis sese nonnunquam transformant. Nec desunt qui speciem externam ad pietatem naturâ conformatam habentes verâ pietate præditi apud homines habeantur; atque hoc freti nomine homines ab officiis quibus necessariò & essentialiter tenentur, atque etiam ab amore Dei & proximi audent liberos & immunes pronuntiare, ut eos praxi cuidam aut cæremoniæ Pharisaicæ subjiciant.

\* esprits  
forts.

Sed imaginationes quarum vim & contagium fugere nostrâ potissimum interest, sunt imaginationes nonnullorum hominum per orbem dispersorum qui pro \* ingeniis fortibus seu non vulgaribus haberi volunt, quam certè famam nullo comparant negotio. Qui enim peccatum originale, immortalitatem animæ negare; aut quoddam Ecclesiæ placitum impudenter exhibere sustinet, is eximiam ingenii fortis famam apud vulgus sibi conciliabit.

Tenuia illa ingenia igniculis quibusdam micant, ac nescio quâ specie libertatis & audaciæ aliorum ingeniis imperiosè dominantur, imaginationesque debiles ita disponunt ut verbis vividis & speciosis cedant, quæ quilibet attentus non posset audire nisi aspernabundus: in vocibus felices, in rationibus infelicissimi sunt. At verò quia homines, licet ratione præditi, sensibilem tamen habitûs externi voluptatem ipsi rationi cujus examen arduum est præferunt, hinc fit ut ejusmodi ingenia aliis non possint non palmam præripere, non possint non suos errores & malignitatem transmittere, imperio quod in aliorum imaginationem usurpârunt.



CAPUT III.

I. De vi imaginationis quorundam Authorum. II. De Tertulliano.

**N**ullo argumento evidentiori vis quarundam imaginationum in alios potest demonstrari, quam potestate illâ quâ nonnulli Authores persuadere valent nullis adhibitis rationibus. Exempli gratiâ, Tertullianus, Seneca, & inter recentiores, e Gallis, Montagne, & quidam alii, sermones suos nescio quo componunt modo quo plerosque demulcent, atque perstringunt, quamvis in istis scriptis illorum Authorum imaginatio imperfectè tantum pingatur & adumbretur. Ipsorum voces licet mortuæ rationem multorum efficacitate suâ superant. Ita mentem pervadunt, penetrant, subjugant, ut eam ad cæcam ac veluti insciam obedientiam tyrannicè adigant. Mens quidem assensum præbere non recusat, sed cui assentiretur, cum rem propius explorare cupit, nil deprehendit præter spectra quæ cum suâ pompâ & fulgore in auras abeunt.

Etsi Authorum suprâ laudatorum scripta ad vim imaginationis demonstrandam sint aptissima, nolim tamen illa in omnibus damnare. Quædam sunt in iis adeo scita ut ea non possim non laudare; nec in universalem multorum sæculorum approbationem invehi animus est. Tertullianum in multis, ut in apologiâ suâ adversus gentes, & in libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, Senecamque in nonnullis demiror & exosculor; licet totum Montagne parvi faciam. \*Vide Illustrationes

Tertullianus erat quidem eruditissimus, sed memoriâ potius pollebat quam judicio; magnâ vastitate & sagacitate imaginationis pollebat, non tantâ ingenii; nec dubium est denique quin eo quem explicui sensu phantasticus fuerit, ac iis fere omnibus laboraverit vitiis quæ ingenii inordinatis imputavi. Assensus & obsequium quod Montani ipsiusque Prophetissarum visionibus præstitit, illius judicii debilitatem satis superque demonstrant. Æstus ille, motus immoderati, enthusiasti circa res minimas ipsius imaginationis perturbationem manifestò ostendunt. Quot commotiones immodicæ in ipsius hyperbolis & figuris? quot splendidæ & magnificæ rationes quæ perstringendo & stupefaciendo tantum persuadent & probant?

Quorsum, exempli gratiâ, causam dicturus cur pallium Philosophicum indueret, non togam quam tum induere solebant, dicit illud pallium Carthagini olim in usu fuisse? an quia olim Majores nostri castitio, & galericulo utebantur, eodem uti ornamento nobis licebit? an mulieres ut olim capitio ornabuntur nisi in

\* Bacchanalibus?

\* au Car-  
naval;



Quid de magnificis & ambitiosis istis descriptionibus vicissitudinum mundi poterit inferre? an hæc ipsum absolvunt? Luna in phasibus suis varia est, annus in tempestatibus; ager per hyemem aliam induit faciem quàm per æstatem. Regiones integræ aquarum eruptionibus fuerunt inundatæ, aut terræ moribus absorptæ. Novæ urbes, novæque coloniæ fuerunt conditæ, tota denique natura variis obnoxia est vicibus.

Cap. 2. & 3. Ergo Tertullianus meritò togam exuit; ut pallium indueret. Quid, de pallio. quæso, variæ istæ mutationes & innumeræ aliæ, quas anxie disquirit, & obscure, contortè, ac ingenti describit molimine, cum suo instituto? Pavo pedem non movet quin colorem mutet, serpens foramen aliquod subeundo exutâ fenestâ novam induit pellem: ergo legitimè vestem mutavit? Quis sanguine frigente, & sedato animo tam ridiculas eliciat conclusiones, quis Authorem illum eas elicientem sibilo non exciperet, nisi strepitu suo lectorem præverteret & obtunderet?

Totus penè ille libellus de pallio rationibus ab instituto æquè alienis scatet; quæ certè nil probarent, si mens sese obtupestieri non pateretur, sed his immorari inutile foret, id unum monuisse sufficiat, videlicet si animi rectitudo æquè ac perspicuitas & evidentia in verbis debeant elucere in scriptis, quia non alium ob finem scribimus quàm ut intelligamur; si id, inquam, ita sit, Author ille excusatione curet; quippe qui, referente Salmasio \* inter Criticos hujus sæculi facile Principe, omnem contulerit operam ut obscurus esset, usque adeo ut Commentator ille dejerare non dubitet ipsum a nemine unquam omnino intellectum fuisse. Quicquid sit, licet mos illius Gentis, usus isti sæculo solennis, aut denique satyræ & ironiæ natura possint illud obscuritatis & ἀνακαλιψίας studium excusare, non possunt tamen ferri ineptæ rationes & Authoris insipientia, qui deblaterare non veretur quicquid in buccam venit; dummodo insolenti aliquâ cogitatione, aut vocibus inusitatis & magnificis imaginationis vim aut potius perturbationem se ostentaturum speret.

## CAPUT

\* Multos etiam vidi postquam bene æstuassent ut eum assequerentur, nihil præter sudorem & inanem animi fatigationem lucratos, ab ejus lectione discessisse, sic qui Scotinus haberi viderique dignus, qui hoc cognomentum habere voluit, adeo quod voluit a semetipso impetravit, & efficere id quod optabat valuit, ut liquidò jurare ausim neminem ad hoc tempus extitisse, qui possit jurare hunc libellum a capite ad calcem usque totum a se non minùs bene intellectum quàm lectum. *Salm. in ep. ded. comm. in Tert.*




## CAPUT IV.

*De imaginatione Senecæ.*

**S**enecæ imaginatio ad rationem interdum non magis accedit quàm imaginatio Tertulliani. Motus ipsius impetuosi in loca ei ignota ipsum nonnunquam abripiunt, quæ tamen eâdem perlustrat confidentiâ, ac si ipsa sæpissime trivisset, dummodo magnis itineribus incedat, concinnas & numerosas adornet periodos, multum se promovisse autumat: sed certè iis similis est qui choreas agentes semper redeunt unde primò venerunt.

Vis & elegantia verborum, a vi & evidentiâ rationum apprime semper sunt distinguendæ. Multum sanè in verbis Senecæ apparet energiæ & elegantiae, at in rationibus valoris & evidentiæ parum, verba sua imaginationis vi istâ instruit formâ, quâ possint movere, agitare, ac persuadere impressione suâ, iis verò perspicuitatem, & lumen illud purum non affundit, quo mens per evidentiam illuminatur & persuadetur. Convincit quia commovet, & allubescit, at vix credam illius lectione eos persuaderi quibus sanguis in venis est sedatus, quique adversus præjudicia cauti non cedunt nisi perspicuitate & evidentiâ rationum devicti. Uno verbo dummodo placeat & venuste loquatur, quid dicat parum sollicitus est, quasi quis id ritè persuadere possit cujus conscius apud se non est. Persuadet itaque persuasione cæca, quam qui admiserunt non satis attingunt quo pacto illam admiserint: quasi mens pati deberet sese persuaderi, nisi rem prius examinatam distinctè cognoscat.

Quid pompam magis sonat, quàm idea sapientis ab ipso tradita? sed quid etiam vanitatem, errorémque magis redolet? Quam nobis tradit Catonis idea illustrior est quàm ut genuina haberi possit; præstigiæ sunt quæ iis duntaxat fucum faciunt qui naturam hominis non nôrunt. Cato iisdem calamitatibus ac cæteri homines erat obnoxius: ipsum invulneratum dicere mera est hallucinatio. Qui illum ictibus petebant, haud dubiè etiam sauciabant; ipsi non erat adamantis durities ferro inexpugnabilis, nec rupis robur quod infringere nequeunt undæ, ut id contendit Seneca. Uno verbo, haud erat sensus expers; nec id diffitetur ipse Seneca, cum imaginatione defervescente, ad ea quæ profert attendit. Lege verba ipsius Senecæ. *Itaque non refert quam multa in illum tela conjiciantur, cum sit nulli penetrabilis, quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est; nec secari adamas aut cædi vel teri potest, sed incurrennia ultro retundit: quemadmodum projecti in altum scopula*





puli mare frangunt, nec ipsi ulla sevitia vestigia tot verberati seculis ostentant. Ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa quae extuli; Sen. cap. 5. Tract. Quod in sapientem non cadit injuria.

Quid igitur? nunquid fatebitur sapientem suum ad miseriam posse redigi, cum doloris sensum possit percipere? minimè verò, dolor sapientem suum non afficit; doloris formidine non tenetur; supra fortunæ vires, hominùmque malignitatem sese extulit. Hæc illum anxium habere nequeunt.

Adsum hoc vobis probaturus, inquit; sub isto tot civitatum everfore munimenta incursu arietis labefieri, & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente residere, & æquaturum editissimas arces aggerem crescere. At nulla machinamenta posse reperiri, quæ bene fundatum animum agitent. Et infra, non Babylonis muros illis contuleris, quos Alexander intravit, non Carthaginis aut Numantia mœnia una manu capta, non capitolium arcemve, habent ista hostile vestigium, cap. 6.

Quid tu putas cum stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset ullam sagittam in solem incidisse? Ut cœlestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa diruunt, aut simulachra constant, nihil divinitati nocetur, ita quicquid sit in sapientem, protervè, petulanter, superbe frustra tentatur. cap. 4. Inter fragorem templorum super Deos suos cadentium uni homini pax fuit. cap. 5.

Non est quod dicas ut soles, inquit ille, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem rei false concipimus, sed qualem confirmamus, exhibemus & exhibebimus. Ceterum hic ipse M. Cato vereor ne supra nostrum exemplar sit. cap. 7.

Videor mihi, pergit, intueri animum tuum incensum & effervescentem: parvas acclamare. Hæc sunt, quæ auctoritatem præceptis vestris detrahant. Magna promittis, & quæ ne optari quidem nedum credi possunt. Et infra. Ita sublato altè supercilio in eadem, quæ ceteri descenditis mutatis rerum nominibus; tale itaque aliquid, & in hoc esse suspicor, quod prima specie pulchrum atque magnificentum est, nec injuriam, nec contumeliam accepturum esse sapientem; & infra. Ego verò sapientem non imaginario honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quò nulla perveniat injuria.

Hinc patet quò fortis Senecæ imaginatio debilem ipsius abripiat rationem. Quì fieri potest ut homines ærumnarum & infirmitatum suarum quotidie sibi ipsis consciì tam altos & superbos induant animos? Quis mente sanus sibi persuadeat se dolore quo afficitur non lædi? Sed quid nobis Catonem obtrudit Seneca? Certè quantumvis ipsi tribuatur fortitudinis & sapientiæ, eò tamen nunquam devenit ut, non dicam atroces populi ipsum invadentis, verberantis, & spoliantis injurias, sed vel muscæ aculeum immotus possit perferre. Si cum invictis quæ ex experienciâ nostrâ petimus argumentis conferas istam Senecæ ratiunculam, quam tamen palmariam esse ducit, quid eâ debilius? Audi egregiam istam rationem.

Validius



*Validius esse debet quod lædit eo quod læditur, non est autem fortior nequitia virtute, non potest ergo lædi sapiens. Injuria in bonos non tentatur nisi a malis, bonis inter se pax est. Quod si lædi nisi infirmior non potest, malus autem bono infirmior est, nec injuria bonis nisi a dispari verenda est, injuria in sapientem virum non cadit.* cap. 7. Quid si hisce respondeas omnes homines esse peccatores ac proinde calamitate dignos; ut id nos docet Religio aut licet nequitia non sit fortior virtute, probos tamen a nequioribus posse viribus superari, ut id testatur experientia?

Epicurus merito quidem dicebat *injurias tolerabiles esse sapienti*, at Seneca immerito asseruit *sapientes injuriis non posse lædi*. Virtus Stoicorum ipsis malorum sensum non poterat adimere; cum vera virtus non impediat quominus miseriæ obnoxii commiserationem etiam mereamur. Divus Paulus & primi Christiani Catoni & omnibus Stoicis antecellebant virtute; non negaverunt tamen dolores quibus vexabantur ipsos ad miseriam adduxisse, quamvis ad mercedis æternæ spem erigerentur. *Si tantum in hac vitâ sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, inquit Paulus.

Epicurus ait injurias tolerabiles esse sapienti, nos injurias non esse. cap. 15.

Deus solus gratiâ suâ veram solidamque virtutem nobis impertiri, ac solus proinde ad veram solidamque beatitudinem nos perducere potest; verum illam in hac vita nec nobis pollicetur, nec largitur, illam in futuro sæculo ex ipsius justitiâ sperare par est, ut mercedem ærumnarum quas propter ipsius nomen sumus perpeffi, pace illâ & requie nunquam interruptâ nondum potimur. Ipsâ Jesu-Christi gratia vires nobis non suppeditat invictas; nos adhuc miseriæ nostræ sensui permittit, ut nostræ fragilitatis convicti cognoscamus nihil in terrâ esse quo non possimus lædi; utque injurias nobis illatas eâ perferamus patientiâ quæ ex animi demissione & modestiâ Christianâ oriatur, non verò ex superbiâ & ferocitate, quæ in Catonis constantiâ sese præbebat conspiciendam.

Cato colaphum sibi impactum non agrè tulit, non ultus est quidem, sed nullam etiam concessit veniam; nempe sibi ullam fieri injuriam arroganter negavit. Ipsius patientia nihil aliud sapiebat quàm superbiâ & ferocitatem; erat inimicis injuriosa; ipsos enim hac Stoicâ patientiâ in belluarum, adversus quas irasci indignum est viro sapienti, numerum accensebat. Hunc erga inimicos despectum non aliunde quàm ex maximâ sui existimatione oriundum, magnanimitatem vocat Seneca. *Majori animo*, inquit, de injuriâ Catoni illatâ loquens, *non agnovit quàm ignovisset*. Quâ dementiâ confundit ille magnanimitatem cum superbiâ, patientiâque ab animi demissione sejungit ut eam cum intolerandâ prorsus conjungat ferocitate, sed quàm blandè palpat ejusmodi dementia hominis vanitati qui cedere ac sese dejicere semper recusat! & quàm perniciosum est Christianis magistri adeo præcipitis, qualis est Seneca, doctrinam imbiberere! ipsius enim imaginatio adeo fortis, adeo vivida est ut ingenio debiles, & ad sensibiles voluptates propensos frangat, perstringat, ac torrentis instar secum abripiat.

Seneca cap. 14. ejusdem libri.

Discant



Discant potiùs Christiani a suo Magistro, se ab impiis posse injuriis affici, probòsque nonnunquam, sic dirigente Providentiâ, malorum impietati permitti. Jesus-Christus sapientissimus inter sapientes, immo infinitâ præditus sapientiâ, a Summi Pontificis Ministro colapho exceptus non diffitetur se ab isto Ministro fuisse læsum, non irascitur; non ut Cato ulciscitur; sed utpote veram passus injuriam ignoscit, suos quidem inimicos ulcisci, immo perimere poterat; sed cum patientiâ modestâ nemini ne vel aggressori injuriôsâ, mala sibi inflictâ tolerat. Cato contrâ cum injuriæ sibi factæ ultionem reipâ nec posset nec auderet exigere, imaginariam saltem apud se fingit, quæ suæ palpet vanitati & superbiæ; sese supra nubes mente fert sublimem; hinc homines, ut pusillas muscas quæ ipsum nec lædere, nec ad iram provocare valeant, despicit. Figmentum sanè sapienti Catone dignissimum. Ex hoc enim figmento nascitur illa magnanimitas & constantia quâ evehitur ad Deos. Hoc pacto humanæ malignitati & violentiæ subductus, illæsus factus est.

Sapientia  
hujus mundi  
di stultitia  
est apud  
Deum.

Quod hominibus  
altum abominatio est  
ante Deum.  
Luc. 16.

Heu demens Cato, qui te virtute tuâ cæteris mortalibus superiorem evasisse putas! quicquid de te sentiant homines, coram Deo sapientia tua est mera insipientia, tuâmq; magnitudinem ipse abominatur.

Porro sunt phantastici multorum generum. Alii se in gallos gallinaceos, & in gallinas transformatos fuisse; alii se ad Regni aut Imperii clavum federe imaginantur. Alii denique Deorum exemplo se a nemine pendere arbitrantur. Ii quidem insani apud homines audiunt qui sese in gallos aut Reges transmutatos fuisse autumant; at verò in eundem phantasticorum numerum ii non semper referuntur, qui se virtute suâ Diis similes factos, & ab omni autoritate & imperio solutos esse credunt. Cur autem de his apud homines idem non sit judicium ac de illis hæc est causa, ut nempe quis insanus habeatur, non sufficit ipsum habere cogitationes per se insanas; necesse est præterea ut ab hominibus insanæ & ridiculæ censeantur. Insani enim alienam non agnoscunt insaniam, sed viri tantum sapientes; non secus ac sapientes ab insanis tales non existimantur. Ii igitur qui se gallos aut Reges factos fuisse putant insanire existimantur apud homines, quia nemo credere potest galli formam, aut Regiam dignitatem comparatu esse ita facilem. At verò ab omni ævo Mortales ad Deorum conditionem se extolli posse arbitrati sunt. Hanc cogitationem tanquam verisimilem iis semper induxit ipsorum vanitas. Illam a primo parente hauserunt. Quippe ex historiâ tentationis patet primos nostros parentes id sperasse, cum Dæmoni ipsis pollicenti fore ut Deo similes evaderent, (*Eritis sicut Dii*) obsecundarunt. Ipsæ intelligentiæ purissimæ maximis ornata dotibus superbiâ & philantiâ ita occæcatæ fuerunt, ut, Divinæ autoritatis jugo excusso, Dei thronum occupare conatæ fuerint. Quis miretur si homines Angelis quoad puritatem & lumina inferiores,



nferiores, iisdem vanitatis motibus ducti cæcutiant & decipiantur.

Si magnitudinis & summæ authoritatis tentatione vehementius moveamur quàm omnibus aliis tentationibus, id aliunde non est quàm quia illa tentatio rationi & inclinationi nostræ magis indulget, quemadmodum olim magis indulgit rationi & propensione primorum parentum, quoniam nostræ imbecillitatis & inopiæ, quæ rebus omnibus submittimur, non semper conscii sumus. Si serpens Parentes nostros compellasset hac præmissâ interminatione, nisi de fructu a Deo vobis interdicto comedatis, tu in gallum, tu verò in gallinam transformaberis; ausim certè asserere ipsos adeo crassam tentationem exhibilituros fuisse, ut nos illam exhibilem, si nobis obtruderetur. At verò Cacodæmon de aliis per semet judicans, ambitionem & summæ authoritatis amorem ansam esse cognovit, quæ apprehendi & retineri poterant.

Secunda causa quæ asserri potest cur ii insanire credantur qui se gallos aut Reges factos fuisse putant, ii verò qui se a quoquam lædi posse negant, utpote dolore superiores, in eundem non referantur numerum, in eo consistit quòd Melancholiâ Hypochondriacâ affecti errores suos omnibus dent manifestos; nemo est qui ipsorum perturbationis testis oculatus esse non possit. Sed, dum Cato asseverat se ictus inimicorum immotâ mente accepisse, ac omnes injurias quæ sibi posset inferri sùsque deque habere; id tantâ gravitate, tantâ audaciâ asserit, vel saltem potest asserere, ut vix queas dignoscere an idem peccatore gerat quod habitu externo testatur. Et immotus ille quem præ se fert corporis status nos ejus animi constantiæ certiores facere videtur. Habitus enim externus corporis interni mentis habitus ut plurimum index est. Ita qui mendacia sua audacter & intrepidè oggerit, is incredibilia quæque nonnunquam persuadet. Illa enim audacia est argumentum sensibile, ac ideo plerisque validissimum & efficacissimum. Pauci sunt igitur qui Stoicos habeant phantasticos aut saltem impudentes mendaces, quia id quod tenent mente repositum externis non apparet signis quibus perquam faciliè decipiuntur non pauci; præter quàm quòd ingenita nobis vanitas eò nos faciliè adducat ut hominem eò usque magnanimum esse, & a nemine quadantenus pendere posse putemus.

Hinc liquidò patet errores quibus scatent Senecæ libri esse omnium maximè exitiales & contagiosos, quippe qui sese molliter insinuent, vanitati humanæ palpum faciant, & ad illum errorem cui primos Parentes nostros mancipavit Diabolus quàm proximè accedant. Illi errores apud illum Authorem magnificis & præfulgidis circumcinguntur ornamentis, quibus pleraque ingenia faciliè pelliciuntur; mentem subeunt, totam occupant, obtundunt & occæcant, non cæcitate quidem quæ miseros illos mortales ad animi demissionem, & ignorantiam agnitionem, ac illius coram aliis professionem ferat; sed cæcitate ex quâ oritur superbia; cæcitate quæ falsam quandam præ se fert lucem quæ



perstringuntur. Qui hîsce superbîæ tenebris semel fuerunt perfusi, sese protinus inter egregia & intrepida annumerant ingenia; quin a cæteris etiam hominibus in eum ordinem collocantur, admirationemque consequuntur. Quid igitur hac cæcitate quam ex istis erroribus contrahimus exitius potest excogitari? Homines enim non modò ita sunt vani, sensibus & affectibus mancipati, ut cæcitatem istam quærant & affectent, sed eam etiam cum aliis communicare conentur. Ex nullo igitur Authore aptius quàm ex Senecâ posset demonstrari quantum sit contagiosa nonnullorum imaginatio, qui ingeniosi, & fortes habentur, quantumque imaginationes illæ fortes & vividæ agant in mentes debiles & parum eruditas, non quidem rationum evidentiam & validitatem, sed vivam quâdam & eleganti orationis formam, quæ ex imaginationis vi pendet.

Non me quidem latet Authorem illum magnam sibi existimationem inter homines conciliasse; temeritatis proculdubio apud multos infimulabor, quòd de illo tanquam de homine cui nimia sit imaginatio, ingenii verò non fatis, loqui ausus fuerim. Verùm illa ipsa in quâ est existimatio me in hæc impulit verba; non quidem quòd ipsi morosè invideam; sed quia ingens illa fama multos excitabit ut errores ejus confutatos expendant. Cùm aliquid grave & momentolum profertur in medium, id, quantum fieri potest, illustrioribus confirmari debet exemplis; Qui Authorem carpit, ipsius gloriæ non rarò consulit. Sed, ut ut sit, si quid est in Senecæ scriptis quod reprehendam, solus in eâ non sum sententiâ; namque, ut non paucos hujus sæculi viros eruditione claros prætermittam, ante mille & sexcentos annos, aut circiter, Author quidam sagacis judicii observavit Senecam 1. in Philosophia parum diligentem fuisse. 2. parum judicii & *duplicitatis* esse in ipsius elocutione. 3. ipsius famam potiùs puerorum amore & imprudenti æstu, quàm eruditorum & sapientum consensu invaluisse.

1. In Philosophia parum diligentem fuisse.

2. Velles eum suo ingenio dixisse, iudicio alieno.

3. Si aliqua contemisset, &c. consensu potiùs eruditorum quàm puerorum amore comprobaretur.

Quintil. l. 10. cap. 1.

10. cap. 1.

10. cap. 1.

10. cap. 1.

10. cap. 1.

10. cap. 1.

10. cap. 1.

Errores crassos scriptis publicis profligare inutile est, quippe qui contagiosi non sint. Frustra homines moneas hypochondriacos insanire, nemo est qui id ignoret. At verò si errent ii quos magni faciunt, tum ipsos monere necesse est, ut ab errore sibi præcaveant. Jam autem spiritum Senecæ esse spiritum vanitatis & superbîæ manifestum est: Cùm itaque juxta S. Scripturam superbîa sit peccati origo, *initium peccati superbîa*, spiritus Senecæ non potest esse spiritus Evangelii, nec ipsius Ethicæ cum Ethicâ Christianâ, quæ sola solida est & vera, conciliari.

Omnes quidem Senecæ cogitationes non sunt falsæ & periculosæ. Qui recto præditi ingenio Ethicæ Christianæ doctrinam sunt assequuti, ipsum cum fructu legere possunt, eo utiliter usi sunt Viri clari, nec mihi propositum est eos vituperare, qui sese ad eorum captum qui Senecam æquo pluris pendebant accommodaturi, ex istius Authoris operibus argumenta deprompserunt ad confirmandam Ethicam Christianam, & inimicos Evangelii propriis ipsorum armis expugnandos.



In Alcorano quædam sunt non mala, & in Centuriis Nostradami quædam veræ Prophetiæ deprehenduntur. Alcorano utimur ad convellendam Turcarum Religionem, & aliquis pariter Nostradami prophetiis uti possit ad quosdam convincendos phantasticos; verum quod in Alcorano est boni non potest efficere ut totus ille liber bonus dicatur; quemadmodum veræ quædam Centuriarum Nostradami explanationes nunquam efficient ut Nostradamus Propheta habeatur, & qui istis eo fine utuntur libris ipsos revera probare & existimare merito dici non possunt.

Frustra etiam quis laboraret, si ea quæ dixi de Seneca impugnaturus multas hujusce Authoris sententias afferret, quæ cum solidis Evangelii veritatibus consonarent. In illo quasdam esse ejuscemodi sententias non diffiteor, ut & in Alcorano, & aliis impiis libris. Nec est etiam quod quis mihi innumeros obtrudat Authores qui Senecâ usi sunt; sunt enim qui libro nonnunquam utantur, licet ipsius futilitatem agnoscant, quia nempe non idem de illo Authore judicium ferunt ii quibuscum res ipsis est.

Ut tota Stoicorum ruat sapientia unicum duntaxat experientiâ, nec non supra dictis satis confirmatum teneri velim. Nos scilicet corpori nostro, Parentibus, amicis, Principi ac Patriæ nexu ita indissoluto adhærescere, ut etiam illum dissolvere nos puderet. Mens nostra corpori, & per corpus omnibus sensibilibus manu adeo potenti connectitur, ut ille nexus a nobismetipsis interrumpi nequeat. Corpus nostrum pungi nequit, quin totum individuum pungatur etiam & lædatur; quoniam in eo versamur statu ut hæc mutua harmonia inter nos totos & corpus nostrum sit omnino necessaria, sic injuriis & contumeliis excepti non possumus quin id ægrè feramus: Deus enim qui nos ad id comparavit ut societatem cum cæteris hominibus ineamus, in id omne etiam nos propendere voluit, quod cum iis nos adjungere potest; atque illa propensio est prorsus invicta. Qui se dolore, & contumeliosis verbis superiores esse gloriatur, ita ut iis nec lædatur nec irriteretur, is certè vana & chimærica jactat. Nemo Mortalium naturâ superior est, nisi accedente gratiâ. Nec ullus unquam extitit Stoicus qui proprio animi robore & constantiâ gloriam & existimationem hominum adspernaretur.

Affectus suos affectibus contrariis vincere quidem possunt homines, timorem aut dolorem vanitate possunt superare, hoc est, a fugâ & querela possunt temperare, cum ob multorum oculos sese positos conspiciunt, tum gloriæ cupiditate ipsos suffulciente, motus corporeos, quibus in fugam verterentur, sistunt. Hæc est ipsorum victoria, si id demum victoria dici possit. Hæc est ipsorum libertas, si quis sese hoc pacto in libertatem vindicasse putet. Certè potiori jure dicas ipsos ad alius tyranni partes defecisse, vel servitutem ampliâsse. Ii scilicet homines sapientiæ, felicitatis, & libertatis speciem præ se ferunt quidem,



dem, sed duram reapse patiuntur servitatem. Conjunctioni naturali quæ nobis est cum corpore nostro possumus resistere ope conjunctionis quâ cum cæteris hominibus jungimur, quia nempe naturæ possumus resistere ipsius naturæ viribus. Deo possumus resistere viribus a Deo nobis concessis. Sed proprio ingenio nemo potest resistere Deo; natura sine gratiâ non potest penitus vinci, quia nempe Deus, absit blasphemia dicto, vinci nequit sine speciali Dei auxilio.

Magnifica itaque illa divisio rerum omnium in eas quæ a nobis non pendent, & eas a quibus pendere non debemus, videtur quidem rationi consentanea, sed corruptioni ex peccato contractæ nequaquam congruit. Cum rebus creatis ex Dei instituto conjuncti sumus, sed ab iis omnino pendemus per peccati labem. Cum itaque felicitas cum dolore & anxietate subsistere nequeat, non est quod in hac vita illam speremus beatitudinem eo decepti errore nos ab iis non pendere quibus tamen naturâ nostrâ sumus mancipati. Omnis nostra felicitas in hisce terris ex fide vivâ & firmâ spe oriri debet, quæ nobis futuram beatitudinem per anticipationem repræsentent; nec possumus ex præceptis virtutis vitam nostram instituere, naturamque domare, nisi gratiâ, quam nobis acquisivit JESUS CHRISTUS, sustentemur.

## CAPUT V.

*De Libro Domini Montagne, Nobilis Galli.*

\* Essais de  
Montagne.

**L**iber ille Gallicè scriptus cui titulus est \* Specimina Domini Montagne nobis argumento esse potest virtutis quarundam imaginationum in alias. Tantâ enim libertate, tantâ ingenuitate & vivacitate scribit author ille, ut ab ipsius laqueis vix possis te expedire. Negligentia quam de industriâ consecatur, ita venusta est ut ab omnibus ametur & a nemine ideo contemnatur. Imperiosum ipsius ingenium cordatum sapit virum, unde fit ut venerationem potius quàm odium moveat. Qui liberalem illum, audacem, & viris nobilibus proprium agendi seu loquendi modum cum aliquâ eruditione conjungere didicit in ingenia tantâ agit efficacitate, ut de quacunque re judicet, in admirationem pariter & assensum adeo præcipitem rapiat, ut examini sæpissime non detur locus, immo ne intellectui quidem dicta assequendi tempus. Dominus Montagne rationibus non persuadet, quippe qui nullas unquam rationes nisi invalidas, & debiles afferat. Et revera nullis inter ratiocinandum nititur certis axiomatibus, ex iis quæ ponit ut axiomata, conclusiones nullo deducit ordine; quippe sententia ex historiâ aliquâ dedu-



deducta nil demonstrat : Fabella nil probat : duo Horatii versus aut apophtegma Cleomenis & Cæsaris viros fanos non debent persuadere ; ipsius tamen specimina nil aliud sunt præter rapsodiam Historiarum, fabularum, sententiarum, distichorum, & apophtegmatum.

Eo quidem consilio legendus non est D. Montagne, ut in eo ratiocinia invenias ; non ratiocinatur, indulget tantum genio suo ; id sibi solum dat negotii ut placeat, non ut doceat ; si animi gratiâ ab omnibus legeretur, non esset ita damnosus. Sed ubi semel aliquid placet, ab ipsius amore temperare, & alimentis palato suavis non uti difficile est. Qui Authoris cujusdam lectione delectatur, in ipsius ut plurimum sententias descendit, aut ex iis aliquid saltem fugit quod ideis suis confusionem & obscuritatem obducit.

Sed præter periculum erroris ex libro D. Montagne contrahendi, voluptas quæ ipsius lectione percipitur, plus quàm vulgò putatur flagitiosa est. Ista enim ex concupiscentia orta illicitos affectus gignit & fovet. Nam stylus istius Authoris nos ideo tantum juvat quòd sensus afficiat, & modo quodam impercepto affectus excitet.

Hæc circa D. Montagne, sicut & circa aliorum Authorum stylum qui nobis tantum arrident propter occultam cordis corruptionem, sigillatim demonstrare non foret inutile, sed præterquam quòd id non est instituti nostri ; sermo longius producendus esset. Interea tamen si quis ad mutuam idearum & affectuum de quibus mentio habita est analogiam attendere velit, ut & ad id cujus intra se ipsum conscius est, dum librum aliquem ornatè & eleganter scriptum legit, is nullo agnoscat negotio se eo Authore magis delectari qui affectibus suis & ingenio magis accommodatus est. Si genere sublimi, Nobili, & libero stylo delectetur, id ex eo est quòd vanitate laborans ad exaltationem & imperium aspiret. Si ex libris molli, & effœminatâ pennâ conscriptis voluptatem percipiat ; id etiam non aliunde est quàm ex eo quòd ad molliem & voluptatem sit pronus. Verbo ; Ex rerum sensibilibus amore & sensu duntaxat, non verò ex veritatis perceptione nascitur admiratio & impotens amor quo erga nonnullos Authores etiam inviti ducimur. Sed ad D. Montagne redeamus.

Ipsius admiratores causam admirandi ni fallor afferunt, quòd iudicio polleat, & maxime abhorreat ab isto \* ingenio quod puerilem & scholasticam sapit servitute, quòdque naturam & infirmitates humani ingenii scrutatus mirum in modum detexerit. Si igitur ostendero Dominum Montagne cum suâ parrhesiâ ab illo ingenio servili & magisterium affectanti immunem non fuisse, ingeniumque humanum parum cognovisse, certè ostendero ipsius admiratores non rationibus evidentibus, sed imaginationis istius Authoris vi, in admirationem fuisse raptos.

Ingenium illud puerile & scholasticum de quo supra, si missis omnibus æquivocationibus rationem & usum consulas, in iis reperit-

Cap. ult.  
primæ par-  
tis hujus  
libri.

\*Pédantisme.



\* Pédant. tur \* qui falsam & insulsam eruditionem ostentaturi innumeros Authores undique corradunt quos indiscriminatim citant; qui auram popularem captaturi loquuntur eo tantum fine ut loquantur; quique apophthegmata & historiarum scopas dissolutas confuse congerunt, ut probent, aut fingant sese probaturos ea quæ solis rationibus probari possunt.

Istius characteris homines iis opponuntur qui ratione suâ utuntur, ac cordatis viris ideo potissimum sunt odiosi, quòd rationi adversentur. Quippe viri ingeniosi ratiociniis gaudent, nec eorum qui rationis usum non admittunt colloquium possunt ferre. Jam verò homines illi quos descripsimus nec possunt ratiocinari, quia sunt ingenio exili & falsâ eruditione repleto, nec volunt, quia senserunt se a nonnullis pluris æstimari, dum Authorem incognitum, aut veteris alicujus sententiam asserunt, quàm cum ad ratiocinia sese accingunt. Ipsorum igitur vanitas sibi gratulans ob venerationem illam quæ ipsis defertur, efficit ut ad omnium scientiarum inusitatarum quæ admirationem vulgi pariunt studium animum appellent.

Istius igitur farinae homines, vani sunt & arrogantes, felici memoriâ, mediocri aut nullo judicio præditi; in laudandis Authoribus, proferendisque sententiis prompti & fœcundi; rationibus validis destituti, imaginatione vividâ & exspatiante, sed inconstanti, inordinatâ & modum observare nesciâ pollentes.

His positis D. Montagne istius fuisse commatis non obscure patebit. Hic enim de \* Doctoribus togatis seu ludimagistris non agitur; istud insulsum ingenium quod falsam & puerilem ostentat eruditionem togæ non alligatur. Dominus Montagne poterat quidem togâ quam adeo averfabatur non indui, sed suis sese expedire vitiis tam facili negotio non poterat: in id quidem incubuit ut quandam in verbis & actionibus libertatem & ingenuitatem acquireret; sed judicio suo rectè dirigendo non studuit, aut nequicquam studuit; ingenium igitur suum eâ adornavit eruditione, quæ scholam quidem non saperet, sed inani, vanâ & futili, dum rationem excolere, judicium firmare, ac viri cordati virtutes sibi comparare neglexit.

\* Pédans à  
longue robe.

Dni. Montagne liber tot continet vanitatis & fastus Authoris sui argumenta ut iis notandis immorari forsitan videatur inutile. Quis nisi insana prætumidus sui æstimatione sperare audeat quosdam fore qui librum non parvum legere dignentur, ut aliquam habeant ingenii & indolis authoris cognitionem? Certè verisimile est D. Montagne, dum id sibi proposuit, se virum non vulgarem, sed penitus extraordinarium credidisse.

Omnes res creatæ ad id necessariò tenentur ut eorum mentes, quos ad sui adorationem pronos deprehendunt, ad summum numen quod solum adorandum est erigant; Immo ex Religionis præscripto permittere non debemus, ut mens & cor humanum soli Deo comparatum,



tum, circa nos occupetur, & in nostri admiratione aut amore defigatur. B. Johannem ad pedes Angeli Domini provolutum Angelus ipse affurgere iussit. *Conservus tuus sum ut tu, & fratres tui. Deum adora.* Soli Dæmones aut ipsorum nequitia participes ambiunt adorationem. Jam autem exigere ut homines circa varias ingenii affectiones, cogitationesque nostras meditandas occupentur; quid aliud est nisi adorationem non externam modò, sed internam & veram aucupari? eamque adorationem flagitare, quam Deus meritò sibi tribuendam Adoratoribus præscribit in spiritu scilicet & veritate.

Apoç. 19. 10.

Dominus Montagne librum eo duntaxat conflavit sine ut sese variasque ingenii affectiones & inconstantias depingeret, id in Præfatione ad lectorem in omnibus editionibus præmissâ ipse non diffitetur. *Me netipsum pingo, ipse sum libri mei materies.* Nec certè id obscurè patebit lectori hujusce libri. Nullum enim in toto libro extat caput in quo ab argumento suo non digrediat de se loquuturus; immo ipse Capitulum integrorum argumentum unicum est. Jam autem si librum suum fecit ut in eo se pingeret, certè ipsum publicavit ut ab aliis legeretur; aliorum igitur oculos & attentiones in se voluit convertere; licet ipse dicat, *non æquum esse otio in re tam frivolâ & vanâ abuti.* His verbis seseipsum jugulat, si enim æquum non judicasset tempus malè consumere in legendo libro suo, certè ipse ab absurdo se purgare non potuisset, dum illum excudi curavit. Unde infertur illum aut aliud dixisse, aliud verò cogitasse, aut malè se gessisse, dum librum suum typis commisit.

Facetâ sanè suam vanitatem prætexit ratione, dicendo se in cognatorum & amicorum gratiam tantummodo scripsisse. Si res enim eo se habuisset modo, cur librum illum ter edidit curasset? certè una editio suis cognatis & amicis sufficiebat. Cur præterea librum suum in ultimis editionibus multis auxit, nihilque unquam ab illo detraxit, nisi quia fortuna suis adspirabat votis? *Addo, inquit, non emendo, qui enim librum suum publici fecit juris, nullo amplius in ipsum jure, meâ quidem sententiâ, potiri debet; in alio libro meliora dicat, si potis est, sed opus a se venditum ne contaminet. Ex istis hominibus comparandum nihil esset ante obitum, rem seriò apud se reputent, priusquam prodeant in medium, quid est cur ita festinent? Liber meus semper est unus & idem, &c.* Suum igitur cæteris hominibus oppignoravit & destinavit librum æquè ac cognatis & amicis. Verum licet cognatos duntaxat & amicos scriptis suis sibi devincire & in sui imaginem a se factam ipsorum mentem & animum per totum temporis spatium, quod in illo libro perlegendum infumi debet, convertere fuisset conatus, certè vanitas ipsius excusationem faciliùs non admitteret.

De seipso sapius loqui non est viri sapientis, at verò sese ut solet D. Montagne perpetuis decantare laudibus, impudentiæ seu potiùs infantiæ species est. Ita enim non modò adversus Christianam animi demissionem, sed etiam adversus rectam rationem peccatur.

Homines



Homines ad id constituti sunt ut unà vivant, societatesque civiles ineant; sed notandum est privatos ex quibus constat societas, sese ut ultima corporis quod constituunt membra haberi agrè ferre. Non mirum itaque si illi homines qui sese laudant, supra alios se efferunt, cæterósque ut ultimas societatis partes habent, dum se potissimas & honorificentissimas esse existimant; non mirum, inquam, si odium omnium pro amore & existimatione in se moveant.

Vanitate igitur imprudenti & ridiculâ perpetuis sese laudibus effert D. Montagne, sed vanitate adhuc intolerabiliori sua describit vitia. Si enim ad rem attendas facilè comperies ipsum ea tantum pandere vitia ex quibus propter sæculi corruptelam gloriam & decus aucupantur homines; ea sibi imputare non dubitat vitia quæ ipsi generosi & liberalis ingenii famam possunt conciliare; idque eo consilio ut per illam vitiorum confessionem, quæ speciem ingenuitatis præ se fert, fidem  
 1.3. cap.13. facilius consequatur, dum laudes suas prædicabit. Non immeritò certè dixit propriam laudem & proprium contemptum ab eadem arrogantia sæpe nasci. Id hominem sui plenum designat, & D. Montagne, dum sua patefacit vitia, longè majoris, meâ quidem sententiâ, arguitur superbiam, quàm cum virtutes suas prædicat; quis enim illam ferat superbiam quâ quis ex vitiis suis gloriæ non verò demissionis animi argumentum sibi facit. Minus impatienter feram hominem quem sua profiteri crimina pudeat, quàm illum qui ea palam prædicare audet. Ac sanè nemo est, opinor, qui petulanti illâ, & Christiano parum dignâ quâ vitia sua describit D. Montagne audaciâ non indignetur. Verùm alias ipsius ingenii qualitates expendamus.

1.2. cap.10. Si ei fides sit adhibenda, nullo negotio persuadebimur, *ipsius memoriam nullius rei fuisse capacem, labilem, ac infidelem, ipsius verò iudicium fuisse eximium & firmum.* Si tamen ipsius ingenii sciographiam quam nobis delineavit, hoc est, totum librum consulas, aliud planè senties. *Nullum, inquit, mandatum susciperem nisi essent mihi pugillares, si oratio paulum longa sit mihi habenda, cò necessitatis adducor ut dicenda verbo ad verbum memoriam mandem, & ad unguem ediscam; sin minus omni destitutus decore & confidentiâ perpetuò titubarem, aliquid vitii ex memoriâ meâ semper reformidans.* Qui potest longam orationem verbo ad verbum & ad unguem ediscere, ut habitum externum eleganter queat componere, an memoriâ potiùs quàm iudicio carere videtur? Quis etiam ei credat hæc de se dicenti? *Famulos meos suis ministeriis aut patriâ designare cogor, quia nomina propria vix possum retinere, & si diu adhuc in vivis maneam, nominis etiam mei forsân non meminero.* Viculi dominus qui orationes integras ad unguem potest addiscere, tantùmne habet domi ministrorum turbam ut ipsorum nomina retinere nequeat? *Qui rure inter agrestes natus & educatus fuit, qui curis implicatur domesticis; quique ipse profitetur, se in eâ non esse sententiâ ut illa adspernetur & negligat quæ sub pedibus jacent, quæ præ manibus habemus,*  
 1.12. cap.17. *quæ ad usum vitæ potissimum pertinent.* An is potest oblivisci nomina Gallica



lica famulorum suorum; num, ut id de se ait, *plerasque quibus utimur monetas, differentias seminum in terra aut in granario, nisi sint manifestissime, ac leges etiam facilimas agriculturae quas vel pueri norunt, quid, exempli gratia, fermentum pani conficiendo inserviat, quid sit vinum in cupâ finire ut confervescat, potest ignorare?* cum tamen memoriam habeat Antiquorum Philosophorum non inibus & dogmatibus refertam, *ideis, exempli gratia, Platonis, atomis Epicureis, pleno & vacuo Leucippi & Democriti, aquâ Thaletis, infinitate naturæ Anaximandri, aëre Diogenis, numeris & symmetriâ Pythagoræ, infinito Parmenidis, uno (seu unico) Musæi, aquâ & igne Apollodori, partibus similaribus Anaxagoræ, discordiâ & amicitia Empedoclis, igne Heraclii, &c.* An is iudicium suum supra memoriam merito potest jactare, qui in tribus aut quatuor libri sui paginis plusquam quinquaginta diversorum Authorum nomina & opiniones recenset, qui librum suum variis resperfit historiarum fragmentis, atque indigestis Apophtegmatibus, qui de se ait, *Historiam & Poësin argumenta esse genio suo peridonea*, qui perpetuis implicatur contradictionibus, & in eodem capite, dum de rebus quarum certissimam sibi arrogat notitiam, hoc est de ingenii sui dotibus & affectionibus loquitur?

Fateamur ergo D. Montagne oblivione præstitisse, quandoquidem id ipse nobis asserit, nosque id de ipso sentire exoptat, ac præcipue quandoquidem id veritati omnino non repugnet. Nolumus laudibus quas ipse sibi tribuit decepti credere, ipsum magno iudicio & eximia polluisse ingenii sagacitate. Isto enim præiudicio in errorem lapsi opinionibus falsis & damnosis quas imperiosa obtrudit procacitate, quibusque debiles obtundit, assensum æquo facilius præberemus.

Laus quæ secundo tribuitur D. Montagne, ex eo desumitur quod ingenium humanum optimè cognosceret, intimos ipsius recessus, naturam, proprietates penitus scrutaretur, ipsius denique vim & imbecillitatem, vitia & virtutes, ac quicquid de eo cognosci potest perspiceret. Videamus an ista elogia tam largâ manu ipsi jure tribuantur.

Qui scripta D. Montagne perlegerunt non ignorant ipsum Pyrrhonismum affectasse, atque ex generali circa omnia dubitatione gloriam quaesivisse. *Persuasio certæ rei cuiuspiam notitiæ, inquit, certum est testimonium maximæ stultitiæ & maximæ incertitudinis, nec ullos ad stultitiam magis accedere & a Philosophiâ magis recedere existimo quàm Platonis Philodoxos.* Tot contra laudibus effert Pyrrhonios in eodem capite, ut ipsum istius fuisse sectæ extra omnem dubitationis aleam positum sit. In iis versabatur temporibus quibus qui cordati & elegantis hominis laudem ambiebat de cunctis dubitare necesse habebat. Ingenii præterea fortitudo quam affectabat ipsum ad illas adducebat opiniones: Itaque illum Academicum fuisse supponendo, nullo negotio summæ convincetur incitiæ, non modò circa ingenii naturam, sed etiam circa quodlibet aliud. Cum enim scire & dubitare inter se toto cœlo differant, certè si Academici veraces sint, cum asseverant se nihil scire omnium maximè ignari



meritò haberi possunt. At verò illi non modò omnium sunt maximè ignari, opinionum etiam ineptissimarum vindices sunt acerrimi. Si quid enim certissimum & apud omnes universè acceptum sit, id non modò respuunt, sed eodem imaginationis impetu de rebus incertissimis, & a probabilitate maximè alienis decidere audent. Hoc vitio manifestò laborat *D. Montagne*; itaque necessariò dicendum est ipsum non modò naturam ingenii humani ignorasse, sed etiam circa illud erroribus crassissimis impeditum fuisse, si saltem ut debuit, id scriptis exaraverit quod in mente habebat reconditum.

li 26 c. 12.

Quid enim de illo sentias qui spiritum cum materiâ confundit; sententias Philosophorum circa mentis naturam ineptissimas ita refert, ut eas non modò non contemnat, immo dicas potius ipsum absurdissimis calculum adjicere; immortalitatis animæ non sentit necessitatem; ipsamque non credit a ratione humanâ posse capi, & argumenta quæ pro illâ mentis immortalitate afferuntur habet pro somniis quæ desiderium illius immortalitatis excitat in nobis: *Somnia non docentis, sed optantis*; qui hominibus succenset quod sese a cæteris rebus conditis segregent, & a brutis distinguant quæ sociorum seu fratrum adinstar nobis adjungit: quæque autumat sese mutuo intelligere, inter se colloqui, ac nos irridere, ut ipsa ridemus; qui plus discriminis interesse credit, inter hominem & hominem, quàm inter hominem & brutum; qui etiam araneis tribuit *deliberationem, cogitationem & conclusionem*: ac denique qui postquam defendit dispositionem corporis humani nullâ in re præcellere dispositioni belluarum, hanc tamen lubens amplectitur sententiam, *nec ratione, nec ratiocinio, nec mente nos cæteris animalibus præstare, sed oris formâ, colore reidenti, egregiâque membrorum dispositione*; quibus prærogativis longè postponendæ sunt *intelligentia, prudentia, & aliæ virtutes, &c.* An is qui opinionibus omnium maximè insulsis fretus concludit, *non recto ratiocinio, sed superbiâ & pervicacitate hominem sese supra cætera animalia extollere.* An is, inquam, accuratam ingenii humani notitiam habuisse censendus est.

Verùm unumquemque pro meritis habeamus, ac genuinum ingenii *D. Montagne* tradamus characterem, debili quidem erat memoriâ, judicio adhuc debiliori: sed ambæ illæ dotes non constituunt apud homines elegantiam ingenii; imaginatio egregia, vivax, vasta elegantis bellique ingenii famam conciliat. Vulgus id æstimat quod nitet, non verò quod solidum est, quia nempe id exoptat magis quod afficit sensus quàm quod rationem edocet. Si igitur imaginationis præstantia pro ipsius ingenii præstantiâ sumatur, *D. Montagne* præstanti, immo præstantissimo præditus ingenio dici potest. Ipsius ideæ falsæ sunt, sed egregiæ; ipsius formulæ loquendi normam excedunt, sed audaces sunt & amcenæ; ipsius sermones ad rationis amussim non expenduntur, sed ex felici oriuntur imaginatione. In toto ipsius Libro aliquid singulare micat quod maximè allubescit, dum aliena pro suis usurpat, ipsius.



ipſius apographa dicas eſſe autographa & archetypa , tanta ipſi eſt imaginationis vis & induſtria ! Ea denique omnia habet in promptu quæ ad placendum & pellicendum idonea ſunt ; nec obſcurè , opinor , demonſtravi ipſum apud tot homines admirationem ſibi conciliare , non ipſorum rationem argumentis evidentibus convincendo , ſed ipſorum ingenium vi imaginationis imperioſâ & victrici ad ſui commodum inſectendo.

CAPUT ULTIMUM.

I. De Sortiariis \* ex imaginatione , & de Lycanthropis. II. Con-  
cluduntur duo primi Libri.

\* Sorciers  
par imagi-  
nation.

**N**ihil eſt in quo vis imaginationis magis ſtupendam ſe præbeat quàm in ingenti illo quo nonnulli tenentur lemorum , dæmonophaniarum , faſcinorum , characterum Magicorum , incantamentorum , lycanthroporum , ac omnium in genere quæ a Cacodæmonis poteſtate pendere creduntur , timore.

Nihil eſt formidabilius ac terribilius menti , quòdque in cerebro altiora imprimat veſtigia , quàm idea poteſtatis alicujus inviſibilis , in id perpetuò intentæ ut nos ipſius viribus impares lædat. Quicquid hanc ideam excitat nunquam ſine terrore & anxîâ curioſitate exauditur. Homines rerum novarum & inſolentium avidi terrificas illas potentîæ & malignitatis fortiariorum historias narrant cum voluptate ; ipſos aliis hominibus ac etiam ſibimetipſis hujusmodi fabulis terrorem incutere juvat. Non mirum itaque eſt ſi ejuſmodi faſcinatores ſint adeo frequentes in regionibus nonnullis , in quibus hæc opinio conventuum Magorum , qui Sabbatha dicuntur , nimis invaluit , apud hõſce populos fabulæ omnium ineptiſſimæ circa faſcina & incantamenta habentur hiftoriæ authenticæ ; immo in illis regionibus inſanos & Phantaſticos quorum imaginatio tam hiſce fabulis quàm propriâ cordis corruptione perturbata fuit , pro veris fortiariis comburere non dubitant.

I.  
De Sortia-  
riis ex ima-  
ginatione,  
& de Ly-  
canthropis.

Non me latet complures fore qui ægrè ferant quòd pleraque veneficia imaginationis vi audeam tribuere ; homines gaudent rebus terrificis ; iis ſuccenſent qui ipſos ab errore depellere conantur ; ægris imaginariis ſimiles , qui præſcripta a Medicis ipſis aliquid ſuaveſti offendentibus remedia ſedulò & religioſè obſervant. Superſtitiones haud facilè proſtigantur , nec impune impugnantur. Illa denique propenſio quâ ad fidem Dæmonographorum deliriis adhibendam impellimur , ab eâdem cauſâ oritur & fovetur quæ efficit ut ſuperſtitioſi ſint pertinaces , uti facile eſt probatu. Nihilominus tamen haud abs re forſan



erit hîc brevi describere , quo modo ejusmodi opiniones , meo quidem judicio , invalescant.

Pastor seu opilio in ovili narrat post cœnam coram uxore & liberis quæ gesta fuerunt in conventu fortiariorum , seu *in Sabbatho*. Cùm autem ipsius imaginatio vaporibus vini satis jam æstuet & se multoties huic imaginario conventui interfuisse autumat , de eo energicè & vividè loquitur. Ingenita Pastori eloquentia , cum aptâ totius familiæ habilitate ad rem adeo novam & terribilem accipiendam conjuncta , ingentia sine dubio edere debet vestigia in imaginationibus debilibus , nec fieri potest quin mulier , & tenelli liberi his auditis obstupescant , toti occupentur , ac convincantur. Maritus est & parens qui ea narrat quæ ipse vidit & fecit ; a suis amatur & colitur ; cur ipsi fidem non adhiberent ? Idem per multos dies reperit Pastor. Vestigia imaginationis matris & liberorum magis & magis crescunt. Iis affluenti , metûque excusso , convictio remanet ; ac ipsos denique Sabbathum adeundi rêmq; suis oculis usurpandi incessit cupido : sese ungit : dein compositis in lecto membris , isto cordis habitu ipsorum imaginatio effervescit ; vestigia ipsorum cerebro a Pastore impressa satis adaperiuntur ut per somnum omnes ceremoniæ Magicæ sibi descriptæ motus tanquam præsentis & extrinsecus excitatos judicent. Postquam expergefacti surrexerunt sese mutuò interrogant , ac sibi mutuò quid viderint narrant. Hoc modo vestigia visionis confirmant , ac qui inter eos imaginatione pollet fortiori , intra paucas noctes imaginariam Sabbathi historiam constat. Hoc pacto Pastor peritos fecit fortiariorum , qui longè plures aliquando instituent , si imaginatione forti & vividâ præditi ab ejusmodi fabulis narrandis præ timore non terrentur.

Multi sæpe extiterunt fortiariorum sinceri , hoc est , qui se revera tales existimabant , qui omnibus ingenuè nuntiabant se Sabbathum frequentare ; idque tam altè imbiberant , ut , quamvis multi , postquam prope illos pernoctassent , affirmarent ipsos e lecto non egressos fuisse , ab illâ tamen opinione dimoveri non possent.

Nemo est qui nesciat fabulas lemurum & spectrorum ita terrere infantes ut soli & in tenebris manere non possint. Tunc enim cùm cerebrum nullis afficiatur vestigiis a rebus præsentibus , vestigium ipsorum cerebro per fabulas impressum , de integro aperitur , ac sæpe ita vehementer ut spectrum descriptum sibi adesse judicent. Ejusmodi tamen historiæ ipsis non obducuntur nisi tanquam fabulæ ; Qui illas narrant , eum non præ se ferunt externum habitum qui in veris historiis narrandis geri solet , immò narratio sæpe languida & frigida est. Non mirum igitur est quòd qui se Sabbatho interfuisse credit , quique ideo rem confidenter ac vividè narrat , nonnullos sibi maximè addictos adeo facillè persuadeat circa omnes quas describit circumstantias , & vestigia suis similia in ipsos transmittat.

Dum



Dum homines nos alloquuntur, cerebro nostro vestigia iis quæ habent similia insculpunt. Si alta habent eo loquuntur modo quo alta etiam nobis indere possint vestigia; nos enim alloqui nequeunt quin etiam nos sibi similes aliquatenus efficiant. Infantes in utero materno nil aliud vident quàm quod videt mater; atque etiam ex utero egressi pauca imaginantur quæ a parentibus non producantur; homines enim vel sapientissimi imaginationem alienam, hoc est, opinionem, & consuetudinem, ducem potiùs sequuntur quàm rationem. Itaque in locis ubi comburuntur fortiaarii, ibi multos tales reperiri necessè est, quia, nempe, in iis locis veri creduntur esse fortiaarii, & ista opinio variis qui circa illos habentur sermonibus magis magisque confirmatur: ipsos plectere desinant; instar infanorum habeant; tandem fiet ut nulli amplius reperiantur fortiaarii. Qui enim tales sunt per imaginationem suam inordinatam tantùm, quorum procul dubio maximus est numerus, errores suos abdicabunt.

Veros fortiaarios morte plectendos esse extra dubium est; nec ii etiam qui imaginationis vi tales sunt penitus infontes haberi debent, quoniam, ut plurimum se fortiaarios esse sibi persuadent, quia eo sunt cordis habitu ut Sabbathum frequentare cupiant, ac sese eâ de causâ aliquo illiverint unguento. Sed dum in omnes illos nefarios indiscriminatim animadvertitur, vulgaris persuasio invalescit, fortiaariorum imaginariorum numerus adaugetur, atque hoc pacto innumeri miserè pereunt, & damnationi æternæ addicuntur. Sapientissime igitur multa Parlamenta pœnas non sumunt de fortiaariis; in terris ipsorum jurisdictionis ejusmodi homines longè pauciores reperiuntur; & sceleratorum invidia, odium, ac malignitas id criminis prætereundum non possunt, ut innocentes opprimant.

\* Lycanthroporum, seu hominum in lupos transformatorum metus \* Loups garoux. non est chimæra minùs ridicula. Aliquis imaginationis perturbatæ impetu eò vesaniz adducitur, ut singulis noctibus se in luum transmutari credat. Hoc imaginationis errore ad ea facienda comparatur quæ lupi facere solent, aut quæ ab ipsis fieri audivit: domo igitur mediâ nocte exit, per vicos grassatur, in obvium infantem irrumpit, ipsum mordet & malè mulctat. Plebs verò stupida & supersticiosa arbitratu fanaticum illum revera in luum evasisse. Quia nempe infelix ille id ipsemet credit, idque nonnullis clam in aurem insusurravit qui rem silentio premere non potuerunt.

Si ea cerebro vestigia quæ homines persuadent se lupos factos fuisse facile possent imprimi; si per vicos noctu errare, atque in eundem modum quo malè feriat illi lycanthropi debacchari, cerebro penitus non perturbato, æquè facile esset ac facile est sabbatho interesse per noctem somno non interrupto, egregiæ illæ metamorphosèon hominum in lupos historiæ eosdem prorsus nanciscerentur effectus ac historiæ de Sabbatho, nec pauciores haberemus lycanthropos quàm fortiaarios. Verùm



persuasio illa quâ quis se in lupum fuisse transmutatum credit perturbationem cerebri supponit quæ longè difficiliùs producitur quàm perturbatio hominis qui se in Sabbathum venire duntaxat imaginatur ; hoc est , qui per noctem ea se videre arbitratur quæ actu non existunt , quique expergefactus somnia sua a cogitationibus quas interdum habuit distinguere non potest.

Non rarò contingit ut per quietem nonnulli somnia habeant adeo vivida , ut expergefacti illorum plenè recordentur , quamquam somnium illud non versetur circa terribilia ; non difficili igitur negotio nonnulli possunt sibi persuadere se Sabbatho interfuisse ; ad id enim satis est , si cerebrum vestigia per somnum facta conservet.

Præcipua causa cur somnia nostra pro rebus nunc existentibus non habeamus , inde est quòd non possimus somnia illa colligare cum rebus inter vigilandum agitis ; hinc enim mera esse somnia comperimus. Jam autem fortiarum imaginarii non possunt eo judicare criterio an ipsorum Sabbathum nil sit præter merum somnium. Sabbathum enim seu fortiarum conventus nunquam habetur nisi noctu , & quæ in Sabbatho agitantur nullo possunt colligari vinculo cum cæteris diei actionibus. Inter isthæc nihil est commune. Moraliter igitur fieri nequit ut hoc pacto ab errore expediantur. Nec etiam necesse est ut quæ fortiarum imaginarii per Sabbathum vidisse putant inter se connectantur ordine quodam naturali ; tantò enim veriora creduntur quò magis habent absurditatis & confusionis. Sufficit igitur ad eos decipiendos , ut ideæ rerum in Sabbatho gestarum sint vividæ & terrificæ ; quod necessario continget , quia ibi nova , insolentia , & inusitata prorsus agitari creduntur.

At verò ut quis se in gallum , capram , lupum , bovem transmutatum fuisse credat , tantà opus est imaginationis perturbatione , ut id non nisi rarò admodum contingere queat. Ejusmodi perturbationes aliquando tamen accidunt , sive sit pœna divinitus inflictâ , ut id refert Scriptura de Nabuchodonozor , sive exundante in cerebro melancholiâ ut id observant Medicorum filii.

Quamvis persuasum habeam veros fortiarum esse perquam rarissimos , Sabbathum merum esse somnium , & Parliamentaria seu Curias quæ delationes sortilegii respuunt ad æquitatem magis accedere , nolim tamen negare posse dari fortiarum , incantamenta , fascina , &c. Diabolumque interdum suam exerere potentiam in homines speciali Dei permissione. Sed Scriptura sacra nos docet regnum Satanæ fuisse eversum ; Angelum cœli Dæmonem catenis vinctum in abyssum detrussisse , unde non emergit nisi in fine mundi ; Jesum - Christum hunc fortem armatum armis spoliassè , tempùsque advenissè quo Princeps mundi e mundo eliminatur.

Usque ad Servatoris adventum regnaverat quidem , atque etiam nunc hodie forsitan regnat in iis locis ubi Servatoris cognitio nulla habetur ;



betur; at nullo jure nullâque potestate in regenitos in Christo ampliùs potitur. Ipsos ne tentare quidem potest, nisi Deus permittat, nec permittit, nisi fideles tentationem possint vincere. Ii igitur Diabolum nimio dignantur honore, qui historias narrant tanquam ipsius potestatis argumenta, ut faciunt novi quidam Dæmonographi, quippe ejusmodi historiæ Dæmonis timorem incutiunt infirmis. Adspernandi sunt Dæmones ut spernuntur carnifices. Coram Deo duntaxat tremendum est. Ipsiùs sola potentia timenda. Ipsiùs judicia debent formidari, nec ad iram legum & Evangelii ipsius contemptu provocandus est. Is sanè attentione nostrâ dum loquitur, aut cum quis de ipso verba facit, dignus est. At verò cum homines de Dæmonum potestate mentionem apud nos habent, trepidare & obstupeferi ridiculum est. Metus noster Adversario gloriosus est. Venerari & metui gaudet, sibi congratulatur, cum mentem nostram coram ipso deprimimus.

Porro huic secundo libro finem imponendi jam tempus est. Ex iis igitur quæ hoc & præcedenti dicta sunt observatum velim. Primò omnes cogitationes quas mens habet per corpus & quatenus pendet a corpore, esse tantum in usum ipsius corporis. Secundò, eas omnes esse falsas & obscuras. Tertiò, eas in eum usum duntaxat esse institutas ut nos bonis sensibilibus ac iis omnibus quæ ea nobis conferre possunt, conjungant, istamque conjunctionem nos in errores innumeros ærumnâsque lugendas injicere, licet non semper hæcæ miseras sentiamus, quemadmodum non cognoscimus errores e quibus oriundæ sunt. Ecce hujuscæ rei exemplum omnium maximè insigne.

II.  
Duo primi  
Libri con-  
cluduntur.

Conjunctio quâ cum matribus conjuncti fuimus in ipsarum utero, quæ strictissima est omnium quas cum hominibus habere possumus, maxima etiam nobis attulit mala; nempe peccatum, & concupiscentiam omnium ærumnarum nostrarum originem. Conjunctionem tamen illam non minus arctam fuisse oportuit ut corpus nostrum rectè conformaretur.

Huic conjunctioni quæ nativitate nostrâ interrupta fuit alia successit, quâ liberi cum parentibus & nutricibus junguntur; hæc secunda conjunctio minus stricta fuit quàm prima, ideo minus nobis attulit mali, ad id solum nos induxit ut parentes & nutrices in omnibus imitaremur, iisque crederemus. Hanc secundam conjunctionem non quidem ut primam ad corporis conformationem, sed tantum ad ipsius conservationem, nobis necessariam fuisse manifestè patet, ut omnia cognosceremus quæ isti conservationi conducere possunt, & corpus ad motus hîscæ rebus adquirendis necessarios compararemus.

Conjunctio denique, quâ cum cæteris hominibus nunc jungimur, nobis etiam valde noxia est, quamvis æquè stricta non sit, quippe quæ ad corporis conservationem sit minus necessaria. Ex hac enim conjunctione fit ut opinione vivamus, quæ apud cæteros homines æstimantur & amantur æstimemus etiam & amemus; etiam conscientiam nostrâ & ideis quas de rebus percepimus repugnantibus. Hîc non loquor de conjunctione quâ cum

mentes



mente aliorum hominum jungimur, ista enim conjunctio eruditioni nostrae potest inservire. Sermo tantum est de conjunctione sensibili quae existat inter imaginationem nostram & habitum externum eorum quibuscum res nobis est. Hinc igitur liquet omnes cogitationes quas per corpus & a corpore habemus esse falsas, & eò perniciosiores menti quo corpori utiliores sunt.

Quae cum ita sint, in id nos incumbere par est ut ab erroribus sensuum, imaginationis phantasmatibus, & imaginationis alienae in nostram impressione nosmet liberemus. Omnes confusas ideas quas hausimus ex servitute in qua corpus nostrum nos detinet respiciamus, solasque ideas claras & evidentes quas mens excipit ex conjunctione qua cum verbo, aut sapientia & veritate aeterna conjungitur; ut id Libro sequenti de intellectu seu mente pura sumus exposituri, admittamus.







D E

# INQUISITIONE VERITATIS.

---

LIBER TERTIUS.  
DE INTELLECTU  
SEU MENTE PURA.

CAPUT PRIMUM.

I. *Sola cogitatio essentialis est menti. Sentire & imaginari nihil aliud sunt præter ipsius modificationes.* II. *Omnes non cognoscimus modificationes quas mens potest suscipere.* III. *Istæ modificationes diversæ sunt a cognitione nostrâ & amore nostro, immo ipsas non semper sequuntur.*



**H**UJUSCE tertii Libri materia paulò siccior & sterilis videbitur. In eo examinatur mens in se ipsâ considerata, ac sine ullo respectu ad corpus, ut vitia ipsi propria, & errores quos a se ipsâ tantum habet agnoscantur. Sensus & imaginatio errorum & hallucinationum sunt fontes fœcundi & inexhausti, at verò mens per seipsam agens errori minus obnoxia est. Duobus primis Libris vix potuit imponi finis: tertius hic agrè inchoatus est. Multa quidem

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*                      A a                      dem



dem dici possent de naturâ aut proprietatibus mentis; verùm hîc non tam proprietates mentis quàm ipsius infirmitates & vitia disquiruntur. Ne quis igitur miretur si liber hic non sit ejusdem amplitudinis ac superiores, sique pauciorera detegat errorum numerum. Non est etiam quòd quis ægrè ferat nos in illo de rebus siccis, abstrusis & arduis agere; sensus & imaginatio inter loquendum semper moveri non possunt, nec etiam debent. Quum quid abstrusum est, si illud sensibile velis efficere, obscuritatem ipsi ut plurimum effundis, sufficiat si illud intelligibile reddas. Quid eorum querelis injustius qui cuncta quidem scire vellent, sed animum rei cuiquam applicare recusant? si ab ipsis attentionem exigas, indignantur. Nisi ipsos tangas, sensibus & affectibus blandiaris, ipsis nunquam feceris satis. Quid facias? Iphis satisfacere penès nos non est, id quidem fatemur. Qui \* fabulas amatorias & Comœdias componunt ad id quidem tenentur ut placeant & attentionem captent, nobis verò satis erit si eos possimus erudire qui totam attentionis vim intendunt.

\* des Ro-  
mans.

Errores sensuum & imaginationis ex naturâ & constitutione corporis oriuntur, & ex imperio ipsius in mentem deteguntur; sed errores intellectûs non possunt patefieri, nisi consideratione ipsius mentis & idearum quæ ipsi ad cognoscendas res objectas necessariae sunt. Ut itaque possimus penetrare errores intellectûs puri, in hoc libro naturam mentis & ideas intellectuales examinandi necessitas incumbit.

Primò de mente, ut est in seipsâ, & sine ullo respectu ad corpus cui conjuncta est loquemur: unde fit ut quæ de illâ dicturi sumus dici possent de puris intelligentiis, & potiori jure de eo quod hîc appellabimus intellectum purum; Per *intellectum* enim *purum* nihil aliud designamus quàm facultatem quâ pollet mens cognoscendi res externas nullis earum formatis imaginibus in cerebro, quibus eas sibi repræsentet. Deinde de ideis intellectualibus agemus, quarum ope intellectus purus res externas percipit.

I. Nemo est, opinor, qui super eâ re seriò meditatus non agnoscat  
 \* *essentiam mentis consistere in solâ cogitatione, quemadmodum essentia materiæ consistit in solâ extensione; & pro variis modificationibus cogitationis, mentem mox velle, & mox imaginari, aut denique multas alias formas speciales suscipere; quemadmodum juxta varias modificationes extensionis, materia modò est aqua, modò lignum, modò ignis, aut alias innumeras habet formas speciales.*  
 Hîc duntaxat lectorem velim monitum, per hanc vocem (*cogitatio*) me non intelligere modificationes peculiare mentis, hoc est hanc vel illam cogitationem; sed cogitationem omnibus omnis generis modificationibus aut cogitationibus suscipiendis idoneam, quemadmodum per extensionem non intelligimus talem aut talem extensionem ut quadratam aut rotundam, sed extensionem omnibus modificationibus aut figuris recipiendis aptam. Atque ista comparatio non potest negotium facessere, nisi

Sola cogitatio  
 mentis est,  
 sentire &  
 imaginari  
 sunt tantum  
 ipsius modi-  
 ficationes.

\* Per rei  
 essentiam  
 intelligo  
 quod primum  
 in eâ  
 re concipitur  
 a quo  
 pendet



nisi quia ideam cogitationis claram non habemus ut extensionis; cogitatio non cognoscitur nisi sensu quodam interno seu *conscientiâ*, ut id inferius explicabo. \*

Haud etiam putem quemquam posse concipere mentem quæ non cogitet, licet facili negotio possit concipi mens quæ nec sentiat, nec imaginetur, nec etiam velit; quemadmodum non potest concipi materia quæ non sit extensa, quamvis facile concipi possit materia quæ nec sit terra, nec metallum, nec quadrata, nec rotunda, quæ etiam non sit in motu. Hinc concludere est, quemadmodum fieri potest ut extet materia, quæ nec terra sit, nec metallum, nec quadrata, nec rotunda, nec etiam in motu, fieri pariter posse ut mens nec calorem nec frigus, nec tristitiam, nec gaudium sentiat, nihil imaginetur, nihil etiam velit; adeo ut omnes illæ modificationes ipsi non sint essentielles. In solâ igitur cogitatione sita est essentia mentis, non secus ac in extensione solâ sita est essentia materiæ.

Sed quemadmodum si materia aut extensio esset sine motu, planè foret inutilis ad varias illas formas quibus destinata est, nec potest concipi ens intelligens illam talem, hoc est sine motu & ad formam ineptam condere voluisse; ita si mens aut cogitatio esset sine voluntate; manifestò patet ipsam fore prorsus inutilem, quandoquidem hæc mens versùs ea quæ perciperet nunquam ferretur; adeo ut concipi nequeat ens intelligens illam in hoc statu voluisse condere. Nihilominus tamen sicut motus non est essentialis materiæ, cum supponat extensionem, ita *volere* non est essentialis menti, quandoquidem *volere* supponit perceptionem.

Cogitatio igitur solâ propriè constituit essentiam mentis, & varii cogitandi modi, ut sentire, & imaginari nihil aliud sunt quàm modificationes quibus est idonea, quibùsque non semper modificatur. Sed *volere* est proprietas quæ illam semper comitatur, sive corpori jungatur, sive ab eo sejungatur; quæ tamen ipsi non est essentialis, quandoquidem supponit cogitationem, & mens concipi potest sine voluntate, quemadmodum corpus sine motu.

Facultas tamen volendi a mente separari nequit, quamvis ipsi non sit essentialis. Sicut mobilitas inseparabilis est a materiâ, quamvis ipsi non sit essentialis. Quemadmodum enim concipi nequit materia quæ non possit moveri; fieri etiam nequit ut concipiatur mens quæ non possit velle, aut ad omnem inclinationem naturalem sit inepta. Pariter quemadmodum facile concipio materiam existere posse sine ullo motu, sic concipio mentem posse existere sine ullâ impressione Authoris Naturæ versùs bonum, ac ideo sine voluntate: Voluntas enim nihil aliud est quàm impressio Authoris Naturæ, quæ nos fert versùs bonum in genere, uti fusiùs id exposuimus primo Capite Tractatùs de Sensibus.

Quæ in illo Tractatu de Sensibus, & modò de naturâ mentis diximus, non supponunt nos omnes cognoscere modificationes quas mens

omnes modificationes quæ in eâ deprehenduntur.

\* Secunda parte, de mente purâ, cap. 7.

II.  
Non cognosc-

potest



*imus om-  
nes modifi-  
cationes  
quas mens  
nostra potest  
suscipere.*

potest suscipere, talia non supponimus, quin potius censemus in mente esse capacitatem recipiendi vicissim innumerabilem modificationum varietatem, quas ipsa non cognoscit.

Minima portio materiæ potest recipere figuram trium, sex, decem, aut decem mille laterum, & figuram circularem, & ellipticam quæ haberi possunt figuræ numeri angulorum & laterum innumerabilis. Infinitus est numerus variarum specierum uniuscujusque ex his figuris; numerus infinitus triangulorum diversæ speciei, & plures sunt adhuc figuræ quatuor, sex, decem, decies mille laterum, & polygoni infiniti. Circulus enim, ellipsis, & in genere omnis figura regularis, aut non regularis curvilinea potest considerari ut polygonus infinitus. Ellipsis, exempli gratiâ, ut polygonus infinitus, sed cujus anguli sunt inæquales, aut latera inæqualia, cum majora sint versùs minorem diametrum quàm versùs majorem & ita de polygonis infinitis magis compositis & non regularibus.

Minima igitur ceræ portio potest suscipere numerum infinitum variarum modificationum, quas mens nulla potest capere. Cur igitur mentem corpore longè nobiliorem negaremus alias posse modificationes suscipere præter eas quas jam suscepit?

Si nullum unquam voluptatis aut doloris sensum habuiffemus, nullum unquam colorem, nullamque lucem unquam vidiffemus, si denique respectu omnium rerum id essemus quod sunt cæci & surdi respectu colorum & sonorum, an ideo rectè possemus concludere nos omnium sensationum quas nunc habemus nequaquam esse capaces? Sensationes enim illæ nihil aliud sunt quàm modificationes mentis nostræ, ut id probavimus in Tractatu de Sensibus.

Constet igitur in mente capacitatem recipiendi varias modificationes esse majorem capacitate concipiendi; hoc est, quemadmodum mens non potest exhaurire aut capere omnes figuras quas materia potest suscipere, non potest etiam capere varias omnes modificationes quas potens Dei manus potest in mente producere, tametsi æquè distinctè conciperet capacitatem mentis ac capacitatem materiæ, quod verum non est, ob rationes Capite VII. secundæ Partis hujusce Libri afferendas.

Paucas hîc in terris modificationes recipit mens nostra, quia corpori conjuncta est a quo pendet. Omnes ipsius sensationes ad corpus referuntur, & cum Deo non potiatur, nullas habet modificationes ab istâ fruitione productas. Materia ex quâ corpus nostrum compactum est paucas admodum per hujus vitæ tempus potest recipere modificationes. Hæc materia non nisi post mortem in terram & vaporem solvi potest. Nunc non potest fieri aër, ignis, adamas, metallum; non potest fieri quadrata, rotunda, triangularis: Ipsam esse carnem oportet, humanamque habere figuram, ut mens ipsi conjungi queat. Res eodem modo se habet de mente. Ipsam sensationes caloris, frigoris, coloris, lucis, sonorum, odorum, saporum, multasque alias modificatio-



fications recipere necesse est, ut cum corpore conjuncta maneat. Omnes istæ sensationes ipsam ad machinæ suæ conservationem applicant. Istæ sensationes ipsam agitant & terrent statim atque solvitur aut frangitur minimum organum, iis itaque sensationibus mens subjecta sit oportet, quandiu ipsius corpus corruptioni obnoxium erit. At verò cum immortalitate induetur, ipsiusque partium solutionem non amplius timebimus, verisimile est mentem hisce sensationibus infestis quas vel inviti habemus non amplius obnoxiam fore, sed innumeris aliis toto genere diversis, Divinâ Majestate & bonitate dignis, quarum nullam habemus ideam, quæque omnem sensum longius exsuperant.

Frustra igitur aliquis mentis naturam ita se penetrasse crederet, ut ipsam cognitionis & amoris capacem duntaxat esse jure posset asseverare. Hoc quidem ab iis defendi posset qui sensationes suas rebus externis, aut etiam proprio corpori tribuunt, quique affectus in corde esse existimant. Ac revera si menti detrahas omnes affectus & sensationes, quicquid residui in eâ agnosci potest nihil amplius est quam sequela quædam cognitionis & amoris. At verò non possum capere, quo pacto qui hisce sensuum erroribus valedixerunt, possint tamen sibi persuadere omnes nostras sensationes & affectus nihil aliud esse præter cognitionem & amorem, hoc est species quasdam judiciorum confusorum, quæ mens fert de rebus objectis respectu corporis quod animat. Non possum capere quomodo lux, colores, odores, &c. possit dici judicia mentis; quin distinctè percipio lucem, colores, odores, aliasque sensationes esse modificationes prorsus diversas a judiciis.

Sed eligamus sensationes vividiores, quæ mentis attentionem magis defigant. Videamus quid isti homines dicant de dolore aut voluptate. Post \* Authores celeberrimos censent hæc sensationes nihil aliud esse quam sequelas quasdam facultatis cognoscendi & volendi quâ pollemus: dolorem, exempli gratiâ, nihil aliud esse præter sollicitudinem quandam, repugnantiam, & aversionem voluntatis erga res quas corpori sibi charo noxias esse cognoscit. At sic dolor cum tristitiâ evidenter confunditur: tantum abest ut dolor sit sequela cognitionis mentis & actionis voluntatis, ut utramque potius præcedat.

Si, exempli gratiâ, ardens pruna hominis dormientis, aut manus in tergum actas calefacientis manui admoveretur, nemo est, opinor, qui aliquâ cum verisimilitudine posset asserere hunc hominem statim cognoscere in manu motus quosdam fieri sanæ ipsius corporis constitutioni contrarios; voluntatem deinde his motibus obviam ituram; doloremque fore sequelam istius cognitionis mentis, ipsiusque oppositionis voluntatis. Contrâ verò constare mihi videtur hominem illum dolorem primò & ante omnia esse percepturum, cum pruna manum ipsius attingeret, hancque mentis cognitionem & voluntatis oppositionem

III.  
Istæ modificationes diverse sunt a cognitione nostrâ, & amore nostro, immo ipsas non semper sequuntur.

\* D. August. lib. 6. de musica. Cartesius in lib. de homine.



nihil aliud esse quàm sequelas doloris, quamvis revera sint causæ tristitiæ dolorem sequentis.

Verùm dolor ille a tristitiâ quam parit longè differt. Primum quod mens sentit, dolor est: hanc sensationem nulla antecedit cognitio: ac per se nunquam jucunda esse potest: contrâ verò tristitia, postremum est quod mens sentit, ipsam semper præcedit cognitio; ac ferè semper jucundissima est per se. Id non obscurè patet ex voluptate quam percipimus in tristitiâ quæ nascitur ex funestis theatri representationibus; hæc enim voluptas cum tristitiâ crescit; voluptas verò cum dolore nunquam augetur. Comœdi qui in id solum incumbunt ut placeant, norunt theatrum cædibus non esse cruentandum; quia cædis imago quamvis ficta, terribilior est quàm ut possit esse jucunda. At verò nimîâ tristitiâ spectatores afficere non verentur, quoniam re ipsa tristitia semper jucunda est, cùm datur legitima tristitiæ materia. Tristitia igitur & dolor omnimodè inter se differunt, nec dolor dici potest duntaxat cognitio mentis cum oppositione voluntatis conjuncta.

Cæteras verò sensationes, ut odores, sapes, sonos, colores quod spectat, eas plerique homines non existimant esse modificationes mentis. Ipsas contrâ in rebus objectis resperfas esse judicant, nec aliter in mente esse quàm ideâ quadrati & rotundi in eâ esse solet; hoc est ipsas menti quidem conjungi, non verò ipsius esse modificationes, illudque de istis sensationibus ferunt judicium, quia iis non valde afficiuntur, ut id inter explicandos sensuum errores clarum dedi.

Certum igitur, ni fallor, manere debet nos omnes quas mens excipere potest modificationes non cognoscere, ipsamque præter eas quas habet per organa sensuum, innumeras habere posse quas non experita est, nec experietur, nisi postquàm a corporis captivitate libera evadet.

Interim fatendum est mentem hîcce variis modificationibus idoneam esse per solam cogitationem, quemadmodum materia innumeris variis configurationibus tantùm idonea est propter extensionem; mentem enim ad modificationes voluptatis, doloris, aut etiam ad omnes indifferentes modificationes fore ineptam, nisi perceptionis aut cogitationis capax esset, ita clarum est ut clarius nihil videatur.

Sufficiat igitur nobis tenere principium harumce omnium modificationum esse cogitationem. Si quis etiam aliquid in mente velit admittere quod cogitationem antecedit, me non habebit repugnantem. Sed quia exploratum habeo neminem esse qui mentem suam aliter cognoscat quàm cogitatione, aut sensu interno seu conscientia eorum omnium quæ in mente suâ aguntur; certò pariter apud me constat quòd, si quis de naturâ mentis velit ratiocinari, hunc solum consulere debet sensum internum, qui ipsum sibi met qualis in se est semper repræsentat.



sentabit, non verò reluctante propriâ conscientiâ imaginari mentem esse ignem invisibilem, aërem subtilem, harmoniam quandam, aut aliud quid simile.

## CAPUT II.

*I. Cum mens sit finita non potest capere quod pertinet ad infinitum. II. Arcti quibus circumscribitur limites multorum errorum origo, III. Et præcipue hæresium. IV. Mens est submittenda fidei.*

Q Uod primò in mente hominis deprehenditur illud est, illam scilicet angustissimis limitibus esse circumscriptam: unde duas maximi momenti consequentias possumus elicere. Prima est, mentem non posse cognoscere ea quæ sunt infinita. Secunda, ipsam non posse multa distinctè cognoscere simul & eodem tempore. Quemadmodum enim quædam ceræ portio innumeras eodem tempore figuras excipere nequit, ita neque mens res innumeras simul cognoscere valet. Et quemadmodum illa ceræ portio non potest esse quadrata & rotunda eodem tempore, sed tantùm alterâ parte quadrata, alterâ verò rotunda; & quò plures habeat figuras varias, eò minùs erunt perfectæ & distinctæ; ita mens non potest multas res simul percipere, & quò plures numero erunt ejus cogitationes eò magis erunt confusæ.

Denique, quemadmodum ceræ portio cui essent mille latera, & in unoquoque latere figura diversa, nec esset quadrata, nec rotunda, nec ovata, adeo ut ipsius figura non posset determinari: ita quandoque contingit ut mens nostra tot variis simul agitetur cogitationibus, ut nos de nullâ re cogitare arbitremur. Id in iis qui animo linquantur accidit. Spiritus animales inordinatè circumacti tantum vestigiorum numerum in cerebro excitant, ut nullum satis aperiant, ad excitandam sensationem aliquam peculiarem, aut ideam distinctam: adeo ut illi tot res simul sentiant, ut nihil distinctè sentiant, unde fit ut se nihil omnino sensisse arbitrentur.

Sunt quidem qui nonnunquam animo linquantur deficientibus spiritibus animalibus: sed cum mens tunc nihil habeat præter cogitationes puræ intellectionis, quæ nulla in cerebro relinquunt vestigia, eorum non recordantur postquam in pristinum statum reduces facti sunt; unde fit ut credant se nihil cogitasse. Id obiter eo dixi consilio ut ostenderem multos immeritò existimare mentem non semper cogitare, quia nos quandoque eam nihil cogitare arbitramur.

Qui

*I.  
Mens finita  
non potest  
capere infi-  
nitum.*



II.  
*Artis quibus mens circum- scribitur limites origo sunt multorum errorum.*

Qui super cogitationibus suis tantillum meditantur pro comperto habent mentem rebus multis simul & eodem tempore intentam esse non posse, ac ipsam potiori ratione non posse infinitum penetrare. Attamen nescio quo animi impetu ducti nonnulli hujusce veritatis non infici res tamen infinitas libentius meditantur, & quæstiones quæ infinitam mentis capacitatem exigunt, quàm ea quæ ad ipsorum ingenii caput propius accedunt: nescio etiam cur tot reperiantur qui, dum cuncta tenere satagunt, tot scientiis eodem tempore student, ut mentem confundant, & ad veras scientias prorsus ineptam reddant.

Quot homines materiæ divisibilitatem in infinitum concipere conantur, & quo modo fieri possit ut unum arenæ granum tot partes contineat quot tota terra, etsi mole minores æquâ proportionem? Quot tum super hâc re, tum super multis aliis, quæ aliquam cum infinito relationem habent, quæstiones nunquam solvendæ moventur, quarum tamen solutionem in mente suâ multi conantur nancisci? Mens circa hoc omnes intendit cogitationes, æstuat, sed quid inde tandem emergit? absurditas, scilicet, & error.

Certè non possum quin mirer nonnullos esse, qui materiæ divisibilitatem ad infinitum negent, quia duntaxat eam non possunt capere, quamvis demonstrationes quibus probatur illa divisibilitas optimè intelligant, idque eo ipso tempore quo mentem humanam infinitum non posse capere ore saltem farentur. Argumenta enim quibus evincitur divisibilitas materiæ in infinitum ita sunt demonstrativa ut quæ maxime; nec id diffitentur, cum illa argumenta seriò ponderant. Attamen, si ad ea quæ obijciuntur non possint respondere, in dubium mens labitur, desertâ quam mox viderat evidentiâ; toti iis occupantur quæ obijcta sunt, & ad quæ respondere non possunt, distinctionem aliquam finilem adversus materiæ divisibilitatem excogitant; ac denique concludunt se antea fuisse hallucinatos, omnesque hœccirca pariter hallucinari. Deinde opinionem contrariam amplectuntur. Illam chimæricis atomis, aliisque defendunt absurditatibus quas suppeditat imaginatio. In istos autem errores non incidunt nisi quia mentem humanam esse finitam non satis persuasum habent, nec cogitant necessarium non esse eam materiæ divisibilitatem a mente capi ut ab ipsâ credatur, quia insolubiles censendæ sunt omnes difficultates quæ non possunt solvi nisi illam concipiendo.

Porro si hominum curiositas quæstionibus hujus generis terminaretur, res non tanti esset momenti. Si enim contingat ut nonnulli erroribus quibusdam sese præpediri sinant, errores saltem sunt leves. Alii verò temporis jacturam non omnino fecerunt, dum meditati sunt circa res quas capere nequiverunt, hoc enim pacto debilitatis mentis suæ convicti fuerunt. Utile est, inquit Author maximi judicii, mentem in ejusmodi subtilitatibus desudare, ut ipsius arrogantia hoc pacto dometur, & ab illâ desistat temeritate quâ debilia lumina sua veritatibus

*L'Art de penser, Ars cogitandi.*



tatibus ab Ecclesiâ propositis audet opponere, hanc præ se ferens causam, se illas intelligere non posse. Cum enim tota mentis acies minimâ atomo obtundatur, & fateri cogatur se clarè quidem videre istam materiæ portiunculam in infinitum esse divisibilem, quamvis non possit capere quomodo id fieri possit; nonne is manifestò peccat adversùs rationem qui mirabiles Omnipotentiae Divinae, quae ipsa incomprehensibilis est, effectus credere recusat, eâ tantum adductus causâ, mentem scilicet nostram non posse illos capere?

Ex istâ igitur ignorantia arctorum mentis limitum, ipsiusque adeo infirmitatis quâ quae ad infinitum aliquatenus accedunt prorsus non potest capere, nihil perniciosius oritur quàm hæresis. Hisce præsertim temporibus non pauci reperiuntur, qui Theologiam specialem sibi instituant, proprio tantum ingenio sultam ac naturali rationis debilitate, quia in iis etiam rebus quae a ratione non pendent, illud solum credere volunt quod possunt concipere.

Mysteria Trinitatis & Incarnationis capere non possunt Sociniani. Id ipsis sufficit ut ea non credant; nec id modò, eos etiam qui ista credunt mysteria ad servitutem natos audacter & superbè pronuntiant. Calvinista non potest capere quò fieri possit ut corpus Jesu-Christi sit verè præsens in Sacramento Eucharistiae quo tempore est in coelo, atque hinc meritò se inferre credit id fieri non posse, quasi omnino cognosceret quò usque extendatur potentia Divina.

Homo quispiam libertatis suae etiam apud se conscius, si magno contendat nisu ut scientiam Dei ipsiusque decreta cum libertate conciliet, post irritos conatus in eorum fortè labetur errorem qui non credunt homines esse liberos. Cum enim ex alterâ parte non capiat Providentiam Divinam posse subsistere cum libertate hominis, ex alterâ verò eâ sit erga Religionem veneratione ut non possit negare Providentiam, eò se adactum credit ut libertatem hominibus detrahat, vel ad mentis humanae infirmitatem non satis attendens imaginabitur se rationes quibus Deus decreta sua cum libertate nostrâ conciliat penetrare posse.

Porro non soli hæretici ad tenuitatem mentis suae minùs attendunt, ipsique nimiam permittunt libertatem de iis judicandi quae non sunt ipsius juris. Omnes penè homines hoc laborant vitio, ac præsertim nonnulli Theologi posteriorum sæculorum. Quidam enim inter illos ratiociniis humanis adeo frequenter utuntur ad probanda aut explicanda mysteria quae rationis captum superant, ut, quamvis id bono consilio, & ad propugnandam veritatem adversùs hæreticos faciant, iisdem tamen hæreticis pervicaciter persistendi in suis erroribus, & mysteria fidei inter opiniones humanas collocandi, non rarò præbeant occasionem.

Mentis agitatio & scholæ subtilitates ad id non sunt idoneae ut hominibus infirmitatem suam patefaciant, nec eum semper submissionis inspirant animum, quo sine Ecclesiae decisionibus modestè cedere non

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

Bb

possu-

III.  
Et præcipuè  
hæresis.





possumus. Quin hæc omnia ratiocinia humana & subtilia excitandæ in ipsis occultæ superbiæ potiùs inserviunt, eosque ad id potiùs fortè impellunt ut ratione suâ intempestivè utantur, ac Religionem ipsius capacitati accommodatam instituunt. Ac revera non videas Hæreticos argumentis Philosophicis cedere, nec ad id lectione Authorum merè Scholasticorum adducuntur ut errores suos agnoscant & respuant. Immo videas quotidie ipsos ex debilitate rationum quorundam Scholasticorum ansam arripere, sanctissima Religionis mysteria subsannandi, quæ reapse hîc ratiociniis & explicationibus humanis non stabiliuntur, sed solâ verbi Dei, sive scripti, sive non scripti, hoc est ad nos usque per traditionem transmissi, autoritate nituntur.

IV.  
Mens est  
submiuenda  
p. dei.

Ac sanè ratio humana nos nequaquam edocet unum esse Deum in tribus personis, Corpus Jesu-Christi verè præsens esse in Eucharistiâ; & quomodo fieri possit ut homo sit liber, quamvis Deus ab omni æternitate præciverit quid homo sit factururus. Rationes quæ ad hæc probanda & explicanda afferuntur eos ut plurimum duntaxat persuadent, qui illas nullo examine factò admittunt, sed iis sæpe absurdæ videntur qui eas impugnare volunt, mysteria iis freta negantes. Contrà verò argumenta quæ adversus præcipuos fidei nostræ articulos, ac præsertim adversus mysterium Trinitatis proponuntur, ita sunt valida, ut clarè, evidenter, & accommodatè ad debilem rationem nostram solvi nequeant, quia reipsa mysteria illa captum humanum exsuperant.

Non hæc est igitur potior Hæreticos convertendi ratio, si eos nempe consulendæ rationi suæ assuefacias, iis incerta Philosophiæ argumenta proponendo; quia veritates quas ipsos doceri par est a ratione non pendent. Nec etiam semper conducit ejusmodi rationibus uti in veritatibus quæ rationis æquè ac traditionis ope possunt probari, quales sunt immortalitas animæ, peccatum originis, necessitas gratiæ, depravatio naturæ, & quædam aliæ; ne mens ipsorum, agnitâ semel rationum evidentiâ in his quæstionibus, iis postea nolit acquiescere quæ solâ traditione possunt probari. Quin potiùs ad id impellendi sunt ut, convicti quàm infirma sit sua ratio, quàm arctis circumscripta limitibus, quantumque mysteriis nostris sit impar, rationi illi, cum de rebus fidei agitur, dissident. Deinde subjugatâ animi superbiâ, facilè erit ipsos ad Ecclesiæ dogmatum Fidem inducere, ipsius autoritatem ostendendo, aut eis explicandò traditionem omnium sæculorum, si eam explicationem capere possunt.

Verùm, si homines oculos suos a mentis suæ debilitate & angustia perpetuò avertant; temeraria vanitas ipsorum inflabit animos; ipsos perstringet lux fallax, occæcabit gloriæ cupido. Atque hoc pacto Hæretici perpetuò Hæretici manebunt, Philosophi pervicaces, nullusque erit disputandi finis, quandiu erit disputandi animus.



## CAPUT III.

- I. Philosophos ingenium suum opprimere ac veluti dissipare, dum nullo in studiis suis ordine servato, ad ea incumbunt quæ nimias in se includunt relationes, & a pluribus pendent.  
 II. Exemplum ex Aristotele desumptum. III. Geometras contra se benè gerere in veritatis investigatione, ac eos potissimum qui Algebrâ & Analyfi utuntur. IV. Ipsorum Methodum vim ingenii augere, Logicam verò Aristotelis ipsam minuere. V. Aliud vitium eorum qui studio operam dant.

**H**omines in varios incurrunt errores, non modò quia animum ap-  
 pellunt ad quæstiones quæ infinitum spectant, cum tamen ipso-  
 rum mens finita sit, sed etiam quia iis se dedunt quæ latissimè patent,  
 cum mens ipsorum sit angustissima.

I.  
 Philosophis  
 ordinem de-  
 esse in stu-  
 diis.

Quemadmodum, uti jam monuimus, cera eodem tempore multas  
 figuras perfectas & distinctas excipere non potest, ita neque mens mul-  
 tas res distinctè & eodem tempore concipere valet. Hinc colligere est,  
 in studiis non ordiendum esse ab indagazione veritatum occultarum,  
 quarum cognitio a majori rerum numero pendet, quarumque nonnul-  
 læ nobis sunt ignotæ, aut saltem minùs familiares; studendum enim  
 est cum ordine, & iis utendum quæ distinctè tenemus ad ea addif-  
 cenda quæ ignoramus, aut quæ saltem confusè cognoscimus. Maxi-  
 ma tamen pars eorum qui student ad id non attendunt; suas ipsi non  
 explorant vires; quousque ingenii captus extendatur non satis perspe-  
 ctum habent; non ratione, sed vanitate quadam imperceptâ, & im-  
 moderatâ scientiæ cupidine ipsorum studia diriguntur. Illâ inconsultâ,  
 veritates abstrusissimas & maximè imperscrutabiles penetrare aggrediun-  
 tur, quæstionesque solvere a tanto relationum numero pendentes, ut  
 mens vicacissima & perspicacissima ipsarum veritatem certò cognoscere  
 non possit, nisi post multa sæcula innumerâque experimenta.

In Medicinâ & in Ethicâ innumeræ sunt quæstiones ejuscemodi.  
 Omnes scientiæ quæ versantur circa corpora & ipsorum qualitates,  
 ut circa animalia, plantas, metalla, qualitatésque ipsis proprias, nun-  
 quam possunt esse satis evidentes & certæ; nisi præcipuè aliâ ratione  
 excolantur quàm huc usque excultæ sunt, & nisi a scientiis simplicio-  
 ribus & minùs compositis unde pendent initium fiat. At verò qui stu-  
 dio operam dant hunc nolunt suscipere laborem ut ordine philosophen-



tur, de certitudine principiorum Physices inter ipsos non convenit, corporum naturam in genere ipsorumque qualitates fatentur se non cognoscere. Attamen se rationem reddere posse credunt, cur, exempli gratiâ, capilli senum canescant, ipsorum dentes nigrescant, quæ quæstiones tot habent causas a quibus pendent, ut certa ipsarum ratio nunquam reddi possit. Ut id enim innotescat certò sciendum est in quo consistat canities capillorum speciatim; quibus humoribus nutriantur, quibus cribris humores hi trajiciantur, quænam conformatio radicis capillorum aut cutis per quam humores illi transeunt, quomodo hæc omnia in juvene & in sene differant, quod non nisi difficillimè cognosci potest.

II.  
Exemplum  
quo ostendi-  
tur Aristote-  
li ordinem  
desuisse.

Lib. 5. de  
genere ani-  
mæ cap. 1.

Aristoteles, exempli gratiâ, istius senum canities causam se penetrasse putavit; multas istius canities rationes attulit in variis locis; sed an Genius Naturæ ibi substitisset? minimè verò, longiùs progreditur. Deprehendit præterea eandem causam quæ capillos senum canos efficit, efficere etiam ut nonnulli homines & quidam equi habeant alterum oculum cœruleum, alterum verò aliis coloris. Hæc sunt ipsius verba: *Ἐπιρόγλαυκοι δὲ μάλα γίνονται ἐν οἱ ἄνθρωποι ἐν οἱ ἵπποι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν δὲ ἤπερ ὁ μὲν ἄνθρωπος πολιᾶται μόνον.* Næ id mirum est, sed quid tantum virum lateret? Certè tantum in suis Physicis operibus rerum numerum explicat, quæ hujus sæculi oculatissimis inexplicabiles videntur, ut non immeritò dicatur nobis a Deo concessus, ut nihil eorum quæ possunt cognosci nos fugeret. *Aristotelis doctrina est SUMMA VERITAS, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus. Quare bene dicitur de illo, quòd ipse fuit creatus & datus nobis Divinâ Providentiâ, ut non ignoremus possibilia sciri.* Averroës debebat etiam adjicere Aristotelem nobis datum fuisse Divinâ Providentiâ ut ea etiam discamus quæ sunt *impossibilia sciri.* Quippe Philosophus ea non tantum nos docet quæ possent sciri, sed cum in ipsius verba sit jurandum, quippe cujus doctrina sit SUMMA VERITAS, ea etiam nos docet quæ sunt *impossibilia sciri.*

Certè multâ fide opus est ut Aristoteli, nihil aliud nobis oggerenti quàm rationes Logicas, effectusque naturæ non aliter quàm per notiones sensuum confusas explicanti credamus: cum potissimum de quæstionibus homini insolubilibus audacter decidit. Hanc dubio procul ob causam Aristoteles enixè monet sibi sine examine credendum esse. Certum est isti Authori axioma, Discipulum credere debere, *δὲ πισύειν τὸν μαθητόντα.*

Discipuli quidem Magistris suis nonnunquam credere tenentur, sed ipsorum fides non extendi debet ultra experimenta & facta. Si enim veri Philosophi evadere cupiant, magistrorum rationes ad examèn debent revocare, illasque non debent admittere nisi cognitâ proprio lumine ipsarum evidentiam. Verùm ut quis sit Philosophus Peripateticus, ipsum credere & memoriæ mandare tantum necesse est. Eâdem mente Phi-

te Phi-



te Philosophia ista discenda est quâ leguntur historiæ; si enim eò licentiæ devenias ut ratione & mente tuâ utaris, non est quòd speres te evasurum esse in magnum Philosophum; *Ἄν γὰρ πιστεύει τὸν μανθάνοντα.*

Verùm causa cur Aristoteles & innumeri alii Philosophi crediderint se scire quod sciri nequit ex eo est quòd satis non intellexerint quomodo inter se differant scire & scire; certam & evidentem alicujus rei cognitionem ab eâ quæ est tantùm verisimilis distinguere. Cur autem id non satis distinxerint inde est quòd cùm res quibus animum adjunxerunt ipsorum mente latius patuerint, illarum rerum partem aliquam duntaxat perceperint, ipsas non totas amplecti valentes: Illa autem cognitio sufficit quidem ad multas percipiendas verisimilitudines, non verò ad veritatem evidenter detegendam. Cùm præterea scientias prævanitate tantùm investigaverint, verisimilitudines autem sint aptiores ad captandam hominum existimationem quàm veritas ipsa, quia vulgi ingenio sunt magis accommodatæ, rationes ad augendam ingenii capacitatem necessarias neglexerunt, adeo ut veritates subobscuras introspicere non potuerint.

Geometræ solis mentis suæ angustiam satis agnoverunt, aut saltem eo sese gesserunt modo in studiis qui ostendit ipsos istius angustię fuisse omnino conscios; li præsertim qui usi sunt Algebrâ & Analyfi, quam Vietus & Cartesius instaurarunt & perfecerunt hoc sæculo. Id inde patet quòd isti viri non aggressi sint solvere difficultates maximè compositas, nisi clarissimè cognitis antea simplicissimis a quibus illæ pendent: Ad lineas curvas, quales sunt sectiones conicæ, considerandas animum non prius appulerunt quàm perfectam Geometriæ vulgaris peritiam adepti fuissent. Verùm quod Analystis speciale est in eo consistit; cùm nempe cognoverint ipsorum ingenium non posse eodem tempore pluribus figuris intentum esse, ne vel posse imaginari solida quibus dimensiones sint plures tribus, quamvis sæpe solida cum majori dimensionum numero concipiendi necessitas ipsis incumbat, literis ordinariis nobis maximè familiaribus, ad exprimendas & abbreviandas suas ideas, usi sunt. Mens itaque multarum figurarum repræsentatione, quæ aliàs ipsi necessaria fuisset, ingentique linearum numero nequaquam impedita aut occupata, uno intuitu potest percipere quod aliter percipere nunquam potuisset: Mens enim, si ipsius capacitati ritè consulas, res multò penitius introspicere & ad plura sese extendere potest.

Tota igitur industria quæ ad mentis perspicacitatem & capacitatem augendam conferre potest in eo consistit ut vires ipsius exploratas ita temperemus, ut ipsâ ad res quæ nihil ad veritatem sibi detegendam faciunt non abutamur, idque notatu dignissimum est. Quippe ex eo solo satis patet Logicas vulgares ingenii capacitatem potius minuere quàm augere; si enim, in alicujus veritatis investigatione, regulis quas

III.  
Geometras  
sese bene ge-  
rere in in-  
vestigandâ  
veritate.

IV.  
Ipsorum me-  
thodus au-  
get capaci-  
tatem inge-  
nii, metho-  
dus verò  
Aristotelis  
ipsam mi-  
nuum.

Lib. 6. prim.  
part. meth.



tradunt uti volueris ; tum ingenii capacitas maximam partem iis occupabitur , adeo ut ad attentionem quæ ut totam argumenti sui extensionem complectatur necessaria est , impar futura sit.

Ex suprâ dictis satis igitur liquet plerosque ad mentis naturam parum attendisse , dum se veritatis inquisitioni accinxerunt ; Illi sanè quàm angusta fit mentis humanæ capacitas , quantumque necesse sit ipsam prudenter temperare atque etiam augere , exploratum satis nunquam habuerunt ; atque ex hac potissimum causâ factum ut in errorem lapsi sint , studiâque ipsis tam infeliciter cefferint.

Non tamen putamus ullos unquam fuisse homines qui ingenium suum arctis circumscriptum esse limitibus , nec magnam habere capacitatem aut extensionem ignoraverint ; quin omnes id compertum habent quidem , id omnes fatentur ; sed plerique confusè tantum id cognoscunt , & ore duntaxat confitentur ; isti confessioni contradicit ipsorum in studiis processus ; agunt enim quasi persuasum haberent mentem suam nullis esse circumscriptam limitibus , resque volunt penetrare quæ ab innumeris pendent causis quarum ne unam quidem nôrunt.

V.  
Aliud vitium eorum qui studiis scientiarum operam dant.

In aliud etiam vitium incurrere solent qui studio scientiarum operam dant. Majori scilicet scientiarum numero uno eodémque tempore ingenium applicant , si per sex horas student , sex fortè rebus diversis student. Id vitii ab eâdem quam suprâ memoravimus causâ manare manifestum est. Qui enim studia sua sic instituunt , si istam studendi rationem mentis suæ capacitati non esse congruam , ipsamque confusionem potiùs & errorem quàm veram scientiam parituram certò cognoscere , verisimile est ipsos motibus inordinatis quos ciet vanitas fræna esse adhibituros ; eo enim pacto vanitati nunquam satisficient , quin potius in perpetuæ inscitie periculo versabuntur.

---

#### C A P U T IV.

I. Mens non potest ad ea diu incumbere quæ nullam secum habent relationem , aut quæ cum infinito nihil habent commune. II. Voluntatis inconstantia causa est istius mentis inapplicationis , & ideo erroris. III. Sensationes nostræ nos magis occupant quàm ideæ puræ intellectûs. IV. Ex quo manat morum corruptio. V. Ut & ignorantia vulgi.

**M**ens humana errori est obnoxia , non solum quia infinita non est , aut quia rebus quas contemplatur impar est , ut id duobus capitibus præcedentibus exposuimus ; sed etiam quia inconstans est , sibi

in



in actionibus suis non constat, visumque in eadem defixum diu satis sistere nequit, ut illa possit examinare.

Ut istius inconstantiae & levitatis ingenii humani causam percipiamus, sciendum est mentis actionem voluntate dirigi, ita ut mentem ad ea convertat quibus ipsa delectatur, jam autem ea voluntas in perpetuam inconstantiam & anxietate versatur, cujus inconstantiae & anxietatis haec est causa.

Quin Deus omnium sit Author, omnia propter se fecerit, & cor hominis ad se flectat impressione naturali & invicta quam ipsum indefinenter afficit nemo est qui merito possit dubitare. Fieri nequit ut Deus velit voluntatem aliquam existere quae ipsum non amet, aut quae ipsum alii cuiquam bono postponat, si demum aliud bonum ab ipso diversum existere possit. Ferre enim nequit Deus ut voluntas quaequam non amet id quod summo amore dignum est, utque ista voluntas id exoptet magis quod amore dignum minus est. Amor itaque naturalis ad Deum nos ferat oportet, quippe qui ab ipso Deo procedat, & quia nihil est quod istos motus possit sistere praeter ipsum Deum qui illorum Author est. Nulla igitur est voluntas quae motus hujus amoris non sequatur necessario. Iusti, impii, beati, & ii etiam qui inferorum cruciatibus sunt addicti Deum amant isto amore; atque is ipse amor est qui aliquo sensu postremorum miseriam constituit. Cum enim amor iste naturalis quo erga Deum movemur, idem sit cum inclinatione naturali quam versus bonum in genere, versus bonum infinitum, summum bonum ferimur, manifestum est omnes spiritus Deum amare hoc amoris genere, cum ipse solus sit bonum universale, bonum infinitum, summum bonum. Nam certe omnes spiritus, ipsi etiam Dæmones beatitudinem summique boni possessionem totis exoptant votis; idque exoptant indiscriminatim, sine ulla deliberatione, sine libertate, & ex naturae necessitate. Cum igitur propter Deum, propter bonum infinitum, propter bonum omnia in se complectens bona facti simus, motus naturalis cordis nostri nunquam desinet nisi possessione istius boni.

Voluntas igitur nostra perpetuam & ardenti laborans siti, desiderii & ardenti anxioque agitata studio boni quod non possidet, veritatibus abstrusis, quae ipsam non afficiunt, quasque ad ipsius beatitudinem nihil conferre judicat, mentem aliquandiu inhaerere non nisi invita pati potest: intellectum itaque ad alia quaerenda indefinenter incitat: jam autem cum intellectus eam motus agitatione in aliquid incidit quod boni speciem praeseferat, hoc est, quod praesentiam suam mentem aliquam suavitate & voluptate quadam internam pelliciat; tum sitis illa cordis de novo ardescit; desideria, anxia vota, æstus de integro accenduntur; mensque ad ipsorum obsequium adaeta, ei rei unice adhæret quae eos æstus vel ciet vel ciere videtur, eamque ad mentem propius admovet quae eam degustat, & eam blandè aliquandiu pascitur. At verò cum inanitas rerum creaturarum non possit implere infinitam cordis humani

I.  
Mens non potest ad ea diu incumbere quae nullam se-cum habent relationem aut quae cum infinito nihil habent commune.

II.  
Inconstantia voluntatis est causa inapplicatio-nis, atque ideo erroris.

capa-]



capacitatem, exiles illæ voluptates sitim ejus potius irritant quàm extinguunt, mentemque stultâ & vanâ spe lactant, quâ in voluptatum terrenarum multiplicitate sibi satisfactum iri putat: Quod etiam in intellectu cujus ope mens ista detegit bona ingentem generat levitatem & inconstantiam.

Verum quidem est intellectum, si fortè in aliquid incidat quod aliquam cum infinito habeat convenientiam, ab inconstantia & agitatione suâ per aliquod tempus desistere. Cùm enim in eo characterem agnoscit ejus quod mens desiderat, tum in eo diu satis defigitur, eique adhaerescit. Verùm illa applicatio, seu potius illa tenacitas intellectus in examinandis rebus infinitis aut nimium vastis ipsi æquè inutilis est ac levitas illa quâ ea quæ sunt ipsius capacitati adtemperata considerare solet. Debilior est quàm ut possit tantas res assequi, irrii semper manebunt ejus conatus. Non in infinitæ cujuspiam rei, ut ita loquar, comprehensione sita est mentis felicitas, rem enim infinitam comprehendere non valet, sed in amore sita est & fruitione boni infiniti, cujus voluntas capax est per motum amoris quem ipsi Deus indefinenter imprimit.

Quis postea mirabitur ignorantiam & cœcitatem hominum? quandoquidem ipsorum mens inconstantia & levitati cordis subjecta, atque ideo ad quicquam seriò & attentè expendendum inepta, nil possit penetrare quod memorabilem aliquam includat difficultatem. Attentio enim intellectus ad ea quæ mente tantum concipiuntur idem est quod oculorum acies ad ea quæ visu cernuntur. Et quemadmodum qui in res circumjacentes oculos circumferre & defigere nequit minimas ipsarum partes, minimasque relationes quibus istæ particulæ inter se mutuo conveniunt satis discernere non potest, ita qui non potest aciem mentis in ea quæ scire cupit defigere, ea etiam satis cognoscere nequit ut singulas partes, omnesque relationes quæ inter se invicem aut cum aliis rebus habent discernere valeat.

Omnes tamen cognitiones non in alio quoquam procul dubio sitæ sunt quàm in claro conspectu relationum quas res inter se habent. Cùm igitur, ut id sæpe in quæstionibus difficilibus accidit, mens uno intuitu ingentem relationum numerum quas duæ aut plures res habent inter se invicem contueri debet, certè nisi istas attentissimè consideraverit, vel si confusè tantum eas cognoscat, mutuas relationes percipere, atque ideo solidum de iis ferre judicium nunquam poterit.

III.  
Sensationes  
nostræ nos  
occupant  
magis quàm  
ideæ puræ  
intellectus.

Inter varias causas ob quas rebus abstrusis non satis attendimus, præcipua in eo consistit quod eas res abstrusas veluti eminè videamus, occurrantque indefinenter intellectui nostro res ipsi multò propinquiores. Intenta mentis applicatio admovet, ut ita loquar, ideas eorum quibus sese applicat. Sed sæpe contingit ut, dum mens meditationibus Metaphysicis intenta est, inde dimoveatur interventu sensationis cujusdam quæ ipsi Metaphysicis istis ideis est, ut ita dicam, propinquior; ad hoc



ad hoc enim efficiendum minimus dolor vel levior voluptas sufficit :  
Atque hujusce rei causa hæc est , dolor scilicet & voluptas & in genere omnes sensationes intus sunt in ipsâ mente ipsâque longè propius attingunt & modificant quàm ideæ simplices eorum quæ puro percipiuntur intellectu , quæ licet menti præsentibus illam tamen nec vividè afficiunt nec modificant. Cùm itaque mens sit limitatissima , nec a sensu doloris aliarumque sensationum possit abstinere , ipsius capacitas ejusmodi sensationibus impletur , nec eodem tempore aliquid sentire , & de aliis quæ sentiri nequeunt liberè cogitare potest. Bombus muscæ , aut alius quilibet lenis susurrus , dummodo usque ad præcipuam cerebri partem perveniat ; ita ut mens illum percipere queat , nos etiam enixè reluctantes , a consideratione veritatum abstrusarum & sublimium arcere potest ; omnes enim ideæ abstrusæ mentem non modificant , quod de sensationibus dici nequit.

Vide cap:  
7. secund.  
part. hujus  
Libri.

Hinc nascuntur stupiditas & sopor ingenii respectu sublimium veritatum Ethicæ Christianæ ; hinc est quòd homines illas non cognoscant nisi cognitione theoreticâ & sterili , ni ipsi adsit gratia Jesu - Christi. Omnes Deum esse , ipsum adorandum & colendum esse norunt quidem ; at verò quis eum colit & adorat sine gratiâ , quæ sola dulcedinem & voluptatem ex his officiis degustandas nobis præbet ? Pauci sunt qui non agnoscant vanitatem & instabilitatem bonorum terrenorum ; immo pauci exstant qui non convincantur , convictione quidem abstrusâ , sed certissimâ tamen & evidentissimâ , istæc bona indigna esse quæ a nobis amentur & inquirantur. At verò ubinam eos reperies qui hæc bona in praxi aspernentur , quique ad ea comparanda operam suam conferre recusent ? Ii certè soli impressiones sensuum impetûque concupiscentiæ possunt vincere , quibus fastidium creavit ea quam ex istorum bonorum possessione agnoverunt amaritudo , aut quos gratia , delectatione quadam internâ , rerum spiritualium amore & sensu affecit. Sola igitur mentis contemplatio eò nos nunquam adducit ut , quâ par est vi , concupiscentiæ conatibus obluemur. Huic contemplationi accedere debet motus quidam cordis internus. Solum illud mentis lumen est , ut loqui amant , gratia sufficiens , quæ ad nostram condemnationem duntaxat conferre valet quæ nobis infirmitatem nostram manifestat , docetque quantum ad illum a quo omnis pendet vis nostra precibus confugere opus habeamus. Sed motus ille cordis aut sensus internus est gratia vivida quæ operatur. Illa nos movet , nos sustentat , & cor nostrum ita persuadet , ut sine eâ nemo sit qui ex corde cogitet : *Nemo est qui recogitet corde.* Omnes veritates in Ethicâ constantissimæ in secretis ingenii recessibus & adytis delitescent , & quandiu ibi remanent , steriles & inefficaces sunt , quoniam eas anima non gustat. Sed voluptates sensuum sunt propinquiiores menti , jam autem cùm fieri nequeat ut quis non sentiat , utque etiam non amet \* voluptatem suam , fieri etiam nequit ut quis terræ † valedicat , & præstigias & hallucinationes sensuum propriis duntaxat viribus abdicet.

IV.  
Inde manat  
morum cor-  
ruptio.

\* Scilicet amore naturali ; voluptatem enim odisse potest quis odio electivo , seu ex electione nato.  
† Quia amor electivus diù non potest subsistere , quin amori naturali conformetur.



Haud tamen inficiari velim justos, quorum cor delectatione antevertente seu præveniente versus Deum vividè inflexum fuit, posse sine hac speciali gratiâ quosdam patrare actiones meritorias, & concupiscentiæ motibus obsistere. Nonnulli generosi & constantes legis Divinæ observatores sunt fidei suæ virtute, assiduâ rerum sensibilibum privatione, ac omnium quæ in tentationem possent inducere contemptu & fastidio. Sunt qui fere semper agant, licet nullum prælibaverint voluptatem indeliberatam aut prævenientem. Gaudium quo, dum ex Dei voluntate agunt, perfunduntur, sola est voluptas quam percipiunt. Atque ea voluptas sufficit ad eos in bonâ illâ cordis dispositione sistendos & confirmandos; Cùm Deum ament, sanctâque ejus lege delectentur, de utroque læti cogitant, non potes enim quin lætus cogites de iis quæ amas, vel quod ad idem redit, ab iis non sine horrore quodam distrahi potes; Idque sufficit ut leves saltem tentationes vincere queant justi. Sed qui respiscere incipiunt, voluptate indeliberatâ & præveniente ut plurimum opus habent, quâ a bonis sensibilibus dimoveantur, quibus, per alias voluptates indeliberatas & prævenientes jam adhærescunt. Tristitia & conscientiæ morsus ad id non sufficiunt, & nullo adhuc gaudio fruuntur. At verò justi vivere possunt ex fide, in ipsâ etiam indigentia, immo in hoc statu plus merentur; cùm enim homines sint ratione præditi, Deus ab ipsis amari vult amore electionis potius quàm amore instinctus & indeliberato, qualis est amor quo erga sensibilia movemur; ipsorum bonitatis non aliter certiores facti quàm voluptate ab ipsis ortâ. Cùm tamen plerique sint ἀλογόπιστοι, ac eò indefinenter adducti ut voluptates degustent, amorem erga Deum electivum diu non possunt tueri adversus amorem naturalem erga sensibilia, nisi gratia Dei eos adversus voluptatis impetus statuminet & tutetur. Delectatio enim gratiæ charitatem creat, conservat & auget, non secus ac voluptates sensibiles cupiditatem pariunt.

V.  
Ut & hominum ignorantia.

Ex suprâ dictis hoc non obscure liquet, scilicet, cùm homines affectu quodam, aut sensationibus jucundis vel molestis nunquam vacent, ipsorum mentis capacitatem iis multum occupari debere, adeo ut, dum quod istius capacitatis superest ad alicujus veritatis examen adhibere volunt, ab eo consilio sæpe deterreantur novis quibusdam sensationibus, fastidio quod ex isto examine nascitur ac inconstantia voluntatis quæ mentem per singulas res objectas motu nunquam intermisso circumagat. Adeo ut nisi a juventâ omnia hæc obstacula superare assueverint, ut id in secundâ parte expositum fuit, eò tandem deveniant inertiae ut veritatem paulò difficiliorem, cuique attendere oporteat, assequi nequeant.

Hinc concludere est omnes scientias, ac eas præcipuè quæ quæstiones solutu difficillimas includunt innumeris erroribus scaterere, ac ingentia illa volumina quæ de Medicinâ, Physicâ, Ethicâ, & potissimum de specialibus circa has scientias quæstionibus, quæ generalibus multò magis sunt complexæ, quotidie scribuntur, merito pro suspectis haberi.



haberi. Immo quò magis ejusmodi libri apud vulgus obtinent, hoc est apud eos qui attentionem præbere, ingenioque suo ritè uti non nõrunt, eò majore contemptu dignos esse. Nam vulgi assensus & approbatio circa materiam difficilem, certum est falsitatis istius opinionis cui assentitur argumentum. Hinc enim istam opinionem notionibus sensuum fallacibus aut falsis imaginationis splendoribus inniti patet.

Neque tamen fieri nequit ut homo aliquis possit solus multas retegere veritates quæ præteritis sæculis occultæ fuerant; modò homo ille polleat ingenio, ac in solitario degens loco, ab omnibus semotus quæ ipsum possent agere diversum, ad veritatem inquirendam seriò incumbat. Quocirca si a ratione mihi videntur abluere qui Philosophiam D. Cartesii quam non intelligunt adspernantur eâ tantùm adducti causâ quòd fieri non posse arbitrentur ut homo aliquis solus possit veritatem prodere circa res adeo occultas, quales sunt res Naturæ. At verò si exploratum haberent quomodo vitam suam instituerit Philosophus ille, quas in studiis vias insliterit ut impediret quò minùs mentis ipsius capacitas aliis detineretur quàm quorum veritatem detegere volebat, quàm claris & distinctis ideis suam stabiliverit Philosophiam, ac in genere quot prærogativis prævaluerit antiquis Philosophis ope veritatum recens compartarum, si, inquam, hæc omnia probè scirent, ex iis certè præjudicium haurirent in gratiam Cartesii longè magis legitimum, quàm præjudicium antiquitatis, quod tantam Aristoteli, Platoni, multisque aliis auctoritatem conciliat.

Ipsis tamen author esse nolim ut hoc freti præjudicio Cartesium credant esse virum insignem, ipsiusque Philosophiam esse bonam, ad id tantùm adducti elogis quæ ipsi possunt tribui. D. Cartesius erat homo, errori & hallucinationi obnoxius sicut cæteri: Inter ipsius lucubrationes nulla est, ne vel ipsius Geometria, quæ non sapiat humanam infirmitatem. Ne igitur fidem incautam ipsius verbis adhibeamus; ipsius opera, ut ipse monet, cautè sunt legenda. Examinandum est an in errorem non fuerit lapsus; nec usquam illi credendum nisi cum ad assensum evidentiam & internis rationis admonitionibus adigemur. Nam, ut res verbo conficiatur, mens quicquam verè non scit nisi quod evidentè videt.

Capitibus præcedentibus demonstravimus intellectum nostrum non esse infinitum, ipsius contrà capacitatem esse perquam mediocrem, illamque ipsam capacitatem sensationibus mentis ut plurimùm impleri, ac denique intellectum a voluntate directum diu non posse alicui rei adhærere, quin protinus ab illâ abducatur voluntatis inconstantia & levitate. Atque istæ sunt errorum nostrorum causæ haud dubiè generaliores; possemus quidem hæcè demonstrandis diutius immorari. Sed viris attentioni assuetis & idoneis hæctenus dicta sufficient ut ingenii humani imbecillitatis convincantur. In quarto & quinto Libro fusiùs agetur de erroribus qui ab inclinationibus nostris & affectibus naturalibus originem ducunt, de quibus in hoc Capite aliquid jam prælibavimus.





# PARS SECUNDA.

## DE INTELLECTU PURO.

### DE NATURA IDEARUM.

#### CAPUT PRIMUM.

- I. *Quid per ideas intelligatur : ipsas reapse existere , ipsasque esse necessarias ad percipiendas res omnes corporeas.*  
 II. *Divisio omnium modorum quibus res externæ percipi possunt.*

I.  
 Quid per ideas intelligatur ; ipsas reapse existere , ipsasque esse necessarias ad percipiendas res omnes corporeas.



IMO est , opinor , qui non fateatur nos res objectas quæ sunt extra nos positæ , non percipere per illas ipsas. Solem , Stellas , innumeræque alia externa videmus , nec verisimile est mentem nostram e corpore exire , Cœlõsque ascendere ac per eos veluti obambulare , ut ibi omnia illa contempletur. Illas igitur res objectas immediate non videt , cùmque mens nostra videt Solem , exempli gratiâ , certè id quod immediate menti obversatur non est sol , sed aliquid quod menti nostræ intimè conjunctum est ; atque illud est quod ideam appello. Itaque per istud vocabulum , (*idea*) nihil aliud hâc intelligo quàm id quod immediate menti obversatur , aut quod ipsi proximum est dum aliquid percipit.

Accuratè animadvertendum est omnino rei necessarium esse ideam objectæ intellectui esse præsentem ut illam rem objectam percipere possit , id in dubium vocari nequit. At verò non necesse est ut extrinsecus existat aliquid simile huic ideæ ; sæpissime enim contingit ut res percipiamus quæ non existunt , nec unquam extiterunt. Cùm quis , exempli gratiâ , aureum montem imaginatur , prorsus necesse est ut idea istius montis ipsius intellectui sit præsens ; cùm vesanus , aut aliquis



aliquis febrî ardente laborans , vel etiam dormiens , animal quoddam terribile videt ob oculos , pro certo constat ideam illius animalis revera existere , sed mons ille aureus aut istud animal nunquam extiterunt.

Cùm tamen homines ad id naturâ suâ propensi videantur , ut credant solas res corporeas existere , hinc fit ut de rerum veritate & existentia secus omnino judicent quàm par est : nam statim atque aliquam rem objectam sentiunt , protinus existimant illam certissimè existere , quamvis nihil prorsus extrinsecus existat ; existimant præterea illam rem objectam talem omnino esse qualem illam vident , quod tamen nunquam contingit. Idem verò quæ necessariò existit , quæque aliter se habere nequit quàm videtur , incogitanter ut plurimum judicant nihil esse ; quasi ideæ innumeras non haberent proprietates ; quasi idea quadrati , exempli gratiâ , longè non differret ab ideâ alicujus numeri , resque planè diversas non repræsentaret ; quod de nihilo dici nunquam potest cùm nihilum nullam habeat proprietatem. Ideæ igitur dubio procul verè existunt. Sed ipsarum naturam & essentiam examinemus : videamusque quid in mente sit quod ipsi omnia repræsentare valeat.

Quæcumque mens percipit duplicis sunt generis ; aut enim sunt in mente aut extra mentem. Quæ in mente existunt sunt ipsius propriæ cogitationes , hoc est , omnes ipsius variæ modificationes ; nam per istas voces , ( *cogitatio* , *modus cogitandi* , aut *modificatio mentis* ) ea in genere omnia intelligo quæ in mente esse nequeunt quin mens illa percipiat , ut sunt ipsius sensationes , imaginationes , puræ intellectiones , aut simpliciter ipsius conceptiones , ipsius etiam affectus & inclinationes naturales. Menti autem nostræ nullis opus est ideis ut hæc omnia possit percipere , quia sunt intus in ipsâ mente , aut potius , quia nihil aliud sunt præter mentem ipsam hoc vel illo modo modificatam ; quemadmodum rotunditas vera alicujus corporis & ipsius motus nihil aliud sunt præter illud corpus hoc vel illo modo figuratum & translatum.

Ea verò quæ sunt extra animam non aliter possumus percipere quàm per ideas , si saltem istæ ipsi intimè conjungi nequeant. Quæ autem extra mentem existunt duplicis sunt generis , spiritualia scilicet & materialia. Ad spiritualia quod attinet , illa mentem sine ideis & per illam ipsa posse percipere verisimile videtur. Quamvis enim experientia constet nos non posse immediatè & per nos ipsos cogitationes nostras nobiscum invicem communicare , sed tantum verborum aut aliorum signorum visibilium ope quibus ideas nostras alligavimus , dicere tamen possumus Deum id ad hujusce vitæ tempus duntaxat instituisse , ut obviam iret malis quæ nunc obtinerent si homines prohibitu sese mutuo intelligere possent : At verò ubi justitia ac ordo vigeant , & a corporis nostri captivitate liberi erimus , tum , conjunctione



intimâ quæ erit inter nos invicem, mentem nostram mutuò poterimus aperire, quo modo Angelos in Coelis agere verisimile est; Adeo ut ideas ad spiritualia menti repræsentanda admittere non videatur omnino necessarium; quoniam fieri potest ut ea videamus per illamet ipsa, quamquam modo valde imperfecto.

Totus iste locus characteribus Italicis fuit impressus, quia potest prætermitti, cum difficile sit quemquam illum intelligere, nisi sciat quid de mente & de naturâ idearum sentiam.

*Hic non examino quo pacto duo spiritus possint inter se conjungi, & an hoc pacto suas sibi invicem queant aperire cogitationes. Existimo tamen nullam esse substantiam purè intelligentem præter substantiam Dei; nihil posse evidenter cognosci nisi in ipsius lumine, conjunctionemque spirituum efficere non posse, ut visibiles sint sive ut videri queant. Quamvis cum nobismet ipsis arctissime conjuncti simus, nobismet tamen ipsis intelligibiles, ut ita dicam, erimus, donec nosmet ipsos videamus in Deo, & nobis ipsis Deus offerat ideam omnino claram naturæ nostræ quam ipse habet in suâ naturâ inclusam. Itaque quamvis hic concedere videar Angelos posse sibi invicem manifestare & id quod sunt & quod cogitant, id tamen me concessisse moneo duntaxat, quia de hoc disputare nolo, dummodo id mihi concedatur quod negari nequit, nempe materialia non posse percipi per se ipsa & sine ideis.*

Capite septimo explanabo sententiam meam de ratione quâ cognoscimus spiritus, ostendamque nos non posse nunc ipsos omnino cognoscere per illosmet ipsos, licet forsan possint nobis conjungi. Sed hic præsertim sermo est de rebus materialibus quæ certè menti nostræ non possunt eâ ratione conjungi quæ ad eas percipiendas necessaria est, quum enim extensæ sint, mens verò non sit extensâ, nulla datur inter eas proportio. His adde quòd mentes nostræ non exeunt e corpore ut dimetiantur coelorum magnitudinem, ac ideo non possunt videre corpora externa, nisi per ideas quæ illa repræsentant. Hæc apud omnes in confesso esse debent.

II.  
Divisio omnium rationum quibus videre possumus res externas.

Asserimus igitur prorsus necessarium esse ut ideas quas habemus de corporibus ac de cæteris rebus quæ per se ipsas non percipiuntur ab illis corporibus aut ab illis rebus orientur; vel ut mens nostra polleat virtute istas producendi ideas; vel ut Deus eas cum mente, ipsam creando, producat; vel eas producat quotiescunque de re aliqua cogitamus; vel ut mens in se ipsâ possideat omnes perfectiones quas in istis corporibus videt; vel denique ut conjuncta sit cum Ente summè perfectò, quòdque in se omnes in genere includat rerum creaturarum perfectiones.

Res objectas non possumus percipere nisi per unam ex istis rationibus. Nunc sepositis omnibus præjudiciis, istiùsque quæstionis difficultate haudquaquam territi, excutiamus quænam inter illas sit verisimilior. Illam quæstionem forsan clarè satis solvemus, licet hîc demonstrationes quæ certæ & invictæ quibuslibet videantur hominibus tradere non satagamus; sed argumenta tantùm validissima apud eos saltem qui illa attendè & seriò meditari non dedignabuntur. Si aliter enim loqueremur, temeritatis forsan accusaremur.



## C A P U T II.

*Res corporeas nullas mittere species sibi similes.*

**P**eripateticorum sententia qui res externas arbitrantur species sibi similes mittere, istasque species per sensus externos ad sensum communem usque ferri, omnium est vulgatissima. Species illas appellant *impressas*, quia res objectæ illas imprimunt sensibus externis. Species istæ impressæ cum sint materiales & sensibiles fiunt intelligibiles ope *intellectus agentis* seu *activi*, & ad id aptæ sunt ut recipiantur in *intellectu passivo*. Species illæ ad spiritus naturam sic conversæ appellantur species *expressæ*, quia ab impressis exprimuntur, atque per eas *intellectus patiens* seu *passivus* omnia materialia cognoscit.

In egregiis istis cogitatis fufius explicandis, variisq; rationibus quibus varii Philosophi illa concipiunt afferendis diutius non immoramur. Quamvis enim inter ipsos non conveniat de numero facultatum quas sensui interno & intellectui tribuunt, & non pauci sint etiam qui dubitent an indigeant *intellectu agente* ad cognoscendas res sensibiles, omnes tamen penè in eo consentiunt res externas emittere species aut imagines sibi similes; atque hoc solo freti fundamento multiplicant facultates suas, suumque *intellectum agentem* propugnant. Adeo ut, cum istud fundamentum omni careat soliditate, ut mox patebit, iis omnibus quæ huic fundamento adstruuntur evertendis diutius insistere necessarium non sit.

Afferimus igitur a verisimili prorsus alienum esse, res objectas emittere imagines aut species sibi similes, cujus assertionis adfunt aliquot rationes. Prima a corporum impenetrabilitate ducitur. Omnes res objectæ, ut Sol, Stellæ, ac quæcunque oculis nostris obversantur non possunt mittere species naturæ a suâ ipsorum diversæ, unde fit ut Philosophi vulgò dicant istas species esse crassas & materiales, in quo differunt a speciebus expressis quæ spirituales factæ sunt. Species illæ rerum objectarum impressæ sunt igitur corpuscula; Non possunt ergo sese penetrare, neque omnia spatia quæ a terrâ usque ad cælum exstant pervadere, quæ iis speciebus plena esse debent. Unde legitimè concludere est istas species debere sese mutuo conterere & confringere, dum aliæ dextrorsum, aliæ sinistrorsum moventur, ac ideo eas non posse res objectas visibiles reddere.

Insuper ex eodem loco seu ex eodem puncto ingens potest rerum objectarum quæ in cælo & in terrâ exstant conspici nun erus; ergo oportet ut species omnium istorum corporum possent in unum punctum coire; Atqui impenetrabiles sunt cum sint extensæ; ergo, &c.

Sed



Sed non solum ex eodem puncto maximus numerus maximorum & vastissimorum corporum videri potest; quin nullum est punctum in omnibus his magnis mundi spatiis, ex quo numerus penè infinitus corporum, corporum, inquam, Solem, Lunam, & Cœlos ipsos magnitudine æquantium, percipi non possit. Nullum est igitur in toto mundo punctum, in quo omnium harum rerum species sibi mutuò occurrere non debeant; quod a veritate alienum profus videtur.

Si scire cupias quò pacto omnes rerum visibilium impressiones, quantumvis invicem oppositæ, de viribus suis, dum communicantur, nihil amittant, duas ultimas illustrationes legere potes, quæ ad calcem hujus operis existant.

Secunda ratio petitur ex mutatione quæ in speciebus contingit. Certò enim constat, rem objectam, quò propinquior est, eò majorem habere speciem, cum ipsam majorem videamus. Jam autem non video quid efficere possit ut species illa diminuatur, & quò possint evadere partes ex quibus constabat dum major apparebat. Sed quod conceptu adhuc difficilius est, juxta ipsorum opinionem, in eo consistit quòd si objectam rem illam per telescopium aut microscopium intuearis, species repente fiat sexcenties major quàm antea; multò enim difficilius concipitur quibus partibus unico temporis momento ita augeri potuerit.

Tertia ratio hæc est. Si consideretur cubus perfectus, omnes species ipsius laterum sunt inæquales, cum nihilo secius tamen omnia ipsius latera æqualiter quadrata conspiciantur. Sic cum in tabulâ pictâ considerantur figuræ ovatæ & parrallogrammata, quæ non possunt mittere nisi species similis figuræ, in iis tamen nil deprehenditur præter circulos & quadrata. Hinc enim manifestò liquet necesse non esse rem quæ adspicitur, species sibi similes mittere, ut possit videri.

Denique concipi nequit quomodo fieri possit ut corpus, quod sensibili modo non minuitur, perpetuò species undique emittat; iis indefinenter impleat ingentia spatia; idque celeritate incredibili, ubi enim res aliqua delituit, quo momento conspiciendam se præbet, undique videri potest e multis leucarum millibus. Quòdque in eâ sententiâ mirabilis est, corpora valde agitata, ut aër & quædam alia, non eâ pollent vi quâ possint extra se pellere istas imagines sibi similes, quod tamen faciunt corpora crassissima, minimè agitata, ut terra, lapides, & cætera penè corpora dura.

Verùm omnibus afferendis rationibus huic opinioni adversantibus hîc immorari nolumus, nullus enim esset dicendi finis, quippe minimum ingenii conamen inexhaustam hoc super argumento rationum suppeditat scaturiginem. Quæ supra attulimus sufficient; imo necessaria non erant post ea quæ, dum errores sensuum explicuimus, hac de re in primo Libro a nobis dicta sunt. At verò tantus est Philosophorum huic opinioni addictorum numerus, ut non abs re nos facturos judicaverimus, si aliquid de eâ perfringeremus, eos saltem ad id adducturi ut super cogitationibus suis seriò meditentur.



## CAPUT III.

*Mentem præditam non esse virtute producendi ideas. Causa erroris in quem hac de re labuntur homines.*

Secunda opinio eorum est qui arbitrantur mentes nostras pollere virtute seu facultate producendi ideas rerum de quibus cogitare volunt, illasque mentes excitari ad producendas illas ideas ab impressionibus quas res objectæ faciunt in corpus, quamvis istæ impressiones non sint imagines similes rebus objectis quæ ipsas faciunt. Existimant in eo consistere imaginem Dei in homine, ipsūque hominem hoc pacto divinæ potentiæ participem fieri. Quemadmodum, inquit, Deus omnia ex nihilo creavit, potestque omnia in nihilum redigere, & alia nova denuo creare, ita homo potest creare & annihilare ideas omnium pro lubitu. Verum non unâ de causâ ejusmodi opiniones quæ hominem extollunt suspectas habere debemus. Ejusmodi cogitationes ex vano & superbo hominis fundo oriundas Pater luminum nequaquam inspiravit.

Ista participatio potentiæ Divinæ quam sibi arrogant homines ut res objectas sibi repræsentare, multasque alias actiones speciales patrare possint, participatio est quæ nos a Deo non omnimodè pendere videtur innuere; ut saltem illa participatio explicari solet. Verum sincerè loquendo illa participatio chimerica est, merum ignorantia & vanitatis humanæ figmentum. Homines a bonitate & misericordiâ Divinâ longè supra ipsorum opinionem dependent. Sed hæc explicandi non est hîc locus. Sufficiat nobis si ostendere conemur homines non pollere virtute aut facultate formandi ideas rerum quas percipiunt.

Nemo est qui ideas esse res verè existentes, siquidem proprietates habent veras, alias ab aliis differre, resque planè diversas repræsentare, in dubium vocare possit. Meritò etiam dubitari nequit quin illæ sint spirituales & a corporibus quæ repræsentant longè diversæ. Et vel ex hoc solo non injuriâ quis forsitan ambigeret an illæ ideæ, quarum ope percipiuntur corpora, non sint nobiliores ipsis corporibus. Revera mundus intelligibilis perfectior esse debet mundo materiali & terrestri, ut infra patebit. Cum itaque quis asserit homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitu, in id etiam discriminis vocari videtur ut asserat ipsos posse formare res nobiliores & perfectiores mundo quem Deus condidit. Plerique tamen ne ad id attendunt quidem, quippe qui arbitrentur ideam nihil esse, quia sese sentiendam non præbet; aut si illam tanquam rem verè existentem habeant, ea res ipsis videtur per-



quàm exilis & adspernanda ; quoniam ipsam statim atque menti amplius non objicitur annihilari arbitrantur.

Sed demus ideas nihil esse præter res tenuissimas & adspernandas, sunt tamen res veræ, imo res spirituales ; jam autem cum homines non præditi sint potentiâ quicquam creandi, hinc sequitur ipsos non posse producere ideas. Nam productio idearum eo quo explicatur modo est vera creatio, & quanquam opinionem adeo duram mitigare & lenire conantur, dum dicunt productionem idearum supponere aliquid antèrius, creationem verò nihil supponere ; hoc tamen effugio nodus difficultatis non solvitur.

Etenim animadvertendum est difficilius non esse rem e nihilo educere, quàm illam producere supponendo aliquid aliud ex quo confici tamen nequit, quòdque ad ipsius productionem nihil conferre possit ; exempli gratiâ, difficilius non est Angelum creare, quàm illum ex lapide educere ; cum enim lapis sit ex genere prorsus diverso a genere Angeli, nihil planè prodesse potest ad productionem Angeli. Verum conducere potest productioni panis, auri, &c. quia lapis, aurum, panis nihil aliud sunt præter eandem extensionem variè configuratam, & quia hæc omnia sunt materialia.

Immo difficilius est Angelum educere ex lapide quàm ex nihilo, quia ut Angelus ex lapide conficiatur, quantum quidem id fieri potest, annihilandus est lapis, ac deinde creandus Angelus ; cum contrà ad creandum duntaxat Angelum nihil sit annihilandum. Si igitur mens ideas suas producat ex impressionibus materialibus quas cerebrum accipit a rebus objectis, idem semper efficit ac si eas crearet ; aut aliquid æquè difficile, immo difficilius efficit, cum ideæ utpote spirituales non possint produci ex imaginibus materialibus quæ sunt in cerebro, quæque nullam cum iis proportionem habent.

Quòd si quis dicat ideam non esse substantiam ; esto ; sed tamen est aliquid spirituale : jam autem cum fieri nequeat ut quadratum conficiatur ex spiritu, quamvis quadratum non sit substantia ; ita ex substantiâ materiali idea spiritualis non potest formari, licet idea non esset substantia.

Sed quamvis menti humanæ supremam tribueremus potentiam quâ posset annihilare & creare ideas rerum, eâ tamen nunquam uteretur ad illas producendas. Quemadmodum enim Pictor, quantumvis peritus, animal quod nunquam viderit, cuiusque nullam habet ideam, repræsentare nequit, ita ut imago quæ ab ipso postularetur non posset esse similis huic animali incognito, sic homo non potest formare ideam rei cuiuspiam, nisi priùs illam cognoscat, hoc est nisi habeat illius ideam, quæ a voluntate sua nequaquam pendet. Quòd si jam habeat istius rei ideam, certè illam cognoscit, ac proinde inutile est ut sibi novam illius efformet ideam. Frustra igitur homini tribuitur potentia producendi ideas suas.

Quis



Quis fortè posset reponere mentem quidem habere ideas quasdam generales & confusas quas non producit, ideas verò quas producit esse speciales, clariores, & distinctiores. Sed res eodem semper reidit. Quemadmodum enim pictor non potest pingere hominem quendam singularem, ita ut possit confidere se rem feliciter gessisse, nisi habeat ideam distinctam istius hominis, immo nisi homo ille præsens adsit, sic mens quæ nullam ideam habebit præter ideam, exempli gratiâ, substantiæ aut animalis in genere, non poterit sibi repræsentare equum, nec ipsius formare ideam distinctam, ac pro certo habere istam ideam esse prorsus similem equo, nisi priorem habeat ideam quacum secundam possit conferre. Jam autem si antecedentem habeat ideam, alteram formare inutile est; & quæstio vertitur circa priorem illam ideam. Ergo, &c.

Verum quidem est nos, dum quadratum concipimus per puram intellectionem, illud insuper imaginari posse, hoc est, illud percipere nobis insculpando illius imaginem in cerebro. Sed primò observandum est nos nec esse veram nec præcipuam istius imaginis causam, at verò brevitatis causa ab eo explicando superfedemus. Secundò tantum abest ut secunda idea quæ comitatur imaginem illam priori sit distinctior & accuratior, ut potius accurata non sit nisi quatenus priori, quæ alterius norma esse debet, similis est. Arbitrandum enim non est imaginationem & sensus res objectas distinctius nobis repræsentare quàm intellectum purum, sed mentem magis tantum afficiunt & applicant. Nam ideæ sensuum & imaginationis non sunt distinctæ nisi quatenus conformes sunt ideis puræ intellectionis. Imago quadrati, exempli gratiâ, quam imaginatio cerebro imprimit justa & accurata non est nisi per conformitatem quam habet cum ideâ quadrati quod concipimus per puram intellectionem. Hæc idea est norma imaginis. Mens dirigit imaginationem, ac illam, ut ita dicam, adigit ad dispiciendum identidem an imago quam pingit sit figura quatuor linearum rectarum & æqualium, cujus anguli sint accuratè recti, uno verbo an res quam imaginamur sit similis rei quam concipimus.

His præmissis nemo est, opinor, qui dubitet quin ii fallantur qui mentem asserunt rerum objectarum ideas formare posse, cum menti tribuant potentiam creandi, immò etiam creandi cum ordine & sapientiâ, quanquam ne cognoscit quidem quid agat; id enim concipi nequit. Sed causa errandi ipsis est; quòd homines rem quampiam alicujus effectûs causam esse semper existiment, cum utramque simul conjunctam vident, si modò vera istius effectûs causa ipsos lateat. Hanc ob causam omnes concludunt globum agitatam, cum in alium incidit, veram esse & præcipuam causam agitationis quam cum ipso communicat; voluntatem mentis veram esse & præcipuam motûs brachii causam, & alia similia præjudicia: quia semper contingit ut globus agitetur, cum in ipsum alius globus incidit & impingit, utque brachia nostra moveantur

Tantò meliora esse judico quæ oculis cerno quàm pro sui naturâ viciniora sunt iis quæ animo intelligo. Aug. 63. de vera relig.





quotiescunque penè id volumus; & quia nullam aliam sensibilem istorum motuum causam deprehendimus.

Sed etiam quum aliquis effectus rariùs ex aliquâ re consequitur quæ ipsius non est causa, non pauci tamen sunt qui arbitrentur rem istam illius effectûs esse causam, sed omnes in hunc errorem non labuntur. Cometa, exempli gratiâ, apparet, & post illum cometam Princeps quidam fato fungitur. Lapidés Lunæ oppositi sunt, & vermibus exeduntur; Sol conjunctus est cum Marte tempore nativitatís alicujus infantis, & aliquid extraordinarium huic infanti accidit; id non paucis sufficit ut protinus sibi persuadeant, Cometam, Lunam, conjunctionem Solis cum Marte istorum effectuum, necnon aliorum ipsius similitium esse causam; quod tamen omnes non credunt, quia hæc Phænomena non semper similes secum trahunt effectûs.

Cùm verò omnes homines ideas rerum objectarum menti præsentés ut plurimum habeant statim atque id exoptant, cùm id ipsis multoties de die contingat, omnes ideo penè concludunt voluntatem quæ comitatur productionem aut potius præsentiam idearum esse veram ipsarum causam. Quia nihil eodem temporis momento deprehendunt cui hanc productionem seu præsentiam possint tribuere, & quia imaginantur ideas non amplius esse statim atque mens ipsas non amplius videt; ipsasque de integro existere, cùm se iterum menti objiciunt.

His etiam de causis nonnulli arbitrantur res externas emittere imagines sibi similes, ut cap. præcedenti dictum est. Cùm enim res objectæ per seipsas videri nequeant, sed duntaxat per ideas, judicant rem objectam suam ipsius ideam producere, quia statim atque præsens est, illam vident; statim atque abest, illam amplius non vident; & quia præsentia rei objectæ penè semper comitatur ideam quæ illam nobis repræsentat.

Attamen, si homines in judiciis non essent præcipites; ex eo quòd ideæ rerum ipsorum menti, statim atque id volunt, præsentés se fiunt, id tantum colligere deberent voluntatem ipsorum, juxta ordinem a naturâ institutum, vulgò esse necessariam ut illas habere possint ideas, non verò voluntatem esse veram & præcipuam causam quæ ipsas menti objiciat, multò minùs voluntatem illas producere e nihilo, aut eo quem explicant modo. Non debent etiam concludere, res objectas emittere species sibi similes, ex eo quòd mens eas ut plurimum non percipit, nisi cùm præsentés adsunt; sed tantum rem objectam vulgò necessariam esse ut idea sit præsens menti. Denique non debent judicare globum agitatum esse præcipuam & veram causam motûs globi cui occurrit, cùm prior ipse globus non habeat potestatem sese movendi. Possunt duntaxat judicare hunc duorum globorum concursum Authori motûs materiæ occasionem præbere voluntatis suæ decretum exequendi, quæ omnium universalis est causa; communicando  
scilicet



scilicet cum altero globulo partem motûs prioris, hoc est, ut clariùs loquar, volendo ut posterior tantùm acquirat agitationis quantum prior de suâ perdidit. Vis enim motrix corporum alia esse nequit quàm illius voluntas qui illa conservat, ut infra videbitur.

Vide cap. 3. part. 2. methodi, & illustrationem in hoc idem caput.

## CAPUT IV.

*Nos non percipere res objectas per ideas nobiscum creatas. Deum eas in nobis non producere, quotiescunque ipsis indigemus.*

**T**ertio opinio eorum est qui arbitrantur omnes ideas nobiscum creatas fuisse.

Ut ostendatur quantum hæc opinio a verosimili abhorreat, animadvertendum est in hoc mundo multa esse toto genere diversa, quorum ideas habemus. Nam ut de figuris duntaxat loquamur, numerum ipsarum infinitum esse constat; immo si vel unam solam consideremus, ut, exempli gratiâ, ellipsin, innumeras ellipsium diversas species, mentem concipere posse haud dubiè comperiemus; dum concipit alteram ex diametris in infinitum extendi posse, alterâ semper eâdem manente.

Ita cum altitudo trianguli possit augeri aut diminui in infinitum, latere quod basim constituit semper eodem manente, facile concipimus posse dari numerum triangulorum diversæ speciei innumerabilem. Immo quod accuratè hîc observari velim, mens aliquo modo percipit numerum illum infinitum, quamvis pauca admodum sub imaginationem cadant; nec possint haberi eodem tempore ideæ speciales & distinctæ multorum triangulorum diversæ speciei. Sed præcipuè animadvertendum est ideam illam generalem quam mens habet numeri illius infiniti diversæ speciei satis probare, quòd, si non concipiantur per ideas speciales omnia illa diversa triangula, uno verbo, si non concipiatur infinitum, id non provenit ex defectu idearum, aut ex eo quod infinitum nobis præsens non sit; sed tantùm ex eo quòd mens nostra satis non habeat capacitatis & extensionis. Si aliquis ad considerandas omnes omnium specierum triangulorum proprietates animum suum appelleret, licèt in id studii genus aternùm incumberet, ipsi quidem novæ & speciales ideæ non deficerent; sed ejus mens incassum defatigaretur.

Quæ de triangulis dicta sunt possunt adaptari figuris quinque, sex, centum, mille, decies mille laterum, & ita ad infinitum. Jam autem si latera trianguli quæ habent relationes infinitas inter se invicem faci-



ciant triangula innumerarum specierum, hinc manifestò patet figuras quibus sunt quatuor, quinque, aut decies centena millia laterum, posse suscipere differentias longè majores; cùm capaces sint longè majoris numeri relationum inter latera, quàm simplicia triangula.

Mens igitur videt hæc omnia: Illorum habet ideas: nec ipsam unquam deficient ideæ illæ, licèt infinita sæcula vel unicæ figuræ considerandæ infumeret; quòd si figuras illas infinitas primo intuitu non percipit, aut infinitum non capit; id ipsius extensioni spatiis admodum angustis inclusæ adscribendum. Numerum igitur idearum habet infinitum; quid dico infinitum? tot habet numeros idearum infinitos quot sunt diversæ figuræ; cùm igitur sit numerus infinitus diversarum figurarum, mens ut solas cognoscat figuras, numeros idearum infinite infinitos habere debet.

Jam autem quæro an sit verisimile Deum tot res creavisse cum mente humanâ. Id mihi quidem verisimile non videtur; præcipuè cùm id fieri possit aliâ ratione simplicissimâ & facillimâ, ut mox patebit. Cùm Deus enim agat juxta rationes simplicissimas, rationi congruum non videtur explicare quâ cognoscamus res objectas admittendo creationem innumerarum idearum, quandoquidem hæc difficultas modo simpliciori ad naturam magis accommodato solvi potest.

Sed licèt mens veluti armamentarium seu apothecam omnium idearum quæ ad res percipiendas ipsi necessariae sunt haberet, difficillimum tamen foret explicare quomodo mens posset illas seligere ad eas sibi repræsentandas, quomodo, exempli gratiâ, fieri posset ut solem sibi repræsentaret, dum præsens adesset oculis corporeis; Cùm enim imago quam sol imprimat cerebro non similis sit ideæ quam de illo habemus, ut id alibi probatum fuit, nec mens percipiat motum quem sol in internâ oculorum parte & in cerebro ciet; concipi nequit ipsam posse sine erroris periculo judicare, inter numerum illum infinitum idearum quas haberet, quænam sibi esset repræsentanda ad imaginandum aut videndum solem. Dicitur igitur non potest ideas rerum nobiscum creatas esse, idque sufficere ut res circumjacentes videamus.

Non est etiam quòd quis dicat Deum singulis momentis tot novas producere ideas quot varias res percipimus. Istæ opinio ex iis quæ hoc capite dicta sunt satis convellitur. Insuper necesse est ut omni tempore ideas omnium rerum in nobis habeamus, cùm omni tempore possumus velle cogitare de rebus omnibus: quod non possemus, nisi illas jam confusè perciperemus; hoc est, nisi numerus idearum infinitus menti nostræ obversaretur: Non possumus enim duci voluntate cogitandi de rebus quarum nullam habemus ideam.



## CAPUT V.

*Mentem nec essentiam nec existentiam rerum objectarum videre suas perfectiones considerando. Deum solum res objectas hoc modo percipere.*

Quarta opinio est, mentem nullâ aliâ re quàm seipsâ indigere ut res objectas percipiat; ipsamque, sese & perfectiones suas considerando, omnia externa posse percipere.

Mentem omnes sensationes & affectus quos potest suscipere, voluptatem, dolorem, frigus, calorem, colores, sonos, odores, sapes, amorem, odium, gaudium, tristitiam quibus movetur, & cæteros affectus in seipsâ & sine ideis videre constat; quia omnes mentis sensationes & affectus nihil repræsentant quod sit extra ipsam, sensationibus illis simile, & quia sensationes illæ modificationes duntaxat sunt quarum mens capax esse potest.

Sed quod hîc majorem includit difficultatem est scire, an ideæ quæ repræsentant aliquid extra mentem positum, quodque ipsis ideis simile est aliquatenus, quales sunt ideæ solis, domûs, equi, fluminis, &c. nihil aliud sint præter modificationes mentis; adeo ut mens nullâ aliâ re a se diversâ indigeat ad omnia sibi repræsentanda quæ extra ipsam sita sunt.

Vid. de  
veris &  
falsis ideis  
D. Arnaldii

Sunt qui asserere non dubitent animam utpote ad cogitandum factam, in se, hoc est, proprias considerando perfectiones, omnia habere quæ necessaria sunt ad percipiendas res objectas. Cum enim ipsa revera nobilior sit rebus omnibus quas distinctè concipit, eas *eminenter*, ut loqui amant Scholastici, aliquo modo continere dici potest, hoc est, modo sublimiori, & nobiliori quàm sunt in seipsis. Superiora hoc modo inferiorum perfectiones continere arbitrantur. Cum itaque sint nobilissimi inter omnes res conditas quas nôrunt, sibi tantum arrogat ut in se, modo spiritali, quicquid in mundo visibili extat habere, ac, sese variè modificando, quicquid mens humana cognoscere potest percipere posse autument. Uno verbo voluit mentem instar mundi intelligibilis esse, qui mundum materialem & sensibilem, immo multò plura in se complectitur.

Verùm qui istud cogitatum defendunt audacissimi mihi videntur; mentem ita confundit, ni fallor, ingenita vanitas, desideriumque a ne-

Vid. res-  
sponsa ad  
veras &  
falsas ideas,  
& ad 3.  
ac, Epistolam

† Serm. 8. de verbis Domini.



eiusdem  
Arnaldi.

ac, sese considerando, quæcunque produxit ac producere potest, solus videt.

\* Cùm essentia Dei in se habeat quicquid perfectionis habet essentia cuiusque rei alterius, & adhuc amplius, Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura cuiusque consistit secundum quod per aliquem modum naturam Dei participat.  
D. Thomas  
1. P. q. 14.  
art. 6.

Deum solum antequàm mundus conderetur existisse, ac mundum sine cognitione & ideâ producere non potuisse constat; unde sequitur ideas illas quas de mundo habuit ab ipso Deo non esse diversas; ac proinde omnes res conditas, eas etiam quæ maximè materiales & terrestres sunt, in Deo esse modo prorsus spirituali quem non possumus capere. \* Deus igitur in se omnia videt, suas perfectiones, quæ ea ipsi repræsentant, considerando. Eorum præterea existentiam perfectè cognoscit, cùm enim omnia ab ipsius voluntate pendeant ut existant; ipse verò proprias voluntates ignorare non possit, hinc sequitur iptum non posse ignorare illorum existentiam; atque ideo Deus non modò rerum essentiam sed earum etiam existentiam in se videt.

At verò res secus se habet de spiritibus creatis: Hi in se nec rerum essentiam nec earum existentiam videre queunt. Earum, inquam, essentiam in se videre nequeunt, cùm enim sint maximè finiti omnia in se non complectuntur, ut Deus, qui dici potest Ens universale, aut simpliciter ille qui est, (Jehovah †) ut seipsum appellat. Cùm igitur mens humana possit cognoscere omnia & etiam infinita, nec tamen illa contineat, hinc manifestò patet, ipsam illorum essentiam in se non videre. Mens enim non modò videt nunc hoc, nunc illud vicissim aut successivè, immo etiam percipit infinitum, licèt illud non complectatur, ut capite præcedenti diximus. Adeo ut cùm mens non sit infinita, nec infinitarum modificationum capax eodem tempore, fieri prorsus nequit ut in se videat quod in se non habet. Rerum igitur essentiam non videt proprias considerando perfectiones, aut sese variè modificando. Earum etiam existentiam in se non videt, quia ab ipsius voluntate non dependent ut existant, & quia ideæ rerum possunt adesse menti, quamvis res non existant. Omnes enim possunt habere ideam montis aurei, quàmvis in mundo nullus sit mons aureus. Et quamvis sensuum nostrorum testimonio ad iudicandum de existentia rerum objectarum nitamur, a ratione nostrâ non docemur in omnibus nos debere sensibus nostris fidere, cùm clarè comperiamus nos ab ipsis decipi. Quum, exempli gratiâ, aliquis sanguinem habet agitativissimum, aut etiam quum dormit, campos aliquando, prælia, & alia similia ob oculos habet, quæ tamen non sunt, nec forsàn unquam fuere. Constet igitur mentem nec in se nec per se videre existentiam rerum, sed ipsam hac in re ab aliquo alio pendere.

† Exod. 3. 14.



## CAPUT VI.

*Nos omnia in Deo videre.*

**C**apitibus superioribus quatuor varias rationes excussimus quibus mens videre potest res externas, quæ nobis verisimiles non videntur, superest quinta, quæ sola ad rationem accedere videtur, & ad id aptior ut cognoscamus quantum omnes spiritus pendeant a Deo in omnibus suis cogitationibus.

Ut id possit intelligi, revocanda sunt in memoriam ea quæ capite præcedenti dicta sunt, scilicet, necesse esse Deum in se habere ideas omnium quæ creavit, cum alioqui ea non potuisset producere, ac illum proinde videre ea omnia considerando perfectiones quas includit in se, & ad quas referuntur. Sciendum est præterea Deum cum mentibus nostris præsentiam suam arctissimè conjunctum esse; adeo ut Deus dici possit locus spirituum, quemadmodum spatium est locus corporum. His duobus positus certum est mentem id posse videre quod in Deo est quod repræsentat res creatas; cum id sit maximè spirituale, intelligibile, & menti præsentissimum. Mens itaque in Deo potest videre opera Dei, dummodo Deus velit ipsi reterege id quod in se habet quod illa repræsentat opera. Jam autem hæc sunt argumenta quæ probare videntur Deum id potius velle quàm creare numerum infinitum idearum in unaquaque mente.

Non modò ex ratione, verùm etiam ex œconomiâ totius naturæ liquet, Deum nunquam id facere per rationes difficiles quod fieri potest per rationes simplicissimas & facillimas. Deus nihil facit frustra & sine causâ. Suam non exerit sapientiam & potentiam parva viis difficilioribus modisque magnificis exequendo, id rationi repugnat & finitam arguit intelligentiam. In eo contrâ elucet sapientia & potentia Dei, dum magna modis simplicissimis & facillimis efficit. Hoc pacto ex solâ extensione quicquid admirabilis in rerum naturâ videmus producit; immo id etiam quod animalibus dat vitam & motum. Qui enim in brutis præfractè esse volunt formas substantiales, facultates & animas ab ipsorum sanguine & organis corporeis diversas, quibus omnes præstent functiones, volunt eadem ratione Deo summam non esse intelligentiam, aut ipsum non posse facere res tam mirabiles ex extensione solâ. Dei potentiam, summamque ipsius sapientiam ex mentis suæ tenuitate dimetiuntur. Cum igitur Deus possit per se omnia mentibus patefacere, volendo simpliciter ut videant id quod est intrâ ipsos seu in medio ipsorum, hoc est, id quod in ipso est quod relationem habet ad illas res, quòdque illas repræsentat, verisimile non est

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

Et ipsum



ipsum rem aliter facere, & ad illum finem obtinendum producere totidem infinitates numerorum infinitorum idearum quot sunt mentes creatæ.

Sed animadvertendum est non inde inferendum esse mentes videre essentiam Dei, ex eo quod omnia in Deo videant eo quo diximus modo. Quia id quod vident est valde imperfectum, Deus verò perfectissimus. Materiam vident divisibilem, figuratam, &c. in Deo verò nihil est divisibile aut figurati. Deus enim ipse est, ut ita loquar, omnia, quia est infinitus, ac in se omnia complectitur, nulla tamen est res specialis. Tamen id quod videmus nihil est præter unum aut plurima entia specialia, nec concipimus perfectam illam Dei simplicitatem quæ omnia complectitur. Præterquam quod dicere possumus, nos non tam videre ideas rerum quàm res ipsas quæ ideis repræsentantur. Cùm enim, exempli gratiâ, videmus quadratum, non dicimus nos videre ideam istius quadrati, quæ menti nostræ conjungitur, sed tantum quadratum extra nos situm.

Secunda ratio quæ nos eò adducere potest ut credamus, nos videre omnia, quia Deus vult ut id quod in ipso est quod eas res repræsentat nobis patefiat; non verò quia totidem habemus ideas creatas nobiscum quot res possumus videre, in eo consistit quòd hæc ratio res videndi mentes creatas faciat a Deo omnimodè pendentes. Hoc enim sic posito, non modò nihil possumus videre quin Deus velit nos id videre, verum etiam nihil possumus videre quin ipse id nobis videndum præbeat. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deus ipse erudit & illuminat Philosphos in cognitionibus quas homines ex ingrati animi motu naturales appellant, quamvis e cælo sint oriundæ. *Deus enim illis manifestavit.* Ipse propriè loquendo est lumen mentis & *Pater luminum.* Ipse est qui docet hominem scientiam. Uno verbo ipse *Lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Etenim satis difficile est distinctè assequi quæ a Deo in omnibus suis actionibus pendeant mentes nostræ, si supponantur habere quicquid distinctè cognoscimus ipsis esse necessarium ad agendum, aut si supponantur habere omnes ideas rerum præsentis. Ac sanè vox illa generalis & confusa *concurfus* quæ explicari solet quo pacto a Deo pendeant omnes res creatæ, in mente attentâ nullam excitat ideam distinctam; perquam utile tamen est homines distinctissimè cognoscere, se sine Deo nihil posse.

Verum argumentum validius quod nos in eam injicit sententiam positum est in ratione seu modo quo mens omnia percipit. Ex omnium hominum experienciâ constat, nos cùm de aliquâ re speciatim cogitare volumus, primò oculos in omnia Entia injicere, ac deinde rei de quâ cogitare volumus considerationi adhærere. Jam autem extra dubium est nos non posse teneri desiderio videndi aliquid quin id  
jam



jam videamus, quamvis confusè & modo quodam generali, adeo ut cum possimus duci cupiditate videndi omnia, nunc hanc nunc illam rem, inde certò sequatur omnia entia menti nostræ esse præsentia. Jam verò omnia entia menti adesse præsentia non posse videntur nisi quia ipsi præsens est Deus, hoc est ille qui in simplicitate sui omnia completitur.

Mens etiam sibi ideas universales generis, speciei, &c. repræsentare posse non videretur, nisi omnia entia in uno inclusa videret. Cum enim omnis res creata sit aliquod ens individuum, nemo potest dicere se aliquid creatum videre, cum videt, exempli gratiâ, triangulum in genere. Denique non putem quemquam posse rite rationem reddere modi quo mens multas cognoscit veritates abstrusas & generales, nisi per præsentiam illius qui potest illuminare mentem innumeris modis.

Denique argumentum \* existentiae Dei illustrissimum, nobilissimum, solidissimum, ac primum, aut quod a minori rerum numero pendet, ducitur ex ideâ quam habemus de infinito. Constat enim mentem percipere infinitum, quamvis illud non capiat; ipsamque habere ideam maximè distinctam Dei, quæ ipsi aliunde quàm ex conjunctione suâ cum Deo non potest suppetere, cum concipi nequeat ideam entis infinite perfecti, quæ est idea quam de Deo habemus, esse aliquid creati.

\* Videbis hoc argumentum fusè expostum in Libro sequenti, cap. XI.

Verùm mens non modò habet ideam infiniti, immò etiam illam habet ante ideam finiti. Nam infinitum concipimus ex eo duntaxat quod concipimus aliquid nullâ habitâ ratione an sit finitum an verò infinitum. Sed ut concipiamus aliquid finitum, aliquid necessariò detrahendum est de notione illâ generali quæ ideo præcedere debet. Mens itaque nihil percipit nisi in ideâ quam habet de infinito: Et tantùm abest ut idea illa formetur ex coacervatione confusâ omnium idearum rerum specialium, ut id contendunt Philosophi; ut omnes illæ ideæ speciales nil aliud sint quàm participationes ad ideam generalem infiniti; quemadmodum Deus existentiam a rebus creatis non accepit, cum potius omnes res creatæ non subsistant nisi per ipsum.

Ultimum argumentum, quod forsân demonstrationis vicem geret apud eos qui ratiociniis abstrusis assueti sunt, hoc est. Ideas efficaces esse certò constat cum in mentem agant, eamque illuminent, cumque eam felicem aut infelicem efficiant ex gratis aut ingratas perceptionibus quibus eam afficiunt; Jam verò nihil nisi mente superius in mentem immediatè potest agere, nemo ergo præter Deum solum in eam agere valet; Nemo enim præter ipsum nostrî authorem mentis nostræ modificationes mutare valet. Ergo necesse est ideas omnes nostras in efficaci Numinis substantiâ occurrere, quod ideo tantùm intelligibile est & nos illuminare potest, quia solum est quod valeat res intelligentes afficere. *Insinuavit nobis Christus, inquit Divus Augustinus, † animam*

† In Johan. Tract. 23.



*humanam & mentem rationalem non vegetari, non beatificari, non illuminari nisi ab ipsâ substantiâ Dei.*

Denique fieri nequit ut Deus in actionibus alium habeat finem præcipuum a se ipso diversum; Hæc est notio communis cuilibet attento: Ipsâque Scriptura non finit nos dubitare, quin Deus omnia fecerit propter seipsum. Necessè igitur est ut non modò amor noster naturalis, hoc est, motus quem in mente nostrâ producit, versùs ipsum tendat, sed præterea ut cognitio & lux quam ipsi impertitur aliquid nobis patefaciat quod in ipso sit: Quicquid enim a Deo oritur propter alium fieri non potest quàm propter Deum. Si Deus mentem faceret seu crearet ac ipsi daret pro ideâ solem, Deus, opinor, illam mentem & illius mentis ideam propter solem faceret, non verò propter se.

Lib. I. c. I.

Deus igitur non potest facere mentem ad cognoscenda opera sua, nisi mens illa videat aliquo modo Deum, videndo ipsius opera, adeo ut dicere possim, quòd si Deum aliquo modo non videremus, nihil prorsus videremus, quemadmodum si Deum non amaremus, hoc est, nisi Deus indefinenter in nobis imprimeret amorem boni in genere, nihil prorsus amaremus. Cùm enim amor ille sit nostra voluntas, nihil quicquam amare aut velle sine ipso possumus; cùm non possimus amare bona specialia, nisi determinando versùs illa bona motum amoris quem Deus dat nobis versùs se. Nihil quicquam itaque amamus, nisi per amorem necessarium quo erga Deum movemur, nihil videmus nisi per cognitionem naturalem quam de Deo habemus; atque omnes ideæ speciales quas de rebus creatis habemus, nihil aliud sunt quàm limitationes ideæ Creatoris, ut omnes motus voluntatis erga res creatas nihil sunt præter determinationes motùs versùs Creatorem.

Haud opinor quemquam esse inter Theologos qui non fateatur impios amare Deum illo amore naturali de quo sermo est: Immo Divus Augustinus & nonnulli alii Patres pro certo asserunt impios videre in Deo regulas morum, & veritates æternas. Aded ut illa quam expono sententia \* nemini molestiam creare debeat. Sic loquitur Divus Augustinus. † *Ab illâ incommutabili luce veritatis, etiam impius, dum ab eâ avertitur; quodammodo tangitur. Hinc est quòd etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi autem eas vident? Neque enim in suâ naturâ. Nam cùm procul dubio mente ista videantur, eorùmque mentes constet esse mutabiles, quis verò regulas immutabiles videat, has quis in eis & hoc videre poterit..... ubinam ergo sunt iste regulæ scriptæ, nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur unde lex omnis iusta describitur.....in quâ videt quid operandum sit etiam qui operatur inj: stitiam, & ipse est qui ab illâ luce avertitur & quâ tamen tangitur.* Apud Augustinum innumeri sunt loci huic con-

\* Vide præfationem colloquiorum de Metaphysicâ & responsa ad veras & falsas ideas c. 7. & 21. † L. 14. de Trinit. cap. 3.

f mi-



similes, quibus ille probat nos Deum videre etiam in hac vitâ, cognitione quam habemus veritatum æternarum. Veritas est increata, immutabilis, immensa, æterna, ac supra omnia transcendens. Vera est per se perfectionem suam a nullâ re habet. Illa res creatas reddit perfectiores, ac omnes spiritus ipsius cognitionem naturâ suâ investigant. Jam autem nihil præter Deum has omnes habere potest perfectiones. Ergo veritas est Deus; Jam verò veritates illas immutabiles videmus. Ergo Deum videmus. Hæc sunt Divi Augustini rationes, nostræ ab illis paulum differunt. Nec tanti viri autoritate immeritò niti ad nostram stabiliendam sententiam volumus.

Existimamus igitur veritates, eas etiam quæ æternæ sunt, ut bis duo sunt quatuor, ne res quidem absolutas esse, tantum abest ut credamus illas veritates esse Deum ipsum. Manifestum enim est hanc veritatem aliâ in re non consistere quàm in relatione seu analogiâ æqualitatis, quæ est inter bis duo & quatuor. Non dicimus itaque nos Deum videre, dum videmus veritates, ut id dicit D. Augustinus, sed dum videmus ideas illarum veritatum: ideæ enim sunt res veræ, sed æqualitas inter ideas, quæ est ipsa veritas, meræ relationes. Quum, exempli gratiâ, dico pannum quem metior constare tribus ulnis, pannus & ulnæ sunt quid re existens; sed æqualitas inter tres ulnas & pannum non est quid re existens, nihil est præter analogiam quæ reperitur inter tres ulnas & pannum. Quum dicimus bis duo esse quatuor, ideæ numerorum sunt res existentes quidem, sed æqualitas quæ est inter ipsos nihil est præter relationem. Itaque juxta hypothesin nostram videmus quidem Deum, quum videmus veritates æternas, non quòd illæ veritates sint ipse Deus, sed quia ideæ a quibus veritates illæ pendent sunt in Deo. Forsan & Divus Augustinus rem hoc intellexit modo. Credimus etiam cognosci in Deo mutabilia & corruptibilia, quamvis Divus Augustinus loquatur tantum de immutabilibus & incorruptibilibus; Ideo enim necesse non est ut aliqua ponatur in Deo imperfectio, cum sufficiat, ut jam diximus, Deum nobis patefacere id quod in se est quod ad hæc referatur.

Verum etiam si dicam nos in Deo materialia & sensibilia videre, attendendum tamen est me non dicere nos illa in Deo sentire, sed dico duntaxat sensum illum a Deo oriri qui agit in nobis; Deus enim sensibilia quidem novit, sed ea non sentit. Quum aliquid sensibile percipimus, in perceptione nostrâ deprehenditur sensatio, & idea pura. Sensatio est modificatio mentis nostræ, Deus verò illam in nobis parit, atque illam potest parere, quamvis non habeat ipsam, quia videt in ideâ quam habet mentis nostræ, ipsam istius sensationis esse capacem. Idea verò quæ cum sensatione conjuncta reperitur in Deo est, illamque videmus quia ipsi lubet illam nobis retegere. Deus verò jungit sensationem ideæ, quum res externæ sunt præsentis ut eas esse præsentis credamus, eosque sensus & affectus induamus quos habere debemus respectu earum rerum.



Credimus denique omnes mentes videre leges æternas æquè ac cætera in Deo, sed cum aliquâ differentiâ. Cognoscunt ordinem & veritates æternas, atque etiam ea quæ Deus fecit secundum veritates illas aut secundum ordinem. Illa, inquam, cognoscunt mentes per conjunctionem quam necessariò habent cum verbo, aut cum sapientiâ Dei quæ ipsas illuminat, ut id modò expositum fuit. Verùm per impressionem quam recipiunt indefinenter a voluntate Dei, qui ipsas versùs se fert, & conatur, ut ita loquar, ipsarum voluntatem suâ prorsus similem reddere, per illam, inquam, impressionem cognoscunt ordinem esse legem, hoc est cognoscunt leges æternas, ut, amandum esse bonum, malum verò fugiendum; justitiam omnibus divitiis esse anteponendam; Deo quàm hominibus satius esse obedire, & innumeras alias leges naturales. Nam cognitio harum omnium legum non differt a cognitione hujus impressionis quam in seipsis semper sentiunt, quamvis ipsam non semper sequantur, optione liberâ voluntatis suæ; quàmque nòrunt esse communem omnibus mentibus, quamvis non sit æquè fortis in omnibus.

Per hanc submissionem, convenientiam & conjunctionem mentis nostræ cum Verbo Dei, & voluntatis nostræ cum amore ipsius formati fuimus ad imaginem & similitudinem Dei. Et quamvis illa imago peccato non parum deleta fuerit, necesse tamen est ut tamdiu subsistat quamdiu nos superflites sumus, sed si feramus imaginem verbi humiliati in terrâ, ac si sequamur afflatus Spiritûs sancti, imago illa pristina prioris creationis nostræ, conjunctio illa mentis nostræ cum Verbo Patris, & cum amore Patris & Filii restituetur, & indelebilis fiet. Similes Deo erimus, si similes fiamus Θεοῦ ὁμοίωται. Denique Deus erit totus in nobis nos verò toti in illo, modo longè perfectiori quàm quo necesse est nos in ipso esse, & ipsum in nobis, ut subsistamus.

Vide illustrationes, responsa ad falsas & veras ideas, duo prima de Metaphysicâ colloquia, responsum ad D. Regisium & præcipuè ad Arnaldum. Hic clariùs forsitan expostam reperies sententiam meam.

Hæc sunt aliquot argumenta quæ possunt persuadere mentes percipere omnia per præsentiam intimam illius qui omnia complectitur in simplicitate sui. Unusquisque de re illâ seriò examinatâ judicabit prout intus convincetur, sed credimus nullam esse verisimilitudinem in cæteris rationibus istæc explicandi, hanc verò postremam explicationem plusquàm verosimilem cuilibet apparituram. Hoc pacto mentes nostræ à Deo omnimodè dependent. Nam quemadmodum ipse in iis excitat dolorem, voluptatem, & cæteras sensationes per conjunctionem naturalem quam instituit inter illas & corpora nostra, quæ conjunctio nihil aliud est quàm ipsius decretum, & voluntas generalis: ita ipse est qui conjunctioe naturali quam etiam instituit inter voluntatem hominis, & repræsentationem idearum quas includit immensitas naturæ Divinæ, ipsis notificat omnia quæ cognoscunt, atque ista quoque conjunctio naturalis nihil est quàm ipsius voluntas generalis, adeo ut ipse solus possit nos illuminare, nobis omnia repræsentando; quemadmodum ipse solus potest nos reddere beatos; in nobis pariendo sensum seu gustum omnigenarum voluptatum.

Stet



Stet igitur illa sententia, Deum esse mundum intelligibilem, aut locum spirituum, ut mundus materialis est locus corporum. Ab ipsius potentiâ spiritus suas accipere modificationes; in ipsius sapientiâ suas omnes reperire ideas, atque per ipsius amorem illos agitari omnibus motibus ordinatis; quia autem ipsius potentia & amor ab ipso non differunt, credamus cum Divo Paulo, ipsum ab unoquoque nostrum non esse longinquum, nosque in ipso habere vitam, motum, & esse. *Non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur & sumus.*

Act. Apost.  
c. 17. v. 28.

CAPUT VII.

I. *Quatuor diversæ rationes res videndi.* II. *Quomodo Deus cognoscitur.* III. *Quomodo corpora cognoscuntur.* IV. *Quomodo unusquisque suam mentem cognoscit.* V. *Quomodo mentes cæterorum hominum & puri spiritus cognoscuntur.*

**U**T contrahatur & illustretur quam mox statuimus sententia de ratione quâ percipit mens ea quorum acquirit cognitionem, necesse est me distinguere in ipsâ quatuor cognoscendi modos.

I.  
*Quatuor rationes res videndi.*

Primus est quo res per seipsas cognoscit.

Secundus quo illas cognoscit per ideas ipsarum, hoc est, ut rem hinc intelligo, per aliquid diversum a rebus ipsis.

Tertius quo res cognoscit per *conscientiam*, seu per sensum internum.

Quartus quo illas cognoscit per conjecturam.

Res per se & sine ideis cognoscuntur, cum ita sunt intelligibiles & claræ, ut mentem penetrare, ac ipsi sese prodere possint. Intellectus enim mentis est facultas merè passiva, cum sola voluntas sit activa; ipsa ejus desideria idearum non sunt veræ causæ, sed earum præsentia occasionales modò seu naturales causæ, propter naturales illius conjunctionis leges quâ mens nostra cum ratione universâ conjuncta est, ut alibi explicabo. Res per ideas suas cognoscuntur, cum per se non sunt intelligibiles, sive quia non sunt corporeæ, sive quia non possunt mentem afficere, aut sese ipsi prodere. Res omnes quæ a nobis ipsis non distinguuntur per conscientiam cognoscuntur. Denique cognoscimus per conjecturam res quæ & a nobis & ab iis etiam differunt rebus quæ per se & per ideas cognoscuntur, ut cum cogitamus quædam esse similia nonnullis aliis quæ jam cognoscimus.

Deus solus per seipsum cognoscitur, quamvis enim sint alii præter ipsum spiritus, qui naturâ suâ intelligibiles esse videntur, ipse tamen solus in mentem agere, ac sese ipsi aperire potest. Deum solum videmus.

II.  
*Quomodo Deus cognoscitur.*

mus.



Humanis  
mentibus  
nullâ inter-  
positâ natu-  
râ præfidet.  
*Aug. de ve-  
ra religio-  
ne, c. 55.*

mus visu immediato & directo. Ipse solus potest illuminare mentem per propriam substantiam. Denique in hac vitâ quicquid cognoscimus illud duntaxat per conjunctionem quam cum ipso habemus cognoscere possumus, ut capite præcedenti exposuimus: Ipse enim solus est magister noster qui menti nostræ præest, sine ullius rei creatæ interventu, juxta D. Augustinum.

Concipi nequit rem ullam creatam repræsentare posse infinitum; concipi, inquam, nequit naturam nullis circumscriptam limitibus, immensam, universalem posse percipi per ideam, hoc est, per rem specialem, per rem diversam ab illâ naturâ universali & infinitâ. Res verò speciales quod spectat, nullo negotio concipimus illas posse repræsentari per Deum infinitum qui eas includit in efficacissimâ adeoque maximè intelligibili suâ substantiâ. Necessè itaque est dicere cognosci Deum per seipsum, quamvis cognitio quam in hac vitâ adipiscimur sit admodum imperfecta; corporea verò cognosci per suas ideas, hoc est, in Deo, quandoquidem in Deo, qui mundum complectitur intelligibilem reperiuntur ideæ rerum omnium.

Sed licet hæc omnia in Deo videri possint, non sequitur illa omnia in ipso videri: Ea tantum in Deo videmus quorum habemus ideas, jam autem quædam sunt quæ a nobis sine ideis videntur.

III.  
*Quomodo  
cognoscun-  
tur corpora.*

Quæcunque in hoc mundo existunt, quorum habeamus aliquam cognitionem, sunt corpora, vel spiritus, corporum proprietates, vel spirituum proprietates. Non dubium est quin videantur corpora cum suis proprietatibus per suas ideas; cum enim non sint intelligibilia per se, ea non possumus videre nisi in eo qui ea includit modo intelligibili. In Deo itaque, & per ideas suas a nobis conspiciuntur corpora cum suis proprietatibus; atque hinc est quòd cognitio quam de illis habemus sit perfectissima: hoc est, quòd idea quam de extensione habemus sufficiat ut cognoscamus omnes proprietates quas suscipere potest extensio, quòdque non possimus desiderare ideam distinctiorem & fecundiorum extensionis, figurarum, & motuum, eâ quam nobis dat Deus de illis.

Cum ideæ rerum quæ in Deo sunt omnes rerum illarum proprietates includant, qui ipsarum videt ideas, successivè etiam videre potest illarum rerum proprietates: cum enim videmus res ut sunt in Deo, eas semper modo perfectissimo videmus: atque ille modus esset infinite perfectus, si mens quæ res eo videt modo esset infinita. Quod deest cognitioni quam habemus de extensione, figuris, & motibus, non est defectus ideæ quæ nobis illam extensionem repræsentat, sed mentis nostræ quæ illam considerat.

IV.  
*Quomodo  
nostram co-  
gnoscimus  
mentem.*

Res secus se habet de mente, illam non cognoscimus per ideam suam; illam in Deo non videmus; illam tantum per conscientiam cognoscimus; & hanc ob causam cognitio quam de illa habemus est imperfecta. Nihil de mente nostrâ scimus quàm quod sentimus agi in nobis.



nobis. Si nullum unquam dolorem, calorem sensissemus, non possemus scire an mens nostra esset apta ad has sensationes, quia illa a nobis non cognoscitur per ideam suam. Sed si in Deo videremus ideam quæ menti nostræ responderet, eodem tempore cognosceremus, aut possemus cognoscere omnes proprietates quas habere posset: ut cognoscimus omnes proprietates quas habere potest extensio, quia cognoscitur extensio per ideam suam.

Verum quidem est nos satis cognoscere per conscientiam, seu per sensum internum quem de nobismetipsis habemus, mentem nostram esse quid præstantissimi: sed fieri potest ut id quod de illâ cognoscimus nihil sit præ eo quod est in se ipsâ. Si de materiâ nihil cognosceretur præter viginti aut triginta figuras quibus modificata fuisset, certè de eâ nihil penè cognosceretur præ eo quod de eâ cognoscimus per ideam quâ repræsentatur. Ut igitur mens perfectè a nobis cognoscatur illud tantum tenere non sufficit quod de illâ tenemus per solum sensum internum, cum conscientia quam de nobis ipsis habemus forsân nobis tantum ostendat minimam nostri partem.

Ex supra dictis concludere est, quamvis distinctius mentis nostræ existentiam cognoscamus quàm corporis nostri & eorum quæ nobis adjacent, naturam tamen mentis non tam perfectè a nobis cognosci quàm naturam corporum; atque ex iis conciliari possunt diversæ eorum sententiæ qui nihil melius cognosci afferunt quàm mens noscitur, aut qui contra nihil eâ magis ignotum esse defendunt. Vide illustrationes.

Id etiam prodesse potest ad probandum ideas, quæ nobis aliquid extra nos repræsentant, non esse modificationes mentis nostræ. Si enim mens omnia videret suas considerando modificationes, naturam suam clariùs cognoscere deberet quàm naturam corporum, omnèsque sensationes & modificationes quas potest suscipere, quàm figuras, aut modificationes quas corpora possunt recipere. Non cognoscit tamen se capacem esse talis sensationis sese videndo aut sui ideam consulendo, sed experientiâ tantum, cum contra cognoscat extensionem esse capacem numeri infiniti figurarum per ideam quam habet de extensione. Immo sunt quædam sensationes, ut colores, & soni, de quibus plerique homines non possunt cognoscere, an sint modificationes mentis: sed nullæ sunt figuræ quas omnes homines per ideam quam habent de extensione non cognoscant esse corporum modificationes.

Ex eo etiam patet ratio cur non possit dari definitio, quæ modificationes mentis patefaciat, cum enim nec mens, nec ipsius modificationes per ideas cognoscantur, sed tantum per conscientiam, seu sensus internos, cumque ejusmodi sensus, voluptatis, exempli gratiâ, doloris, caloris, &c. vocibus quibusdam non alligentur; hinc manifestò patet quòd si quis nullum unquam vidisset colorem, nullum sensisset calorem, non possent illi patefieri istæ sensationes per omnes



definitiones quæ ipsi de illis traderentur. Cùm autem homines sensationes non habeant nisi propter corpus, ipsorum verò corpus in omnibus eodem modo non sit dispositum, sæpe contingit ut voces sint æquivocæ; ut voces quibus utimur ad exprimendas modificationes mentis nostræ aliud prorsus significant quàm quod indicare volumus; utque amaritudinis cogitationem sæpe excitemus dum dulcedinis ideam injicere quærebamus.

Quamvis mentis nostræ perfectam non habeamus cognitionem, cognitio tamen quam habemus sufficit ad demonstrandam ipsius immortalitatem, spiritualitatem, libertatem, & nonnulla alia attributa quæ nos scire necesse est: & hac de causâ Deus ipsius cognitionem in nobis non parit per ideam, ut parit cognitionem corporum. Cognitionis quam de mente nostrâ habemus per conscientiam imperfecta quidem est, id lubens fateor, sed non est falsa: vice versâ cognitio quam de corporibus habemus per sensum, seu per conscientiam, si conscientia demum dici possit sensus eorum quæ aguntur in corpore nostro, non modò imperfecta est verum etiam falsa. Idea igitur corporum nobis erat necessaria ad corrigendos sensus quos de illis habemus: sed non indigemus ideâ mentis nostræ, cùm conscientia quam de illâ habemus nos in errorem non injiciat, cùmque, ut errorem in ipsius cognitione vitemus, sufficiat nobis illam cum corpore non confundere quod ratione assequi possumus. Denique si ideam mentis nostræ æquè claram habuiffemus ac est illa quam habemus de corpore, hæc idea nos æquo facilius ad id adduxisset ut illam a corpore separatam consideraremus. Atque hoc modo minuisset conjunctionem mentis nostræ cum corpore, impediendo quominus illam judicaremus veluti diffusam per omnia membra, quod ulterius non explico.

V.  
Quomodo  
aliorum ho-  
minum  
mens co-  
gnoscatur.

Ex iis omnibus quæ cognoscere possumus nihil ampliùs superest præter mentes cæterorum hominum, & puras intelligentias; jam verò manifestum est nos illas non cognoscere nisi per conjecturam. Illas nunc non cognoscimus in seipsis, neque per ideas ipsarum, & cùm a nobis differant, fieri nequit ut illas cognoscamus per conscientiam. Conjicimus mentes cæterorum hominum ejusdem esse speciei ac nostram. Quod in nobis sentimus id etiam eos in se sentire existimamus; immo cùm sensationes illæ nullam cum corpore habent analogiam, pro certo habemus nos non decipi: quia in Deo quasdam videmus ideas & leges immutabiles, juxta quas certò scimus Deum agere æqualiter in omnibus mentibus.

Ego scio bis duo esse quatuor, præstare esse justum quàm esse divitem, nec fallor cum alios credo hæc cognoscere veritates sicut ego eas cognosco. Ego amo bonum & voluptatem, odi malum & dolorem, beatus esse cupio, nec hallucinor, cùm credo homines, Angelos, & ipsos cæcodaemonas iisdem motibus affici. Certò etiam apud me constat Deum nullas unquam creaturam mentes quæ beatitudinem non appetant,

aut



aut quæ infelicitatem possint appetere : sed id scio cum evidentia & certitudine quia Deus id me docuit : Quis enim præter Deum consilia & voluntates Dei posset mihi reterege? At verò cum corpus aliquid commune habet cum iis quæ in me aguntur, tum penè semper fallor, si de aliis per me ipsum judicem, sentio calorem, video talem magnitudinem, talem colorem; gusto talem aut talem saporem admotis ad me quibusdam corporibus : decipior si hac in re de aliis per me ipsum judicem. Quibusdam affectibus obnoxius sum, talia aut talia mihi grata, aut ingrata sunt, alios autem mihi in hoc similes judico; conjectura mea sæpe falsa est. Itaque cognitio quam de cæteris hominibus habemus errori est valde obnoxia, si de illis tantum judicemus per sensum quem de nobis ipsis habemus.

An aliqua sint res creatæ diversæ a Deo, a nobis ipsis, a corporibus, & a puris intelligentiis, id quidem nobis non innotescit; alias dari vix possumus credere, & expensas quorundam Philosophorum, qui secus sentiunt, rationes falsas comperimus; atque illud nos in eâ in quâ jam eramus sentiendâ confirmavit, scilicet, cum omnes simus homines ejusdem naturæ, nos habere easdem ideas, quia nobis omnibus opus est eadem cognoscere.

CAPUT VIII.

I. *Præsentia intima ideæ vagæ entis in genere est causa omnium abstractionum inordinatarum mentis, & plerarumque chimærarum Philosophiæ vulgaris, quæ impediunt quominus multi Philosophi agnoscant soliditatem verorum principiorum Physices.* II. *Exemplum de essentiâ materiæ.*

**P**Ræsentia illa clara, intima, & necessaria Dei, hoc est, entis indeterminate intellecti, entis in genere, quæ menti humanæ obversatur, in ipsam fortiùs agit quàm præsentia omnium rerum finitarum quæ se ipsi objiciunt. Fieri nequit ut penitus excutiat ideam illam generalem entis, quia non potest subsistere extra Deum. Forsan quis posset dicere mentem humanam ab illâ ideâ recedere posse, quia potest cogitare de entibus specialibus; sed is hallucinaretur. Quum enim considerat aliquod ens speciatim, non tam a Deo recedit, quàm accedit, si fas sit ita loqui, ad certas quasdam ipsius perfectiones, recedendo a cæteris omnibus. Tamen ita ab illis recedit ut eas a se prorsus non eliminat, ac in eo semper versetur statu ut possit illas inquirere, & ad eas accedere. Illæ semper præsentæ sunt menti, sed

I.  
Præsentia  
intima ideæ  
vagæ entis  
in genere est  
causa om-  
nium ab-  
stractionum  
inordina-  
tarum men-  
tis,  
& plera-  
rumque chi-  
mærarum  
Philosophiæ  
vulgaris,



*quæ impe-  
diunt quo-  
minus multi  
Philosophi  
agnoscant  
soliditatem  
verorum  
principio-  
rum Physi-  
ces.*

mens eas non percipit nisi cum confusione inexplicabili, propter sui tenuitatem & magnitudinem ideæ entis. De se quidem aliquis per ali- quod tempus potest non cogitare, sed non puto quemquam posse sub- sistere unicum temporis momentum quin cogitet de ente; immo eo ipso tempore quo nos nihil cogitare credimus, necessario pleni sumus ideâ vagâ & generali entis. Sed quia res quæ nobis valde familiares sunt, quæque nos non tangunt, mentem vividè non excitant, ipsam- que ad id non adigunt ut ad eas attendat; idea illa entis quantumvis magna, vasta, & vera sit, nobis adeo familiaris est, nôsque ita parum afficit, ut eam nos non percipere penè arbitremur; ad illam animum non advertamus; ipsam vix existere credamus, nec aliunde formari quàm ex congerie confusâ omnium idearum specialium; quamvis contrà in ipsâ solâ & per ipsam solam omnia entia speciatim perci- piamus.

Quamvis idea illa, quam recipimus per conjunctionem immediatam cum Verbo Dei, nos nunquam fallat per se, ut fallere solent ideæ quas recipimus propter conjunctionem quam cum corpore nostro habe- mus, quæ res alias nobis repræsentant quàm sunt; Ausim tamen dicere nos rebus optimis adeo perperam & sinistrè uti, ut præsentia indelebi- lis hujus ideæ sit una inter præcipuas causas omnium abstractionum inor- dinatarum mentis, ac proinde totius illius Philosophiæ abstractæ & chimæ- ricæ quæ omnes naturæ effectus explicat per generales voces actûs, potent- iæ, effectûs, formarum substantialium, facultatum, qualitatum occulta- rum, sympathiæ, antipathiæ, &c. Constat enim omnes illas voces mul- tasque alias nullas in mente excitare ideas præter ideas vagas & genera- les; hoc est ideas quæ menti per se objiciuntur, sine ullo negotio & absque mentis applicatione.

Legantur attentè, quantum id fieri potest, omnes definitiones & ex- plicationes quæ adscribi solent formis substantialibus: fiat accuratissima disquisitio essentiæ omnium illarum entitatum quas Philosophi pro lubi- tu ac tanto imaginantur numero, ut illarum multas divisiones & sub- divisiones facere cogantur; certè ausim dejerare nullam aliam ideam de istis omnibus in mente excitatum iri quàm ideam entis & causæ in genere.

Sic enim vulgò procedunt Philosophi, aliquem novum vident effe- ctum, continuo imaginantur novam aliquam entitatem quæ illum pro- duxerit effectum. Ignis calefacit: Ergo in igne est nova quædam en- titas quæ istum edidit effectum, quæ differt a materiâ quâ constat ignis. Quia autem ignis varios effectus perinde producere valet, ut exempli gratiâ, corpora segregat, illa in cinerem & vitrum redigit, exsiccat, indurat, emollit, dilatat, purificat, illuminat, &c. tot liberaliter ad- scribunt igni facultates, aut qualitates reales, quot potest varios produ- cere effectus.

Sed



Sed verò si quis ad omnes attendat definitiones quas de illis facultatibus tradunt, is facilè agnoscat illas nihil esse præter definitiones Logicas, nullàsque ideas in mente excitare quàm ideam entis & causæ in genere quam mens refert ad effectum qui producitur; adeo ut qui illis definitionibus diu studuerit doctior evasurus non sit. Quid enim emolumenti ex illo studii genere provenit? illud scilicet, quòd ea se meliùs tenere credant quæ tamen longè minùs tenent: non modò quia multas admittunt entitates quæ nunquam extitere; sed etiam quia ejusmodi homines jam præoccupati non possunt postea concipere, quomodo fieri queat ut materia sola, qualis est materia ignis, cum movetur versùs corpora variè disposita, in iis varios producat effectus quos ab igne produci videmus.

Apud omnes in lectione paulum exercitatos constat, omnes ferme libros qui de scientiis agunt, ac illos præcipuè qui de Physicâ, Medicinâ & Chymiâ, & de omnibus rebus specialibus naturæ, ratiociniis esse refertos quæ tota nituntur qualitatibus elementaribus, & qualitatibus secundis, ut *attractricibus*, *retentricibus*, *concoëtricibus*, *expultrici- bus*, & aliis similibus, item aliis quas vocant occultas; virtutibus specificis, multisque aliis entitatibus quas homines componunt ex ideâ generali entis, & ex ideâ causæ effectûs quem vident. Quod non aliunde contingere mihi videtur quàm ex facilitate quâ possunt considerare ideam entis in genere quæ semper ipsorum menti præsens est, per præsentiam intimam illius qui omnia in se includit.

Si Philosophi vulgares contenti essent tradere Physicam suam duntaxat tanquam Logicam, quæ suppeditaret voces idoneas ad loquendum de rebus naturæ, ac eos non lacefferent qui hisce vocibus alligant ideas distinctas & speciales quibus intelligi possint, nihil esset in ipsorum agendi ratione quod vitio vertere possemus. Sed ipsi aggrediuntur explicare naturam per ideas istas generales & abstractas; quasi natura esset abstracta: Et præfractè volunt Physicam Aristotelis sui Magistri esse veram Physicam, quæ res penitus explicet, non verò simplicem Logicam, quamvis nihil non inepti contineat præter definitiones quasdam ita vagas, & voces ita generales, ut cuilibet Philosophiæ possint competere. Denique in gratiam illarum entitatum imaginariarum, idearumque vagarum, & indeterminatarum quæ ipsis sponte in mentem veniunt, adeo occæcati sunt, ut inepti profus sint ad veras rerum ideas satis diu & accuratè considerandas, ut illarum soliditatem & evidentiam possint agnoscere: atque hinc manat supina illa ignorantia in quâ versantur circa vera principia Physices. Sed rem exemplo aliquo probemus.

Apud Philosophos id, ni fallor, in confesso est, nempe, id habendum esse pro essentiâ alicujus rei, quod in illâ re primum cognoscitur, quod ab eâ inseparabile est, & a quo omnes illius rei proprietates dependent. Ut itaque deprehendatur quâ in re consistat essentia

II.  
De essentia  
materiae.  
Si hæc de-  
finitio re-



*cis(essentia)* materiae, omnes proprietates quae ipsi conveniunt, aut quae includuntur in ideâ materiae perlustrandae sunt: ut durities, mollities, fluiditas, motus, quies, figura, divisibilitas, impenetrabilitas, & extensio, ac primò inspiciendum quodnam sit inter illa attributa quod a materiâ sit inseparabile. Sic, cum fluiditas, durities, mollities, motus & quies possint separari a materiâ, quia multa sunt corpora sine duritie, aut sine fluiditate, aut sine mollitie, sine motu, sine quiete; hinc sequitur manifestò illa omnia non esse essentialia materiae.

*quod si non admittatur, nihil amplius est præter quaestio-*  
*nem nominis, scilicet, quâ in re consistat essentia materiae, seu potius id suo quaestio-*  
*nem ca-*  
*dere ne-*  
*quit.*  
 Sed quatuor adhuc supersunt quae a materiâ inseparabilia concipiuntur, nempe, figura, divisibilitas, impenetrabilitas, & extensio. Ut itaque cognoscatur quodnam attributum debeat accipi pro essentiâ, hæc attributa non amplius a materiâ separanda sunt; sed duntaxat examinandum quodnam eorum sit primum, nec ullum aliud supponat. Tum facile est cognoscere, figuram, divisibilitatem, & impenetrabilitatem supponere extensionem, extensionem verò nihil supponere; illâ enim semel datâ, dantur eodem tempore divisibilitas, impenetrabilitas & figura. Itaque concludendum est extensionem esse essentiam materiae; si modò materia nulla habeat attributa, præter ea quae designavimus, aut alia similia; nec putem quemquam esse qui rem seriò meditatus eam in dubium revocet.

Sed in eo sita est difficultas, ut, nempe, sciamus an materia adhuc non habeat alia attributa ab extensione, & iis quae ab illâ dependent diversa; adeo ut ipsa extensio ipsi non sit essentialis, supponatque aliquid quod ipsius sit principium & subiectum.

Non pauci autem consideratâ attentissimè ideâ quam de materiâ habebant, per omnia attributa quae de illâ cognoscuntur atque expensis etiam naturæ effectibus, quantum per vires & capacitatem mentis licet, id altè sibi persuaserunt, nempe, extensionem nihil quicquam supponere in materiâ, sive quia ideam distinctam & specialem non habuerunt rei illius quae extensionem præcedere credi posset, sive etiam quia nullum viderunt effectum qui rem illam præcedentem probaret.

Quemadmodum enim ut quis sibi persuadeat horologium nullam habere entitatem diversam a materiâ ex quâ compactum est, sufficit ipsum scire quomodo varia rotarum dispositio omnes horologii motus potest producere, ipsûmque præterea nullam habere ideam distinctam illius rei quae posset esse causa horum motuum, quamvis plures e Logica petantur; Sic, quia Philosophi ideam distinctam non habent illius rei quae posset esse in materiâ, si ab eâ extensio detraheretur, quia nullum vident attributum quod eam rem possit notam facere, quia præterea vident extensione datâ omnia etiam dari attributa quae ad materiam pertinere concipiuntur; & materiam nullius effectûs causam esse, quem non concipiamus posse produci ab extensione variè configuratâ & variè agitatâ, hinc pro certo habuerunt extensionem esse essentiam materiae.



Sed quemadmodum nullâ certâ demonstratione convincuntur, non dari aliquam intelligentiâ creatam in rotis horologii; ita nemo potest sine speciali recens ferere tanquam demonstrationem Geometricam, nihil esse in lapide præter extensionem diversè configuratam: fieri omnino potest ut extensio conjuncta sit cum aliquâ aliâ re quam non concipimus, quia nullam illius habemus ideam, quamvis simul id credere & asseverare videatur valde absurdum; absurdum enim est ea asserere quæ nec scimus, nec concipimus.

Supponamus tamen aliud quid esse ab extensione diversum in materiâ, id certè non impedit, si res seriò animadvertatur, quò minus extensio sit essentia materiæ, juxta definitionem modò traditam. Prorsus enim necesse est, ut quicquid est in mundo sit vel ens, vel modus entis; id ab ingenio attento negari nequit. Jam autem extensio non est modus entis, ergo est ens. Sed cum materia non sit ens constans ex pluribus entibus, ut homo, qui constat ex corpore & mente; hinc sequitur materiam esse unicum ens, ac proinde ipsam nihil aliud esse quam extensionem.

Jam ut probem extensionem non esse modum entis, sed verum ens, animadvertendum est non posse concipi modum entis, quin eodem tempore concipiatur ens cujus est modus; non potest, exempli gratiâ, concipi rotunditas, quin concipiatur extensio, cum enim modus entis nihil aliud sit quàm ipsum ens sic modificatum, rotunditas exempli gratiâ ceræ nihil aliud sit quàm cera hoc modo disposita, constat concipi non posse modum entis sine ipso ente. Si igitur extensio esset modus entis, non posset concipi extensio sine illo ente cujus extensio esset modus. Extensio tamen sola facillimè concipitur. Ergo non est modus ullius entis, ac ideo in seipsâ est ens. Itaque constituit essentiam materiæ, cum materia sit unicum ens, non verò ens compositum ex multis entibus, ut jam dictum est.

Sed complures Philosophi ideis generalibus & entitatibus Logicæ ita sunt affueti, ut ipsorum mens iis magis occupetur, quàm ideis sibi peculiaribus, distinctis, & Physicis. Id vel ex eo patet quòd omnia ipsorum ratiocinia circa res naturales nitantur duntaxat notionibus Logicis, actûs & potentiæ, & numeri infiniti entitatum imaginariarum, quas non discernunt a veris. Cum igitur istius commatis homines per eam methodum mirâ facilitate quilibet videant, arbitrantur, se cæteris visu perspicaciori præpollere, seque clarissimè videre extensionem supponere aliquid, ipsamque nihil aliud esse quàm proprietatem quâ etiam spoliari potest.

Si tamen ab ipsis postulatur ut eam rem explicent quam percipere sibi videntur in materiâ præter extensionem; id multis exequuntur rationibus, quæ omnes ostendunt ipsos nullam aliam habere ideam quàm ideam entis, aut substantiæ in genere. Id manifestò patet ex



eo quòd illa idea entis in genere ~~est~~ <sup>est</sup> ex materiâ detrahas extensionem ; quæ materiâ ~~est~~ <sup>est</sup> omnésque proprietates quæ ad ipsam pertinere concipiuntur ab ipsâ detrahuntur , licèt in ipsâ relinqueres rem illam quam ipsius esse essentiam imaginantur : Certè ex eâ non possent fieri cœlum , terra , nec quicquam eorum quæ videmus. Contrà verò , si detrahatur id quod volunt esse essentiam materiæ , dummodo extensio residua superfit , supererunt etiam omnia attributa omnésque proprietates quæ distinctè in ideâ materiæ includi concipiuntur : Nam ex extensione possunt haud dubiè formari cœlum , terra , totus mundus adspectabilis , & infiniti alii. Itaque cùm res illa , quam supponunt præter extensionem , nulla habeat attributa quæ ad ipsam pertinere distinctè concipiuntur , quæque clarè includantur in ipsius ideâ , ea res nihil est reale , si rationem consulas ; nec potest quicquam conferre ad explicandos effectus naturales. Quod verò dicunt rem illam esse *subjectum* & *principium* extensionis id dicunt gratis , nec clarè concipiunt id quod dicunt , hoc est , nullam illius habent ideam præter ideam generalem & Logicam , ideam , scilicet , *subjecti* & *principii* ; adeo ut novum adhuc possët fingi *subjectum* , novúmque *principium* istius *subjecti* extensionis , & sic in infinitum ; quia mens sibi pro lubitu repræsentat ideas generales *subjecti* & *principii*.

Verissimile quidem est homines ideam materiæ sine gravibus causis tantopere non obscuraturos fuisse , multósque esse qui sententias nostris adversas defendant propter quædam Theologiæ dogmata. Sanè extensio non est essentia materiæ , si id fidei repugnat ; Huic autoritati planè credimus. Debilitatis & limitationis ingenii humani fati , Dei gratiâ , conscii sumus. Novimus illud fati non habere capacitatis ut potentiam infinitam metiri queat , Deum infinitè plura posse quàm concipere valemus , ipsum dare nobis ideas ad ea duntaxat cognoscenda quæ fiunt secundùm ordinem naturæ , cætera verò nos celare. Semper igitur parati sumus ad ingenium fidei submittendum ; sed aliis opus est argumentis quàm iis quæ vulgò afferuntur ad destruendas rationes supradictas ; quia modi explicandorum fidei mysteriorum ad fidem non pertinent ; illa enim mysteria creduntur , quamvis modum ipsorum posse unquam liquidò explicari non concipiamus.

Credimus , exempli gratiâ , mysterium Trinitatis , quamvis mens humana illud capere non possit ; & id non obstat quò minùs credamus ea quæ a tertio non differunt , inter se non differre , quamvis hæc propositio istud mysterium videatur destruere. Persuasum enim habemus utendum non esse ratione seu mente , nisi circa res ipsius capacitati accommodatas , mysteriaque nostra non esse irretorto oculo spectanda , ne iis perstringamur , juxta illud Spiritus sancti monitum : *Qui scrutator est Majestatis opprimetur a gloriâ.*



Si tamen ad satisfaciendum nonnullis ingeniis utile duceremus explicare quo pacto sententia quam de materiâ habemus possit conciliari cum doctrinâ fidei circa Transsubstantiationem, id forsan modo ita claro & distincto effectum daremus ut eo pacto nullum decisionibus Ecclesiæ fieret præjudicium; sed ab hac explicatione, præcipuè in hoc opere, supersedere posse nobis videmur.

Observandum enim est Patres de illo mysterio semper loquutos ut de mysterio incomprehensibili; ipsos ad illud explicandum Philosophiam non adhibuisse; ac ut plurimum comparationibus parum accuratis usos fuisse, quæ dogma potiùs proponebant quàm clarè exponebant. Traditio itaque in eorum usum est qui non philosophantur super hoc mysterio, quique mentem suam fidei, anxii illis & arduis missis quæstionibus, submitunt.

Immeritò igitur quis exigeret a Philosophis ut clarè & facilè explicarent quo pacto corpus JESU-CHRISTI sit in Eucharistiâ, is enim ab ipsis peteret ut nova in Theologiam inveherent. Ac si Philosophi huic postulato imprudentes responderent, certè non possent vitare vel Philosophiæ, vel Theologiæ suæ condemnationem; si enim ipsorum responsa essent obscura, ipsorum Philosophiæ placita spernerentur, si verò essent clara, non sine ratione metum incuteret ipsorum Theologiæ novitas utut transsubstantiationis dogmati conformis.

Cùm igitur novitas in rebus Theologicis erroris indicium secum ferat, & opiniones vel ex eo duntaxat, quòd novæ sint, nec traditionis fundamento nixæ, jure contemnantur; nemo potest sine temeritate faciles & intelligibiles explicationes tradere rerum quas Patres & Concilia penitus non explanaverunt; sufficit si dogma Transsubstantiationis teneamus, ipsius explicationem quærere non satagentes. Alioqui nova litium & altercationum semina spargerentur, quæ jam plus satis grassantur; immo ipsi veritatis inimici iis litibus malignè uterentur ad suos opprimendos adversarios.

Lites circa explicationes Theologicas omnium maximè inutiles & noxiæ videntur; eò etiam sunt formidabiliores quòd ipsi Viri pii se legitimè vinculum charitatis rumpere credant erga dissentientes. Id æquo pluribus experimentis comprobatur, nec causa istius eventus est admodum occulta. Satiùs itaque & tutius est, de rebus quæ evidenter non liquent, quasque alii non possunt assequi, præcipitantiùs non loqui.

Sed simul immeritò nobis instar normæ aut axiomatum in philosophando obtuderentur obscuræ & incertæ fidei mysteriorum explicationes quas credere non tenemur; in philosophicis enim sola evidentia nos persuadere debet. Commutandæ non sunt ideæ claræ & distinctæ extensionis, figuræ, & motus localis cum ideis illis generalibus & confusis principii, aut subjecti extensionis, formæ, quidditatum, qualitatum realium, & omnium illorum motuum generationis, corruptionis,



alterationis, & aliorum similium a motu locali diverforum; ideæ reales scientiam parient realem. Sed ideæ generales & Logicæ nihil unquam gignent præter scientiam, vagam, superficiariam, & sterilem. Attentè igitur, quantum fieri potest, considerandæ sunt ideæ illæ distinctæ & speciales rerum, ad cognoscendas proprietates quas includunt; ac sic rimanda est natura, missis omnibus illis chimæris quæ in solo quorundam Philosophorum cerebro existunt.

Cæterum ad Religionem & Ethicam necessariò pertinet hæcce veritas, mentem, scilicet, spiritualementem & immortalem esse, statuitque novissimum \* Lateranense Concilium, ut eam veritatem docere, atque ratiocinia eam impugnantia refutare teneantur Philosophi; Jam autem si supponatur materiæ essentiam non sitam esse in extensione in longitudinem, latitudinem & profunditatem, sed in aliâ re quapiam quæ non noscitur, quæ tunc refutabitur incredulorum error qui contendunt, imo speciosis probant argumentis ipsam esse materiam quæ constat cerebrum quæ cogitat, ratiocinatur, vult, & cætera? An rem quam tu non noscis hæc illæve proprietate non gaudere poteris unquam probare, errorisque eum convincere qui probè novit eos aut non ampliùs cogitare, aut malè ratiocinari quorum vulneratum est cerebrum?

Sed præterea, cum Patres, speciatimque Divus Augustinus semper agnoverint materiæ essentiam in extensione esse positam, cumque nemo unquam distinctè concepturus sit corpus aliquod organisatum, quale est Jesu-Christi corpus, in punctum mathematicum redigi posse, (mathematicum dico, non physicum, clarè enim concipitur Deum intra extensionem arenulæ cogere posse decies centena myriadum millia organisatorum corporum,) favebisne Transsubstantiationis dogmati, aut ad fidem revocabis Hæreticos, acerrimè contendendo corpus Jesu-Christi sine ullâ extensione in Eucharistiâ versari? Nonne potiùs periculum est ne illud subvertas dogma, si non certò constet errasse Divum Augustinum cum dixit, de corpore tolle extensionem, corpus non ampliùs erit? Credamus ergo dogmata quæ vera esse dixit Ecclesia, ipsa enim errare est nescia, sed circa explicationes quæ eorum asseruntur dogmatum suspendamus iudicium? †

† Vide meam defensionem contra accusationes D. Ludovici de la Ville: Eam reperies ad calcem tractatus de Naturâ & Graviâ: vide etiam Colloquia de Metaphysicâ & Religione; Colloq. 13. a num. 10. ad finem.



## CAPUT IX.

I. *Ultima causa generalis errorum nostrorum.* II. *Ideas rerum non semper præsentibus adesse menti statim atque id optamus.* III. *Omnem mentem finitam obnoxiam esse errori, & cur res sic se habeat.* IV. *Judicandum non esse nihil existere præter corpora, aut spiritus, neque Deum esse spiritum, ut alios concipimus spiritus.*

**H**Actenus de iis erroribus loquuti sumus, quorum aliqua assignari potest causa occasionalis in naturâ intellectûs puri, aut mentis dum illam consideramus per se agentem, & in naturâ idearum, hoc est, in modo quo mens percipit res externas.

Jam nihil restat ampliùs nisi ut explicemus unam causam, quæ dici potest universalis & generalis omnium errorum nostrorum; nullum enim errorem concipimus qui ab illâ aliquatenus non dependeat. Hæc causa in eo sita est quòd cum *verò* nihil nullam habeat ideam quâ representetur, mens ad id faciliè adducatur ut ea non existere credat quorum nullam habet ideam.

I.  
Ultima causa generalis errorum nostrorum.

Errorum nostrorum fontem generalem ex eo manare constat, ut jam multoties diximus, quòd judicia nostra latius pateant perceptionibus nostris. Quum enim rem aliquam consideramus, illius ut plurimum unam tantum faciem inspicimus; jam autem de facie a nobis considerata duntaxat judicare non contenti iudicium de re integra statuimus. Unde fit ut sæpe hallucinemur, quamvis enim res vera sit respectu faciei a nobis expensæ, respectu alterius sæpe falsâ deprehenditur, & quod credimus verum esse, est tantum verisimile. Jam verò manifestum est nos de rebus non omnino iudicaturos esse ut solemus, nisi arbitraremur nos omnes illarum inspexisse facies, aut nisi supponeremus omnes alias facies similes esse faciei a nobis inspectæ. Causa itaque generalis errorum nostrorum in eo versatur quòd cum nullam habeamus ideam aliarum facierum istius rei aut ipsarum discriminis cum facie quæ menti nostræ obversatur, credamus illas alias facies non existere, aut saltem supponamus inter illas nullam esse specialem differentiam.

Iste processus nobis videtur rationi satis consentaneus. Cum enim *verò* nihil nullam in mente excitet ideam, non immeritò credere nobis videmur ea quæ nullam in mente efformant ideam, dum examinantur, similia esse nihilo. Quòdque nos in eâ confirmat sententiâ illud



est; scilicet, instinctu quodam persuademur ideas rerum debitas esse naturæ nostræ, ipsasque menti ita submitti ut sese ipsi objicere debeant statim atque id exoptat.

II.  
*Idea rerum non obijciuntur menti nostræ statim atque id optamus.*

Si tamen animum ad statum præsentem naturæ nostræ attentum adverteremus; certè tam proni non essemus ad credendum ideas rerum nobis adesse statim atque eas volumus. Homo nihil est, ut ita dicam, præter carnem & sanguinem, ex quo peccavit. Levior impressio sensuum & affectuum frangit vim intentionem applicationis mentis ipsius: Cursusque rapidus spirituum & sanguinis ipsum secum abripit, ac versus sensibilia perpetuò impellit. Huic torrenti ipsum abripiendi incassum sæpe reluctatur, immo ipsi reluctari raro aggreditur, ipsum enim sequi dulcissimum est, adversus ipsum reniti arduum nimis. Mens igitur defatigatur & fatiscit postquam aliquantum in veritate aliquâ amplectendâ ac veluti arripiendâ desudavit: Ac eo in quo versamur statu planè falsum est ideas rerum menti obijci statim atque eas considerare volumus. Judicare igitur non debemus res non existere, ex eo duntaxat quòd illarum nullas habemus ideas.

III.  
*Omnis mens finita obnoxia est errori.*

Sed etiam si hominem supponeremus summum arbitrium mentis suæ & idearum, necessariò tamen obnoxius esset errori per naturam suam. Quippe mens humana est finita, omnis autem mens finita naturâ suâ errori obnoxia est. Cujus rei hæc est ratio. Res minimæ infinitas relationes inter se habent, jam verò mente infinitâ opus est ad eas omnes capiendas; cum itaque mens, quicquid conetur, omnes illas relationes neque amplecti neque capere possit, ad id facile propendet ut credat relationes quas non percipit non existere, præcipuè cum ad tenuitatem, & limitationem suam, ut sæpe fit, non satis attendit. Itaque limitatio mentis sola infert secum erroris, ut ita dicam, capacitatem.

Attamen si homines, etiam in eo statu infirmitatis & corruptionis in quo nunc sunt, libertate suâ bene semper uterentur, nunquam fallerentur. Atque hanc ob causam omnis homo qui in errorem labitur culpandus est, ac meritò poenas luit: ut enim errorem vitemus sufficit nos de iis tantum judicare quæ videmus, atque integra nunquam ferre judicia nisi de iis rebus quas integras nos examinasse certò scimus, quod quidem homines possunt assequi. Sed malunt errori sese mancipare, quàm sese ad normam veritatis conformare; decidere volunt sine labore & examine. Quid mirum igitur est si in errores incidant innumeros, ac si incertissima sæpe ferant judicia?

IV.  
*Non judicandum est nihil esse creatum præter corpora aut spiritus: Deumque*

Homines, exempli gratiâ, nullas alias habent substantiæ ideas, quàm ideas mentis seu spiritus, & corporis; hoc est, substantiæ cogitantis & substantiæ extensæ. Atque hinc se legitime concludere arbitrantur quicquid existit esse corpus, vel spiritum. Nolim tamen asserere dari aliquam substantiam quæ nec sit corpus nec spiritus: Non debemus enim asserere res existere, cum nullam illarum habemus cognitionem; Deus enim qui sua opera nos non celat, aliquam, ut videtur,



tur, earum rerum nobis dedisset ideam. Existimo tamen nihil de numero generum entium quæ Deus creavit, per ideas quas de illis habemus determinandum esse, cum absolute loquendo fieri possit ut Deo sint rationes nobis occultæ quibus ea nos celare velit: ut vel hæc posset sufficere quòd, nempe, cum entia illa nullam ad nos habeant relationem, nobis satis inutile foret illa cognoscere: quemadmodum nobis non dedit oculos satis acutos ut possimus numerare dentes acari, quia inutile est ad conservationem, vitæ nostræ nos visu adeo perspicaci pollere.

*esse spiritum eodem modo quo concipere solemus spiritus.*

Sed quamvis præcipiti iudicio non debeamus pronuntiare omnia entia esse vel spiritus, vel corpora, omnino absurdum censemus, Philosophos ad explicandos effectus naturales aliis uti ideis, quàm iis quæ pendent a cogitatione, & extensione; cum revera illæ solæ sint ideæ distinctæ & speciales quas habeamus.

Nihil a ratione magis abhorret quàm imaginari innumera entia ex simplicibus ideis Logicis, illis innumeras tribuere proprietates, atque ita res quæ non intelliguntur velle explicare per alias res quæ non modo non concipiuntur, sed etiam quæ concipi nequeunt. Res perinde se habet ac de cæcis qui inter se de coloribus colloqui volentes ac de iis Theses propugnare, ad id uterentur definitionibus quas Philosophi solent tradere, ac de iis multas elicerent conclusiones: sicut enim cæci illi non possent habere sermones nisi ludicros & ridiculos de coloribus, quia eorum ideas distinctas non habentes de illis vellent ratiocinari ex ideis generalibus & e Logica petitis. Ita Philosophi non possunt solidè ratiocinari de effectibus naturæ, dum ad id utuntur duntaxat ideis generalibus & Logicis, actûs, potentiæ, entis, causæ, principii, formæ, qualitatis & aliorum similium. Omnino necesse est ut tantummodo nitantur ideis distinctis aut specialibus cogitationis, & extensionis, & ideis quas illæ includunt, quales sunt ideæ figuræ, motûs, &c. Sperandum enim non est naturam posse cognosci aliâ viâ quàm per considerationem idearum quas de illâ habemus; ac longè præstat nunquam meditari, quàm circa chimæras meditari.

Non est tamen asseverandum nihil existere præter spiritus, & corpora, h. e. entia quæ cogitent, & entia quæ sint extensa, quia in illâ asseveratione esset periculum erroris: Quamvis enim illa entia ad explicandam naturam sufficiant, ac possimus idcirco sine ullo erroris discrimine concludere res naturales, quarum aliquam habemus cognitionem, ab extensione & cogitatione pendere, fieri tamen potest, absolute loquendo, ut alia quædam extent entia quorum nullam habeamus ideam, quorumque nullos videamus effectus.

Homines igitur præcipiti feruntur iudicio, dum statuunt ut axioma indubitatum, omnem substantiam esse corpus vel spiritum. Sed inde etiam præcipitem eliciunt conclusionem cum solo rationis lumine colligunt Deum esse spiritum. Verum quidem est, cum ad ipsius imagi-



nem & similitudinem finis conditi, & Scriptura sacra nos multis in locis doceat Deum esse spiritum, nos id credere debere, illumque sic appellare, sed id ratio sola nos edocere nequit: Nobis tantum dicitur Deum esse infinite perfectum, ipsumque potius debere esse spiritum quam corpus, cum mens nostra sit perfectior corpore, sed nos non facit certiores illa ratio non dari entia perfectiora mentibus nostris; ac mentibus nostris longe magis superiora, quam mentes sunt corporibus superiores.

Posito autem quod essent ejusmodi entia, ut id extra omne dubium videtur constitutum, vel ex eo quod Deus potuerit ea creare, manifestum est illa entia Deo longe similia quam nos. Ita eadem ratio evincit Deum potius habiturum esse illorum entium perfectiones quam nostras, quæ ipsorum respectu nihil essent præter imperfectiones. Arbitrandum igitur non est præcipitanter, vocem spiritus quâ utimur ad exprimendum id quod Deus est, & id quod sumus, esse vocem univocam quæ eadem aut planè similia significet. Deus est spiritus, cogitat, vult; verum caveamus ne ipsum humanam demum naturam induamus; non cogitat, non vult, ut cogitamus, & volumus; Deus longe magis præstat mentibus creatis, quam illæ corporibus præstant: ac Deus non tam vocari debet spiritus, ut positivè designetur id quod est, quam ut significetur ipsum non esse corporeum. Ens est infinite perfectum, id controversi nequit; Sed quemadmodum censendum non est cum Anthropomorphitis, ipsius figuram debere esse humanæ similem, utpote quæ omnium videatur perfectissima, etsi illum supponeremus corporeum, pariter neque censendum est spiritum Dei habere cogitationes humanas, ipsiusque mentem nostræ similem esse, quia nihil mente nostrâ perfectius cognoscimus. Credendum potius est ipsum, quemadmodum in se includit perfectiones materiæ, cum tamen non sit ens materiale, certum enim est materiam habere relationem ad aliquam perfectionem quæ in Deo est, spirituum etiam creatorum perfectiones complecti, cum tamen non sit spiritus eodem modo quo spiritus solemus concipere; verum ipsius nomen est, **ILLE QUI EST, JEHOVAH**, hoc est, Ens illimitatum, omne ens, ens infinitum & universale.



## CAPUT X.

*Exempla quorundam errorum Physices in quos labuntur homines, quia supponunt res quæ naturâ suâ, qualitativis, extensione, duratione, & proportione differunt, esse similes in hisce omnibus.*

Capite præcedenti vidimus homines præmaturum ferre iudicium, dum statuunt omnia entia duplicis duntaxat esse generis, nempe, spiritus & corpora. In sequentibus demonstrabimus ipsos ferre iudicia non modò præcocia, verùm etiam falsissima, quæque numeri errorum innumerabilis sunt principia, dum iudicant entia non differre in suis relationibus nec in suis modis, quia nullam illarum differentiarum habent ideam.

Mentem humanam nihil aliud quàm rerum relationes investigare constat; primò relationes quas cum ipsâ habere possunt res quas considerat, deinde relationes quas eæ res habent inter se invicem: Nam mens humana nihil aliud quærit quàm bonum suum, & veritatem; ut suum consequatur bonum, ratione, gustu, aut sensu accuratè investigat, num res analogiam convenientiæ habeant cum ipsâ; ut veritatem adipiscatur, inspicit an res analogiam æqualitatis aut similitudinis inter se invicem habeant, aut quænam præcisè sit magnitudo æqualis ipsarum inæqualitati. Quemadmodum enim bonum non est bonum mentis, nisi quia ipsi competit; ita veritas non est veritas, nisi per analogiam æqualitatis, aut similitudinis quæ deprehenditur inter duas vel plures res, ut inter unam ulnam & telam; verum enim est illam telam unâ ulnâ longam esse, quia datur mutua analogia inter ulnam & telam illam, sive inter duas vel plures ideas ut inter binas ideas bis trium & ideam sex, verum enim est bis tria esse sex, quia datur æqualitas inter duas ideas bis trium & ideam numeri senarii: sive denique inter ideas & res, cum ideæ repræsentant id quod res sunt; cum enim dico Solem existere, propositio mea vera est, quia ideæ quas habeo existentie & solis repræsentant solem existere, ac verè existere. Omnis igitur actio & attentio mentis ad res objectas ad aliud non intenditur quàm ut deprehendat earum mutuas analogias, cum rebus non præbeatur attentio nisi ut earum agnoscat veritas aut bonitas.

Sed, ut jam Capite præcedenti dictum est, attentio mentem magnopere fatigat, citò fatiscit mens resistendo impressioni sensuum quæ ipsam dimovet ab eo quod intuetur, ac versùs alia deflectit quæ ipsi, præ ingenti erga corpus amore, allubescunt. Valde finita est, ac sic diffe-



differentias quæ intercedunt inter res quas examinat, utpote infinitas aut prope infinitas, non potest dignoscere. Mens igitur supponit similitudines fictitias, ubi non animadvertit differentias positivas & reales; quippe ideæ similitudinis ipsi sunt magis præsentēs, magis familiares, magisque simplices quàm cæteræ. Manifestum enim est similitudinem, unicam duntaxat includere analogiam, ac unicam ideam sufficere ad judicandum mille res esse inter se similes; cùm contrà, ut quis judicet sine erroris periculo mille res inter se differre, necessariò habere debeat mille ideas differentes menti præsentēs.

Homines igitur imaginantur res diversæ naturæ esse ejusdem naturæ; ac res omnes ejusdem speciei inter se invicem ferme non differre. Judicant inæqualia esse æqualia, instabilia esse stabilia, ac ea quæ sine ordine & proportionem sunt esse optimè ordinata, ac accuratissimam servare proportionem. Uno verbo res naturâ, qualitate, duratione & proportionem diversas similes esse in his omnibus rebus sapissime ducunt. Sed hæc fusiùs & per aliquot exempla explicari merentur, quia hæc est innumerorum errorum causa.

Mens & corpus, substantia cogitans & substantia extensa, sunt duo genera entium toto cælo diversa, ac penitus opposita: quod alteri competit alteri nequit competere; attamen plerique homines ad ideam quam habent cogitationis parum attendentes, ac corporibus perpetuò affecti, mentem & corpus tanquam unum idemque habuerunt: imaginati sunt similitudinem inter res adeo diversas. Voluerunt animam esse materialem hoc est per totum corpus diffusam, ac instar corporis figuratam: menti tribuerunt quod soli corpori congruere potest.

Insuper homines voluptatem, dolorem, odores, sapes, &c. sentientes, ac corpus magis præsens habentes quàm mentem ipsam, hoc est, corpus faciliè imaginantes, mentem verò imaginari non valentes; ipsi corpori facultates sentiendi, imaginandi, & aliquando etiam facultatem concipiendi, quæ menti soli possunt competere, tribuerunt. Sed exempla infra subnexa erunt clariora.

Omnia corpora naturalia, ea etiam quæ ejusdem speciei esse dicuntur, a se invicem differre constat; aurum auro non esse prorsus simile, & guttam aquæ ab aliâ guttâ differre. De omnibus corporibus ejusdem speciei res non secus se habet quàm de faciebus: omnes facies habent binos oculos, nasum, os, &c. omnes sunt facies, & quidem facies humanæ; dici tamen potest hominum duas facies nunquam extitisse prorsus similes. Pariter unum auri fragmentum partes habet similes alii fragmento auri, & aquæ gutta alii guttæ sine dubio est valde similis: asseri tamen potest duas non posse dari omnino similes guttas, licet ex eodem haurirentur flumine. Tamen Philosophi incogitanter supponunt similitudines essentielles inter corpora ejusdem speciei, aut similitudines quæ consistunt in indivisibili, nam essentialia rerum consistunt in indivisibili, juxta falsam illorum opinionem.



Jam autem causa cur errorem adeo crassum admittant ex eo oritur, quod res circa quas ampla confare volumina non dubitant, accuratè examinare ne dignentur quidem. Quemadmodum enim perfectam non statuimus similitudinem inter facies, quia cominus eas conspiciamus, ac quia habitus quem illas discernendi contraximus efficit ut minimas earum deprehendamus differentias; ita, si Philosophi naturam aliquam cum attentione considerarent, non paucas haud dubiè comperirent causas diversitatum in ipsis etiam rebus quæ easdem in nobis excitant sensationes, qualesque ideo ejusdem speciei appellamus, in iisque similitudines essentielles tam faciliè non supponerent. Cæci ridiculi essent, si supponerent similitudinem essentialem inter facies quæ consisteret in indivisibili, quia illarum differentias clarè non percipiunt: Philosophi igitur tales similitudines in corporibus ejusdem speciei non debent supponere, quia per sensationes quas de illis habent nullas inter ea deprehendunt differentias.

Facilis illa propensio quæ ad supponendam similitudinem in rebus ferimur, nos eò etiam adducit ut credamus esse numerum determinatum differentiarum & formarum; illasque formas gradus admittere non posse. Existimamus omnia corpora inter se differre veluti per gradus; ac istos etiam gradus quasdam inter se servare proportiones: uno verbo de rebus materialibus judicamus ut de numeris.

Id ex eo oriri constat quod absorbeatur mens in relationibus rerum quas commeteri non possumus, quales sunt infinitæ differentiæ quæ extant inter corpora naturalia, ac sese veluti sublevet cum aliquam inter illas imaginatur similitudinem aut proportionem; quia tum plurima sibi repræsentat quàm facillimè. Namque, uti jam dictum est, unica sufficit idea ut multa inter se similia esse judicentur, multis vero opus est ideis, ut illa inter se differre judicentur. Exempli gratiâ, si quis teneat numerum Angelorum, atque unumquemque Angelum decem habere Archangelos se superiores, tum unicuique Archangelo decem esse thronos, ac sic deinceps servatâ eadem proportione unius ad decem usque ad postremum Intelligentiarum ordinem; mens poterit scire, cum lubuerit, numerum omnium illorum spirituum beatorum; ac de iis etiam uno intuitu, rem attentissimè expendendo, judicare, quod ipsi valde arridet. Nec alio fortè nixi fundamento nonnulli numerum spirituum cælestium assignarunt; ut etiam extitere Philosophi qui proportionem decuplam gravitatis & levitatis inter elementa statuerunt, ignem supponentes aère decies esse leviolem, & sic de cæteris.

Quum mens differentias inter corpora propter diversas sensationes quas de ipsis habet, & alias speciales rationes, admittere cogitur, illas semper numero quàm potest paucissimas admittit. Hanc ob causam faciliè sibi persuadet essentias rerum consistere in indivisibili, ipsasque, ut jam dictum est, numeris esse similes; quia tum ipsi unica sufficit idea ut sibi repræsentet omnia corpora quæ ejusdem speciei appellant.



Si, exempli gratiâ, cyathus aquæ in dolium vino plenum infundatur, Philosophi volunt essentiam vini semper eandem manere, aquamque converti in vinum. Quemadmodum inter tria & quatuor non potest dari numerus, cum vera unitas sit indivisibilis; sic necesse esse aquam converti in naturam & essentiam vini, aut vinum deperdere naturam suam; Quemadmodum omnes quaternarii numeri sunt prorsus similes, ita essentiam aquæ esse prorsus similem in omnibus aquis. Quemadmodum numerus ternarius differt essentialiter a numero binario, & eadem cum illo proprietates habere nequit; sic corpora diversæ speciei differre essentialiter, & tali modo ut nunquam habeant eandem proprietates quæ fluunt ab essentiâ; & alia similia. Si tamen homines veras rerum ideas aliquâ cum attentione considerarent, citò deprehenderent omnium corporum, cum sint extensa, naturam & essentiam nihil habere similitudinis cum numeris, ipsamque non consistere in indivisibili.

Homines non modò supponunt identitatem, similitudinem aut proportionem in natura, numero, & differentiis essentialibus substantiarum, illam etiam identitatem, similitudinem, & proportionem supponunt in omnibus quæ percipiunt. Omnes penè homines judicant omnes stellas fixas cœlo adhærere tanquam fornici in æquali distantia a terrâ.

Astronomi diu defenderunt Planetas agi secundum circulos perfectos; & permultos tales circulos finxerunt, ut concentricos, excentricos, epicyclos, deferentes, & æquantes ad explicanda phænomena suis præjudiciis adversa.

Hisce quidem novissimis sæculis peritiores, errore Priscorum castigato, credunt planetas describere ellipses motu suo. At verò si contendant ellipses illas esse regulares, ut ad id credendum naturâ ferimur, quia mens supponit regularitatem ubi nullam deprehendit anomaliam, in errorem labuntur eò ineluctabiliorem, quòd observationes quæ circa cursum planetarum possunt fieri accuratæ satis esse nequeant ad ostendendam motuum illorum planetarum anomaliam. Sola Physica illum errorem emendare potest; illa enim anomalia multò minùs conspicua est eâ quæ deprehenditur in systemate circulorum perfectorum.

Porro aliquid satis speciale circa distantiam & motum Planetarum contigit. Cum enim Astronomi nullam in iis deprehendere possent proportionem Arithmeticam aut Geometricam, manifestò repugnantibus observationibus, nonnulli imaginati sunt illos planetas saltem servare in suis distantii & motibus quandam proportionem, quam Harmonicam vocaverunt. Hinc factum est ut Astronomus quidam hujus sæculi, in suo *Alm gesto novo* sectionem quæ habet pro titulo *de systemate mundi harmonico*, per hæc verba inceperit, *Nemo est paulo eruditior in Astronomicis, qui cœlorum ordinem contemplatus non agnoscat harmoniam quandam in planetarum intervallis & motibus.* Non ideo tamen Author ille

Riccioli 2.  
Volum.



in eâ est sententiâ : Nam observationes jam factæ ipsi satis ostenderunt ineptiam istius harmoniæ imaginariæ , quæ tamen ampla fuit admirationis materia multis Authoribus antiquis & recentibus , quorum R. P. Riccioli refert & confutat opiniones ; vulgò etiam Pythagoræ ipsiusque Sectatoribus tribuitur credidisse cœlos motibus suis ordinatis miram quandam producere symphoniam , quam homines præ consuetudine non exaudiunt : quemadmodum qui prope Nili Cataractas habitant , aquarum decidentium sonitum non audiunt. Verùm specialem illam opinionem proportionis harmonicæ intervallorum & motuum Planetarum eo tantum sine affero , ut ostendam mentem gaudere proportionibus , ac eas sæpe imaginari ubi actu non sunt.

Mens uniformitatem etiam in rerum duratione supponit , ipsasque mutationi , & instabilitati obnoxias non esse arbitratur , cum ad aliud ferendum judicium sensuum testimonio non adigitur.

Omnia materialia , utpote extensa , sunt divisibilia , ac proinde corruptibilia : Qui ad corporum naturam tantillum attendunt illa esse corruptibilia facile agnoscunt : Non pauci tamen fuere Philosophi qui cœlos licet materiales esse tamen incorruptibiles arbitrarentur.

Cœli a nobis sunt remotiores quàm ut omnes quæ in illis fiunt deprehendere possimus mutationes ; ac rarum est in iis tantas unquam fieri ut possint e terrâ videri. Id innumeris satis fuit ut crederent cœlos esse revera incorruptibiles. Quòdque ipsos in illâ confirmavi opinione , est illud præjudicium quo corruptionem quæ contingit corporibus sublunaribus qualitatum contrarietati tribuunt. Cum enim in cœlum nunquam ascenderint exploraturi quid ibi agatur , pro comperto etiam non habuerunt illam qualitatum contrarietatem in eo occurrere ; quod illos eò adduxit ut crederent illam contrarietatem in cœlo revera non occurrere : collegerunt itaque cœlos corruptionis immunes esse , quia id quod , juxta ipsorum opinionem , omnia corpora terrestria corrumpit , in corporibus cœlestibus non occurrit.

Illud ratiocinium omni soliditate carere manifestum est : Non video enim , cur alia non possit dari causa corruptionis præter illam qualitatum contrarietatem quam fingunt : aut quo freti fundamento nullum in cœlis calorem , nullum frigus , nullam siccitatem , nullam humiditatem dari , solémque calidum , saturnum verò frigidum non esse asserant.

Non est omnino absurdum dicere lapides durissimos , vitrum & alia corpora non corrumpi , cum diu in eodem statu persistere observentur , cumque sat nobis sint propinqua ut eorum deprehenderemus mutationes , si quæ in iis fierent : sed in ea a cœlis distantia in quâ versamur , prorsus absurdum est concludere illos non corrumpi , quia in ipsis qualitates contrariæ non deprehenduntur , & quia ipsos corrumpi non percipimus. At tamen non modò asserunt ipsos non corrumpi , sed præterea ipsos inalterabiles , & incorruptibiles esse defendunt ; & parum abest quin Peripatetici dicant corpora cœlestia totidem esse numina , ut id olim



credidit Aristoteles ipsorum Magister.

Pulchritudo universi in partium incorruptibilitate sita non est, sed potius in ipsarum varietate: Ac ingens illud opus tam admirabile non esset sine illâ rerum vicissitudine quæ in ipso deprehenditur. Materia infinite extensa, sine motu, ac proinde sine formâ & corruptione posset quidem infinitam Authoris potentiam patefacere, ipsius verò sapientiæ nullam daret ideam. Hanc ob causam omnia corporea sunt corruptibilia, nullumque exstat corpus cui aliqua non obveniat mutatio, quæ ipsum, tempore cedente, alterat & corrumpit. Immo Deus in ipsis lapidum, & vitri visceribus animalia omnibus hominum operibus perfectiora & admirabiliora format. Corpora illa, licet durissima, & siccissima corrumpuntur tamen per temporis successione: Aër & Sol quibus exponuntur aliquas ex illorum partibus mutant, & reperiuntur vermes, qui illis partibus vescantur, experientiâ teste.

Ephemerid. Doctorum 9. Augusti 1666.

Nullum aliud est discrimen inter illa corpora durissima siccissimâque & alia corpora, nisi quòd illa constant partibus crassissimis & solidissimis, atque ideo minùs idoneis ut agitentur & a se invicem separentur motu partium quæ in illas illidunt, unde fit ut incorruptibilia habeantur illa corpora: Quamvis talia non sint naturâ suâ, ut id tempus, experientia, & ratio satis evincunt.

Cœli verò, ac præcipuè Sol, constant ex materiâ fluidissimâ & subtilissimâ; ac tantum abest ut sit sine calore & incorruptibilis, secundum Aristotelicorum sententiam, ut sit contrâ omnium corporum calidissimum, ac mutationi maximè obnoxium. Immo ipse omnia calefacit, agit, & mutat. Ipse actione suâ, quæ ab ipsius calore seu motu partium non differt, quicquid in tempestatum mutationibus novi conspiciamus producit. Hæc ratio demonstrat: si quis tamen rationi reluctari sustineat, experientiæ saltem cedat. Cùm enim in Sole, telescopiorum ope, directæ fuerint maculæ terram magnitudine suâ æquant, quæ in eo sese formarunt ac brevi evanuerunt; non est quòd quisquam in posterum neget solem mutationi multò magis obnoxium esse quàm terram hâncce quam incolimus.

Omnia igitur corpora perpetuo agitantur motu; inprimis fluidissima, qualia sunt ignis, aër, & aqua, deinde corporum viventium partes ut caro & ipsa ossa, ac denique durissima etiam corpora; Nec mens quandam in rebus immutabilitatis speciem ex eo supponere debet, quòd in iis nullam deprehendat corruptionem mutationemve; Ex eo enim quòd nulla in aliquâ re percipitur differentia non sequitur rem illam semper sibi similem esse; nec ex eo quod rerum non habemus ideam aut cognitionem, sequitur res illas non existere.



## CAPUT XI.

*Exempla nonnullorum errorum circa Ethicam ab eodem principio pendentium.*

**F**acilis illa propensio quâ fertur mens ad imaginandas & supponendas similitudines ubicunque manifestas non agnoscit differentias, periosque in errores circa Ethicam longè perniciosiores injicit. Adfunt istorum quædam exempla.

Gallus in Anglum aut in Italum fortè fortunâ incidit. Jam verò extraneus ille suam habet peculiarem indolem. Ingenio forsan est delicato, aut, si mavis, feroci & incommodo. Continuo Gallus eò adducetur ut omnes Anglos seu omnes Italos ejusdem ac illum ingenii esse judicet. Illos omnes in genere laudabit aut vituperabit: Ac si in alium fortè adhuc incidat, præjudicabit statim hunc illi esse similem quem antea viderat, ac sic præoccupatus, erga eum aliquo sive amoris sive odii motu impercepto afficietur. Uno verbo de singulis ejusdem gentis hominibus idem feret judicium, egregio illo adductus argumento, quòd unum aut plures viderit qui hujus aut illius essent indolis sive ingenii: Quia nescius an cæteri ab illis quos vidit differant, omnes prorsus similes judicat.

Religiosus quispiam alicujus Ordinis deliquit; id sufficit ut plerique omnes istius Ordinis Religiosos indiscriminatim damnent. Eadem omnibus vestis est, eodemque appellantur nomine, hac in re inter se similes sunt, id sufficit ut vulgus hominum eos in omnibus prorsus similes judicet. Similes existimantur, quia cum intima cordis ipsorum non possint penetrari, non potest positivè judicari an inter se differant.

Sycophantæ qui nihil non movent ut possint eorum quos oderunt famæ malam inurere notam, hoc plerumque utuntur præjudicio, quod ipsis ex voto semper cedere experienciâ comprobatur. Ac revera vulgi captui est maxime accommodatum: Difficile enim non est in Societatibus numerosis, quantumvis sanctæ sint, quosdam reperire delinquentes seu in moribus, seu in doctrinâ: si quidem in ipsâ Apostolorum Societate, cujus ipse Christus erat caput, fur, proditor, hypocrita, uno verbo Judas repertus fuit.

Judæi sanè iniqui prorsus fuissent, si de sanctissimâ omnium quæ unquam fuerunt Societate sinistrè judicassent, propter avaritiam & nequitiam Judæ, ac si illos omnes intra se damnassent, quòd scelestum illum tolerarent, quòdque ipse Jesus-Christus in illum non animadverteret, quamvis illius crimina ipsum non laterent.



Rationi igitur & charitati manifestò repugnat existimare totam societatem erroris alicujus esse participem, quia quædam fuere membra istius societatis quæ in illum inciderunt errorem; immo licet ipsa societatis capita illum errorem dissimularent aut etiam foverent, iniquè tamen idem de totâ societate ferretur judicium. Cùm singula membra errorem, aut culpam alicujus e fratribus tutari satagunt tum quidem istius erroris conscia meritò habetur tota societas: sed id fere nunquam accidit. Fieri enim nequit, humano more loquendo, ut singuli ejusdem societatis homines idem planè sentiant.

Desuescant igitur homines ab ejusmodi conclusionibus a singularibus ad generalia; verùm non possunt de iis duntaxat judicare quæ vident; extra modum omnia ferunt. Religiosus quidam alicujus Ordinis est vir clarus, vir frugi; ergo omnes istius Ordinis Religiosi sunt viri magni, & viri probi. Pariter, quidam Religiosus istius Ordinis habet doctrinam heterodoxam, ergo totus Ordo est corruptus, ac ejus heterodoxias conscius. Sed hæc ultima judicia prioribus sunt longè pejora, quia de proximo bene semper judicandum est, & quia ea est humana malignitas, ut sinistra judicia, ac sermones adversus alicujus famam habiti, longè magis arrideant, & altiùs menti imprimantur quàm judicia, & sermones quæ in ipsius laudem habentur.

Cùm mundanus aliquis affectibus suis addictus opinioni suæ mordicus adhærescit, ac sese per incompositos turbati animi motus illam opinionem meritò defendere arbitratur, tum jure pervicax habetur, ac ipse sedato animi impetu suam non diffitetur pervicaciam. Pariter quum vir aliquis pietate gravis, eorum quæ dicit intus convictus, quique Religionis veritatem, ac rerum humanarum vanitatem penitus agnovit, præviis hîsce ductus luminibus adversus vitam aliorum immoderatam insurgere, ac in illos acriter & cum zelo animadvertere vult, tum homines profani judicant illum esse pertinacem, & sic omnes pietatis studiosos pertinaces esse ducunt.

Immo viros probos profanis & improbis longè pertinaciores esse autumant: quia cùm hi suas opiniones duntaxat tudentur juxta varias sanguinis, & affectuum agitationes, diu in illis nequeunt perstare; quin sententiam mutant seu resipiscunt, ubi sanguis defervit: viros pios contrà tenaces propositi nihil potest quatere; quia nituntur fundamentis immotis, quæ ab inconstantiâ sanguinis in venis circulantis non dependent.

Hæc est igitur causa cur vulgus viros pios pertinaces judicet, æquè ac homines nequam: Quia, scilicet, viri probi veritatis & virtutis sunt vindices acerrimi, ut improbi vitii & mendacii sunt impigri assertores: utrique eodem penè modo loquuntur ut suis patrocinentur sententiis; in hoc similes sunt, quamvis reapse differant. Sed hæc similitudo sufficit ut vulgus quod rationum pondus & differentiam non



non examinat, ipsos in omnibus esse similes judicet, quia inter se similes sunt quoad modum illum externum, de quo cuncti possunt judicare.

Viri pii igitur non sunt pertinaces, sunt solum firmi, ut ipsos esse par est; vitiosi verò, & profani semper habebuntur pervicaces, licet per unicam tantum horam in sua perstarent sententia: Ii enim duntaxat sunt pervicaces qui malam defendunt sententiam, licet illam per brevissimum tempus defendant.

Res eodem modo se habet de Philosophis nonnullis, qui chimæricas defendunt opiniones, a quibus postea, agnitâ ipsarum falsitate, desistunt. Volunt illi alios qui veritates indubitatas tutantur, quarumque certitudinem evidenter vident, eas tamen ut meras opiniones deferere; ut ipsi eas deseruere quibus incautam dederant fidem. Quia verò ipsis cum veritatis detrimento obsecundare difficile est, ac amor quem veritas naturâ suâ sibi conciliat apud ipsius studiosos, eos fert ad ipsam strenuè propugnandam, tum Philosophi illi continuo judicant veritatis vindices esse pertinaces.

Isti homines suas chimæras immerito tuebantur; at alii veritatem acriter & fortiter jure propugnant: ratio suam tuendi sententiam in utrisque eadem est; at res ipsæ longè differunt. Illa verò sententiarum differentia quæ inter utrosque intercedit efficit ut alii sint firmi & tenaces, alii verò pertinaces.

#### CONCLUDUNTUR TRES PRIMI LIBRI.

**A**B istius operis initio, in mente, utut simplici & indivisibili, duas veluti distinxit partes. Alteram merè passivam, alteram verò passivam & activam simul; Prior est mens, seu intellectus, posterior est voluntas. Menti tribui tres facultates, quia modificationes & ideas suas ab Authore Naturæ trifariam accipit. Illam nuncupavi sensum, cum recipit a Deo ideas confusas cum sensationibus, hoc est, cum ideis sensibilibus natis occasione quorundam motuum qui excitantur in organis sensuum ex præsentia rerum objectarum. Illam vocavi imaginationem & memoriam, quum a Deo recipit ideas confusas seu commixtas cum imaginibus, quæ efficiunt speciem quandam sensationum debiliū & languidarum, quas mens non excipit nisi per quædam vestigia quæ imprimuntur, aut quæ antea impressa excitantur de novo in cerebro cursu spirituum animalium. Illam denique appellavi mentem puram, seu intellectum purum, quum recipit a Deo ideas puras puras veritatis, sine ullâ sensationum & imaginum admixtione; non per conjunctionem quam habet cum corpore, sed per eam quam habet cum Verbo ac Sapientia Dei; non quia est in mundo materiali & sensibili, sed quia subsistit in mundo immateriali & intelligibili; non ad cognoscenda mutabilia & quæ idonea sunt ad conservationem vitæ corpo-



corporeæ, sed ad penetrandas veritates immutabiles quæ in nobis vitam spirituales conservant.

Primo & Secundo Libro ostendi sensus nostros & imaginationem nobis esse admodum utiles ad cognoscendas relationes quæ corpora externa habent cum nostro; omnes ideas quas mens recipit operâ corporis esse propter corpus & in ipsius usum; nullam veritatem, quæcunque tandem illa sit, posse unquam evidenter retégi per ideas sensuum & imaginationis; illas ideas confusas ad id tantum conferre ut nos corpori nostro, & per corpus omnibus sensibilibus alligent; ac illis ideis sensibilibus esse diffidendum, si errorem vitare velimus. Pari ratione concludo non posse moraliter fieri ut per puras mentis ideas cognoscantur relationes quas corpora habent cum nostro; ex his ideis puris non esse ratiocinandum ut sciamus an pomum, lapis aut quodlibet aliud sint edulia, sed ea potius esse degustanda: & quamvis mente nostrâ possimus uti ad cognoscendas confusè relationes corporum externorum cum nostro, tutius tamen semper esse uti sensibus: adhuc unum exemplum hîc subnecto. Res enim adeo essentielles & necessariæ non possunt nimis inculcari.

Volo, exempli gratiâ, examinare an mihi sit melius justum esse, an divitem. Si oculos corporeos aperio, justitia mihi videtur chimæra; nullas in eâ deprehendo illecebras. Video justos miseros, derelictos, afflictos, omni orbatos patrocínio & solamine; qui enim ipsos solatur & protegit oculis meis conspicuus non est. Uno verbo, non video quorsum tandem evadant justitia & virtus. Verum si oculis apertis divitias contemplor, illarum fulgor oculos meos statim ferit, & perstringit. Potentia, Magnitudo, voluptates, & omnia bona sensibilia comitantur divitias; nec possum dubitare quin divitiarum ad consequendam felicitatem sint prorsus necessariæ. Pariter si auribus utar, audio omnes homines magni facere divitias: omnia ipsorum studia ad illas comparandas converti; ac divites ab omnibus laudari & coli: hic sensus igitur ut & cæteri mihi dicunt eum qui beatus esse vult divitem esse oportere. Quod si clausis oculis & auribus imaginationem consulam, illa perpetuò eadem quæ oculi viderint & legerint, quæque aures audiverint in divitiarum gratiam mihi repræsentabit. Immo imaginatio eadem illa mihi repræsentabit longè aliter ac sensus; quippe imaginatio semper auget ideas rerum quæ ad corpus, & ad ea omnia quæ nobis arrident, relationem habent. Si igitur ipsi memet permittam; illa me illico in superbum palatium iis simile, quæ Poætæ & fabularum scriptores tam magnificè solent describere, intromittet; ibi tot admiranda, a quibus describendis hîc supersedeo, mihi sese conspicienda præbebunt, ut facile convincar Mammonam divitiarum Deum qui in hoc palatio regnat solum esse qui possit me beatum efficere; hæc sunt quæ corpus meum potest mihi persuadere; nam propter se & in sui gratiam duntaxat loquitur;



ac ut ipsius bono consulatur, necesse est imaginationem magnificæ & fulgenti divitiarum speciei cedere.

Verùm enim verò si attendam postea corpus infra mentem longè jacere; illudque huic non posse dominari; mentem a corpore non posse erudiri, nec ullum ab illo accipere lumen; si, inquam, his seriò ponderatis, memet intra me ipsum colligam, atque interrogem; seu potius, cum ego non sim mihi ipsi magister, nec lumen si ad Deum accedam, atque sensibus & affectibus ad silentium adactis, ab ipso quæram an divitias virtuti, an virtutem divitiis debeam anteponere; tum responsum accipiam clarum & distinctum de iis quæ mihi sunt faciendi; responsum æternum, semper datum, & ad finem usque dandum; responsum quod hîc exponere foret inutile, quippe quod omnibus sit notum æquè iis qui hæc legunt, ac iis qui non legunt; illud enim responsum nec est Græcum nec Latinum, nec Gallicum nec Germanicum, ab omnibus gentibus potest concipi: responsum denique quod pauperes in ipsâ paupertate solatur, quodque divites angit in ipsâ divitiarum copiâ. Illud, inquam, responsum audiam, illiusque veritatem intus agnoscam. Imaginationis phantasmata & sensuum hallucinationes ridebo. Homo internus & spiritualis in me latens hominem animale & terrestrem quem gero irridebit. Novus denique homo crescet, vetus delebitur, dummodo semper auscultem illius voci qui me tam clarè in uno pectore alloquitur, quique, ut sese infirmitati ac ægritudini meæ accommodaret, sensibilem se effecit; utque vitam mihi largiretur per id ipsum quod morti me tradiderat, me adhuc alloquitur modo efficacissimo vividissimo, & perquam familiari, hoc est, prædicatione Evangelii. Si ipsum de omnibus quæstionibus Metaphysicis, naturalibus, & puræ Philosophiæ non secus ac de iis quæ mores spectant, interrogem, Magistrum semper habebo fidelem, a quo nunquam decipiar. Non modò Christianus ero, verùm etiam Philosophus, ritè cogitabo, & res bonas amabo. Uno verbo illam insitam viam quâ possim omnem assequi perfectionem quam possum consequi & per gratiam, & per naturam.

Ex iis ergo hæc sequuntur; nempe, ut quàm optimè fieri potest utamur facultatibus mentis nostræ, sensibus, imaginatione, & intellectus; illas non nisi iis rebus ad quas fuerunt destinatæ & nobis concessæ applicare debemus. Sensationes & imaginationes nostræ ab ideis puris sedulo sunt distinguendæ; ac judicandum ex sensationibus & imaginationibus nostris de relationibus quæ corpora externa habent cum nostro; nec iis utendum ad ediscendas veritates quas semper confundunt: ideis verò puris intellectus utendum ad detegendas veritates, iis missis, cum agitur de relationibus quæ corpora externa habent cum nostro; quia illæ ideæ nunquam habent satis extensionis ut eas relationes nobis adæquatè repræsentent.

Fieri nequit ut homines omnes figuras, omnesque motus particula-



rum ipsorum corporis & sanguinis, & particularum alicujus fructu in certo alicujus morbi tempore ita cognoscant, ut percipiant quandam esse relationem convenientiæ inter illum fructum & ipsorum corpus, utque tutò possint sperare sanationem, si illo fructu utantur.

Vide illa-  
strationes.

Soli itaque sensus nostri utiliores sunt ad conservationem valetudinis nostræ quàm omnes leges medicinæ experimentalis, ac medicina experimentalis tutior est medicinâ theoreticâ. Sed Medicina theoretica quæ multum experientiæ & plus adhuc sensibus defert, est omnium optima; quia hæc omnia sunt simul conjungenda.

In omnibus igitur ratione suâ uti possunt homines; atque hoc ratio sensibus & imaginationi antecellit, quòd illa ad sensibilia limitentur, hæc verò ad omnia extendatur. Illâ tamen utendum est cum temperamento. Quamvis enim ratio sit præcipua pars nostri, sæpe tamen contingit ut ipsam liberius adhibendo fallamur; quia non potest diu agere indefessa; hoc est, res non potest satis cognoscere ut de iis judicet; & nihilo secius judicare vult.







D. E.

# INQUISITIONE VERITATIS.

---

## LIBER QUARTUS. DE INCLINATIONIBUS SEU MOTIBUS NATURALIBUS MENTIS.

### CAPUT PRIMUM.

- I. Spiritus debent habere inclinationes quemadmodum corpora habent motus. II. Deus nullum dat motum spiritibus nisi propter se. III. Spiritus non feruntur versus bona specialia nisi per motum quo versus bonum in genere feruntur. IV. Origo præcipuarum inclinationum naturalium in quas dividetur quartus hic Liber.*



AUD opus foret agere de inclinationibus naturalibus, ut hoc quarto Libro sumus acturi, neque de affectibus, ut id sequenti Libro faciendum nobis proponimus, ad retegendas causas errorum humanorum, nisi intellectus penderet a voluntate in rerum objectarum perceptione; sed quia ab illâ dirigitur, determinatur, & applicatur ad certas res objectas potius quàm ad alias; illius voluntatis inclinationes



cognoscere necesse est, ut errorum nostrorum causas penitus deprehendere possimus.

I. Si Deus condendo hunc mundum materiam infinitè extensam, nullo ipsi impresso motu, produxisset, omnia corpora inter se non differrent. Totus iste mundus adspectabilis nihil etiamnum esset præter molem materiæ aut extensionis, quæ Authoris ipsius magnitudinem & potentiam posset quidem patefacere; sed non esset illa formarum successio & corporum varietas quæ totam efficit istius universi pulchritudinem, quæquæ omnes mentes creatas in sapientiæ infinitæ illius qui hæc omnia regit admirationem rapit.

*Mentes debent habere inclinationes quemadmodum corpora habent motus.*

Jam autem inclinationes spirituum idem mihi videntur esse mundo spirituali, quod motus est mundo materiali; nec certè, si omnes spiritus seu mentes essent sine inclinationibus, aut si nihil unquam vellet, ea observaretur in ordine rerum spiritualium varietas, quæ non modo sapientiæ Dei altitudinem, ut varietas quæ deprehenditur in ordine rerum materialium; verum etiam ipsius misericordiam, justitiam, bonitatem, & omnia in genere attributa præbet admiranda. Varietas inclinationum efficit in spiritibus idem ferme quod varietas motuum in corporibus, & inclinationes spirituum, ac motus corporum unà totam constituunt pulchritudinem rerum creatarum. Omnes itaque spiritus debent habere aliquas inclinationes ut omnia opera habent varios motus. Sed quas debeant habere inclinationes scrutemur.

Si natura nostra non esset corrupta, non opus haberemus quærere, ut sumus quæsituri, quænam debeant esse inclinationes naturales spirituum creatorum; ad id cognoscendum nosmet ipsos consulere sufficeret, ac sensu interno, quem de iis quæ in nobis aguntur habemus, edoceremur quænam inclinationes nos deceant. Sed, quia per fidem scimus naturæ ordinem peccato eversum fuisse, ac ratio ipsa nos docet inclinationes nostras esse inordinatas, ut clariùs infra videbitur, aliâ ratione procedere tenemur. Cum tutò non possimus fidere iis quæ sentimus res ratione sublimiori nos explicare oportet; Verum illa ratio parum solida haud dubiè videbitur iis qui nihil, quàm quod sensibile est, magni faciunt.

II. Extra omne dubium positum est Deum non posse alium habere finem præcipuum operationum suarum quàm seipsum, illùmque posse habere multos fines minùs præcipuos, qui omnes tendunt ad conservationem eorum quæ creavit. Non potest alium habere finem præcipuum a se ipso diversum, quia non potest errare, aut ultimum finem suum constituere in entibus quæ omnia in se non includunt bona. Sed finem habere potest minùs præcipuum, putà conservationem rerum creatarum, cum enim omnia entia bonitatem ipsius participant, necessariò bona sunt, imo optima, juxta scripturam *valde bona*, Deus itaque illa amat, immo ipsius amore conservantur, nam omnia duntaxat subsistunt, quia Deus illa amat. *Diligis omnia quæ sunt*, inquit sapiens,

*Deus alium non habet finem præcipuum actionum suarum quàm seipsum, nec dat spiritibus motum nisi propter se.*

piens,



piens, & nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odiens aliquid fecisti & constituisti. Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset conservaretur. Revera quomodo concipi potest ut res quæ enti infinitè perfecto & omnipotenti non placent possint subsistere, cum omnia subsistant duntaxat per ipsius voluntatem? Deus igitur vult gloriam suam ut finem præcipuum, vult etiam rerum a se creatarum conservationem, sed ad sui gloriam.

Cum inclinationes naturales spirituum sint haud dubiè perpetuæ impressiones voluntatis illius qui illos creavit spiritus, qui que illos conservat; necessarium mihi videtur ut inclinationes illæ sint omnino similes inclinationibus ipsorum creatoris & conservatoris. Nullum igitur naturaliter possunt alium habere finem præcipuum & primarium quàm ipsius gloriam, nec alium finem subalternum præter propriam & aliorum conservationem, sed semper relatè ad eum qui ipsis dat existentiam. Etenim extra omnem dubitationis aleam positum mihi videtur Deum, cum non possit velle ut voluntates quas creat minus bonum majori præferant, hoc est, ut majori complectantur amore quod minori, quàm quod majori amore dignum est, non posse ullam rem creare quin eam statim ad se convertat, quin illam jubeat ipsum ante omnia amare, quamvis illam possit creare liberam, & cum potestate sese ab ipso sejungendi & deflectendi.

Sicut in Deo propriè unicus duntaxat amor est, nempe amor sui ipsius; ac Deus nihil potest amare nisi per illum amorem, cum nihil possit amare, nisi cum relatione ad se ipsum; ita Deus in nobis unicum duntaxat imprimit amorem, nempe amorem boni in genere; nec quicquam possumus amare nisi per amorem illum, cum nihil possimus amare quod non sit, aut saltem, quod non appareat bonum. Amor boni in genere est principium omnium amorum nostrorum specialium, quia revera amor ille nihil aliud est quàm ipsa voluntas nostra: namque, ut supra dictum est, voluntas hominis nihil aliud est quàm impressio perpetua Authoris Naturæ, quæ mentem humanam fert versùs bonum in genere. Nec certè existimandum est facultatem seu potestatem illam amandi quâ præditi sumus a nobis oriri aut dependere. Sola potestas perperam amandi, seu potius bene adamandi res malas pendet a nobis; quippe, cum simus liberi, possumus determinare, ac revera determinamus versùs bona specialia, ac ideo versùs falsa bona, legitimum amorem quem Deus nobis indefinenter imprimit, quamdiu nos conservare pergit.

Verùm non modò voluntas nostra, seu amor noster versùs bonum in genere a Deo oritur, ipsæ etiam inclinationes nostræ versùs bona quædam specialia, quæ omnibus hominibus communes sunt, quamvis in omnibus non æqualiter fortes, ut inclinatio nostra ad conserva-

III.  
Spiritus non  
feruntur  
versùs bona  
specialia nisi  
per motum  
quo versùs  
bonum in  
genere fe-  
runtur.



tionem nostrâ, & eorum quibus naturâ conjuncti sumus; illâ, inquam, inclinationes sunt etiam impressiones voluntatis Dei in nos. Hic enim nomine inclinationis naturalis indiscriminatim appello omnes impressiones Authoris Naturæ, quæ communes sunt omnibus spiritibus. Modò dixi Deum res a se creatas amare, illâsque per ipsius amorem existere & conservari; Deus itaque indefinenter imprimendo in nobis amorem ipsius amori similem, cum ipsius voluntas efficiat & dirigat nostram, nobis dat etiam omnes illas inclinationes naturales quæ non pendent ab optione nostrâ, quibusque necessario ferimur ad conservationem nostrâ, & eorum quibuscum vivimus.

IV.  
Origo præcipuarum inclinationum naturalium in quas dividitur quartus hic liber.

Quamvis enim peccatum omnia corruperit, omnia tamen non destruxit. Licet inclinationes nostræ naturales Deum non semper pro fine suo habeant per liberam voluntatis nostræ electionem, habent tamen semper Deum pro fine per institutionem naturæ; Deus enim qui eas in nobis producit & conservat, eas tantum producit & conservat propter se. Omnes peccatores tendunt versus Deum impressione quam a Deo accipiunt, quamvis ab ipso recedant errore & aberratione mentis suæ. Amant quidem bene, nemo enim unquam potest malè amare, cum ipse Deus sit qui efficiat ut ament, sed amant res malas, & ideo tantum malas, quia Deus, qui ipsis peccatoribus dat potestatem amandi, eos vetat illas res amare, quia ex quo peccatum irrepit, res illæ divertunt homines ab ipsius amore. Quippe homines, res ipsas creatas in ipsis excitare voluptatem quam illarum occasione sentiunt arbitantes, in corpora cum furore ruunt; & hoc pacto in totalem Dei, oblivionem delabuntur, quia sub ipsorum oculos non cadit.

Easdem igitur hodie adhuc habemus inclinationes naturales, seu easdem impressiones authoris naturæ quas habebat Adam antequam peccaret. Immo habemus easdem inclinationes quas beati in cœlo; Deus enim nullas creat & conservat res creatas rationales quin ipsis imperiatur amorem suo similem. Seipsum amat, nos amat; Omnes amat res creatas; Nullas igitur creat mentes quas non ferat ad ipsum amandum, ad seipsas amandas & ad amandas omnes res creatas.

Sed quia omnes inclinationes nostræ nihil aliud sunt quam impressiones authoris naturæ quibus ad ipsum & omnia propter ipsum amandum ferimur, illæ inclinationes non possunt esse legitimæ nisi quatenus Deum amamus totis viribus nostris, & omnia propter Deum, liberâ voluntatis nostræ electione. Non possumus enim sine injuriâ abuti amore quem Deus erga se nobis imperiatur, amando scilicet per illum amorem, seu per illum motum generalem amoris, aliud quam ipsum, & sine relatione ad ipsum.

Jam itaque cognoscimus non modò quænam sint nostræ inclinationes naturales; sed etiam quænam illæ debeant esse ut sint bene ordi-



ordinatæ, & secundum institutionem ipsarum authoris. Omnis inordinatio inclinationum nostrarum in eo duntaxat consistit quòd statuamus ultimum nostrum finem in nobis ipsis, quòdque, cum deberemus omnia referre ad Deum, omnia ad nos referamus. Primò igitur habemus inclinationem versùs bonum in genere, quæ est principium omnium inclinationum nostrarum, omnium affectuum nostrorum, ac omnium amorum liberorum voluntatis nostræ.

2°. Habemus inclinationem ad conservationem nostrî, seu felicitatis nostræ.

3°. Cuncti habemus inclinationem versùs cæteras res creatas, quum utiles sunt vel nobis ipsis, vel iis quos amamus. Multas adhuc alias habemus inclinationes peculiare quæ ab his pendent; sed de illis alibi forsan agetur. Hoc quarto libro errores inclinationum nostrarum ad hæc tria capita, ad inclinationem nostram versùs bonum in genere, ad amorem nostrî seu ad philautiam, & ad amorem proximi referre duntaxat propositum est.

CAPUT II.

I. *Inclinatio versùs bonum in genere est principium inquietudinis Voluntatis nostræ.* II. *Et ideo negligentiae nostræ & ignorantiae.* III. *Primum exemplum; Ethica plerisque hominibus parum nota.* IV. *Secundum exemplum; Immortalitas animæ a nonnullis impugnatur.* V. *Ignorantiam nostram esse maximam circa res abstractas, aut quæ parum habent relationis ad nos.*

VASTA illa voluntatis capacitas erga omnia bona in genere, quia duntaxat creata fuit propter bonum quod in se includit omnia bona, non potest impleri rebus omnibus quas mens ipsi repræsentat, sibi tamen non potest perpetuus ille motus quem Deus ipsi versùs bonum imprimat. Motus ille nunquam desinens perpetuam in mente necessario excitat agitationem. Voluntas quærens quod optat ad id adigit intellectum ut sibi res omnigenas repræsentet. Intellectus eas sibi quidem repræsentat, sed illæ menti non arident, aut si arideant iis contenta non est. Illæ non arident menti, quia sæpe perceptio intellectûs nullâ voluptate comitata est; nam per voluptatem mens bonum suum degustat; iis verò contenta non est, quia nihil potest sistere motum mentis præter illum a quo motus ille excitatur. Quicquid mens sibi repræsentat ut bonum suum finitum est, jam

I.  
*Inclinatio versùs bonum in genere est principium inquietudinis voluntatis nostræ.*

autem



autem quicquid finitum est potest quidem ad tempus amoris motum divertere, non verò figere. Quum intellectus quædam valde nova & inusitata aut quæ aliquam cum infinito habent analogiam contemplatur, tum voluntas per aliquod tempus finit ipsum ea cum aliquâ attentione expendere; quia sperat se in iis inventuram esse quod quærit, & quia quod infinitum videtur veri ipsius boni characterem præ se fert: sed paulatim illa fastidit æquè ac cætera. Semper anxiosa est & inquieta, quia ad id fertur ut quærat quod nunquam potest nancisci, quòdque se nacturam esse semper sperat. Jam autem id amat quod magnum & extraordinarium est, quòdque ad infinitum aliquatenus accedit; quum non invenerit bonum suum in rebus vulgaribus & familiaribus, illud sperat se inventuram in rebus incognitis. Inquietudinem voluntatis nostræ esse unam inter præcipuas causas ignorantie in quâ versamur, & errorum in quos circa res innumeras labimur, hoc capite ostendemus. Et in duobus sequentibus explicabimus quid producat in nobis inclinatio illa quæ nos fert versus ea omnia quæ aliquid habent magni & extraordinarii.

II. Ex suprâ dictis evidenter satis patet primò, voluntatem non nisi ferè ad ea quæ ad nos referuntur intellectum applicare, & ea prorsus negligere quæ ad nos nullatenus attinent; cum enim felicitatem enixè semper & impressione naturali exoptet, intellectum non vertit nisi ad ea quæ nobis utilia videntur, quæque in nobis aliquam possunt excitare voluptatem.

*An per consequens negligentie nostræ inattendendo, & ignorantie.*

Secundò voluntatem non finire intellectum diu occupari circa res quæ ipsi etiam aliquam ingenerant voluptatem; quia, ut mox dictum est, res conditæ possunt quidem nobis ad tempus arridere, sed fastidium tandem nobis creant; & tum mens ab iis avertitur & alibi disquirit unde sibi satisfiat.

Tertiò, Voluntatem ad id excitari ut intellectum sic undique ab uno in aliud jubeat discursitare, quia ipsi semper repræsentat confusè & veluti eminus illum qui omnia in se complectitur, ut id in tertio libro diximus. Cum enim Voluntas verum bonum suum ad se, ut ita dicam, propiùs admovere velit ut eo afficiatur, utque ab eo motum quo animetur accipiat, intellectum excitat ut illud bonum ipsi per aliquam faciem repræsentet. Sed tunc ens illud quod mens percipit non est ampliùs ens generale & universale; ens infinite perfectum; est aliquid finitum & imperfectum, quod cum non possit voluntatis motum sistere, ipsique diu placere, ad aliud sese convertit.

Cum tamen attentio & applicatio mentis sit omnino necessaria ad retegendas veritates subobscuras; vulgi homines in crassissimâ ignorantia etiam circa ea quæ ad ipsos aliquo modo referuntur versari debere manifestum est; illòsque planè cæcutire circa omnes veritates abstra-



abstractas, quæque cum ipsis nullam habent relationem sensibilem. Sed hæc exemplis demonstrare conemur.

Nulla est scientia quæ ad nos tam proximè spectet quàm Ethica; Illa omnes officii nostri partes, erga Deum, erga Principem, erga parentes, erga amicos & in genere erga omnia nobis circumstantia nos docet. Immo nobis indicat viam quam ad vitam æternam consequendam insistere debemus. Ac proinde omnibus hominibus necessaria & ineluctabilis incumbit necessitas animùm unicè ad illam scientiam appellendi. Attamen quanquam a sex mille annis homines existant, hæc scientia adhuc est admodum imperfecta.

Pars illa Ethicæ quæ versatur circa officia nostra erga Deum, quæque proculdubio est præcipua, quippe quæ ad æternitatem referatur doctissimis incognita fuit; atque etiamnum hodie existant viri ingeniosi illius planè imperiti: Illa tamen est pars Ethicæ facillima. Nam primò an difficile est agnoscere Deum existere? Quicquid Deus fecit id probat; Quicquid homines & bruta faciunt idem etiam probat; Quicquid cogitamus, videmus, sentimus id probat. Quid plura? Nihil est quod existentiam Dei non probet, aut saltem quod ingeniis attentis, ac rerum omnium Authorem inquirentibus illam non possit probare.

Secundò mandatis Dei esse obediendum ad beatitudinem consequendam manifestum est; cum enim ille sit potens & iustus, ipsius mandata non possunt impune violari, nec observari sine mercede. Quid verò a nobis exigit? Ut ipsum amemus; Ut mens nostra ipso occupetur, ut cor nostrum versus ipsum inflectatur. Cur enim creavit spiritus? Certè nihil potest facere nisi propter se, nos igitur propter se solum creavit; & ad id necessariò tenemur ut perpetuò caveamus, ne impressionem amoris quam in nobis perpetuò conservat aliorsum deslectamus, & ipsum perpetuò quoque amemus.

Veritates illæ cognitu non sunt admodum difficiles iis qui ad illas tantillum attendunt. Attamen unicum illud Ethicæ axioma, scilicet, ut virtutis observantes & beatitudinis participes sumus omninò necesse esse nos Deum ante omnia & in omnibus amare, totius Ethicæ Christianæ fundamentum est. Non difficili etiam negotio possunt inde elici consequentiæ nobis necessariae, ad instituendas generales vitæ nostræ & actionum nostrarum regulas & leges; quamvis oppidò pauci sint qui illas eliciant consequentias; ac quotidie magnâ animorum contentione agitentur quæstiones in Ethicâ quæ ab illo axiomate tam evidenti immediatè & necessariò sequuntur.

Geometræ aliquid novi quotidie retegunt; aut si scientiam suam valde non adaugeant, id fit quia ex axiomatibus suis utilissimas & maximè necessarias jam deduxerunt consequentias: Sed plerique homines nihil quicquam ex primo Ethicæ axiomate concludere possunt. Omnes ipsorum ideæ evanescent & in auras abeunt, statim ac de illo axio-

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

K k

mate

III:  
Primum  
exemplum:  
Ethica ple-  
risque homi-  
nibus pa-  
rum nota;





mate tantum cogitare volunt; quia id ut par est minimè volunt; idque non volunt quia illud non gustant, aut semel gustatum citius æquo fastidiunt. Axioma illud abstractum est, metaphysicum & merè intelligibile; nec sensus nec imaginationem ferit: Oculis igitur carnalibus aut mentibus quæ nihil nisi oculorum interventu cernunt, solidum videri nequit. Nihil deprehenditur in illo axiomate quod possit sistere inquietudinem ipsorum voluntatis, quòdque possit visum mentis ad attentam sui considerationem figere. Quis igitur illud clarè perspicere, distinctè intelligere, & ab illo rectas consequentias deducere possent?

Si homines illam Geometriæ propositionem imperfectè duntaxat conciperent; scilicet latera triangulorum similium esse proportionalia inter se; certè periti Geometriæ habendi non essent, sed si præter perceptionem illam confusam & imperfectam istius propositionis fundamentalis Geometriæ, ipsorum utilitas postularet latera triangulorum similium non esse proportionalia; ac si falsa Geometria æquè indulgeret perversis ipsorum affectibus ac falsa Ethica, in rebus Geometricis paralogismos non minùs absurdos facerent ac in rebus moralibus; quia ipsorum errores ipsis placerent; veritas verò ipsis impedimento esset, ac ipsos obtunderet, infestaretque.

Non est igitur quòd miremur cæcitatem hominum qui per antea cta sæcula vivebant in quibus ignorantia grassabatur, aut eorum qui nunc vivunt, quibusque lumen Evangelii nondum affulsit. Sapientiam æternam sese tandem sensibilem præbere oportebat, ut homines qui solos sensus consulunt erudiret; a quater mille annis veritas ipsorum mentem alloquebatur; Sed cum sese intra se ipsos nunquam colligerent, veritatis vocem non exaudiebant; Illam igitur ipsorum aures ferire oportuit; Lux omnes homines illuminans in ipsorum tenebris lucebat quidem, sed eas non discutiebat; immo eam ne poterant quidem contemplari. Oportebat igitur lumen intelligibile obnuptum velo visibile fieri; verbum carnem assumere, sapientiamque hominibus carnalibus abditam & inaccessam ipsos modo carnali instituere; *carnaliter*, inquit Divus Bernardus. Plerique Homines ac præcipuè pauperes quorum misereri & curam suscipere præcipuè creatorem decet, qui vitam labore suo tolerare coguntur, sunt maximè rudes & stupidi. Intelligunt duntaxat, quia habent aures quibus audiant, nec quicquam vident, nisi quia habent oculos; nullo mentis conamine possunt in se ipsos reflecti, ut sic veritatem, silentibus sensibus & affectibus, possint interrogare. Ad veritatem incumbere nequeunt, quia illam ne possunt quidem delibare. Immo de illâ meditari sæpe non cogitant, quia ipsorum animum non subit ad ea incumbere quibus nequaquam afficiuntur aut tanguntur. Ipsorum Voluntas inquieta & inconstans mentis aciem indelinerenter flectit versus sensibilia, quæ ob suam varietatem ipsis arident, voluptatè que creant: Nam multiplicitas, ut  
ita

Serm. 39.  
de natali  
Domini.



ita dicam, & varietas bonorum sensibilibum impediunt quò minùs ipso-  
rum vanitas agnoscat, ac perpetuam hominibus spem faciunt in  
ipsis inveniendi verum bonum quod appetunt.

Itaque, quamvis præcepta a Jesu Christo ut homine, ut viâ, ut  
Authore fidei nostræ nobis in Evangelio tradita multò magis accommo-  
data sint ingenii nostri infirmitati, quàm præcepta ab eodem Jesu  
Christo ut sapientiâ aternâ, ut veritate internâ, ut lumine intelligibi-  
li in intimo rationis secessu nobis inspirata; Quamvis Jesus Christus  
præcepta sua jucunda efficiat gratiâ suâ, ea exemplo suo, sensibus ve-  
luti objiciat, miraculisque certa reddat, homines ita sunt stupidi & ad  
meditationem attentionemque adeo inepti, etiam circa ea quæ ipsos sci-  
re omnino expedit, ut illa nunquam, ut par est, apud se reputent.  
Pauci perspicunt Evangelii pulchritudinem, Pauci soliditatem & ne-  
cessitatem præceptorum Christi satis assequuntur; Pauci illa meditan-  
tur, illisque sese sustentant & muniunt; quia perpetua Voluntatis bo-  
num degustare quærentis agitatio mentem non sinit intentam esse ad  
veritates quæ eam hoc bono quod quærit privare videntur. En aliud  
istius rei exemplum.

Impii non debent, ni fallor, oscitanter quærere an ipso-  
rum anima sit mortalis, ut id arbitrantur, an immortalis ut fides & ratio docent.  
Res ipsis est summi momenti. Ibi de aternâ ipso-  
rum forte agitur; immo ipso-  
rum animi tranquillitas hinc omnino pendet. Unde igitur  
illorum hac super re ignorantia? Aut quomodo circa rem tanti mo-  
menti dubium possunt sustinere? certè id non aliunde oritur quàm ex  
eo quòd ad nihil quicquam seriò attendere valent; Voluntas ipso-  
rum inquieta & corrupta non sinit mentem intentam expendere rationes sen-  
tentia quam veram esse optarent adversas. Etenim an ita difficile est  
discrimen inter mentem & corpus, inter id quod cogitat, & id quod  
extensum est agnoscere? Tantane opus est mentis attentione ut capiat  
cogitationem nihil esse rotundi, nihil quadrati? Extensionem diversarum  
figurarum, variorumque motuum duntaxat esse capacem, non verò  
cogitationis & ratiocinationis; ac proinde id quod cogitat & id quod  
est extensum duo esse planè opposita? Id tamen sufficit ad demonst-  
randum animam esse immortalem, illamque non posse perire, tamen-  
si corpus annihilaretur.

Quum substantia aliqua perit, verum est ejus *modos* cum ipsâ inte-  
rire. Si aliqua ceræ portio annihilaretur, certè & figuræ istius ceræ  
cum ipsâ annihilarentur; quia rotunditas ceræ, exempli gratiâ, nihil  
aliud revera est præter ipsam ceram hoc modo dispositam, itaque sine  
cerâ non potest subsistere, sed licèt Deus omnem quæ in mundo exis-  
tit ceram in nihilum redigeret, non inde tamen sequeretur ullam aliam  
substantiam, aut modos ullius aliûs substantiæ annihilari. Omnes, ex-  
empli gratiâ, lapides cum suis *modis* subsisterent, quia lapides sunt  
substantiæ seu entia, non verò modificationes ceræ.

IV.  
Secundum  
exemplum;  
Immortali-  
tas animæ a  
nonnullis  
impugna-  
tur.



Pariter licet Deus annihilaret dimidiam alicujus corporis partem, inde non sequeretur alteram partem ab ipso quoque annihilari. Ultima illa pars alteri quidem cohaeret, sed cum ipsa tamen una non est. Namque altera parte annihilata sequitur quidem, juxta rationis lumen, alteram partem nullam amplius relationem habere ad partem annihilatam, sed non sequitur illam non amplius esse; cum enim existentia illius partis ab alterius existentia differat, illa non potest annihilari per annihilationem alterius. Clarum igitur est, cum cogitatio nequaquam sit modificatio extensionis, mentem nostram non annihilari, licet supponeremus morte corpus nostrum in nihilum redigi.

Sed immerito corpus annihilari creditur quum destruitur. Partes quibus constabat in auras abeunt, & in pulverem resolvuntur. Non possunt amplius videri nec agnosci, fateor, sed inde concludendum non est ipsas amplius non esse, mens enim eas semper percipit. Si unum sinapi granum in duas, quatuor, aut viginti partes dividitur, respectu oculorum nostrorum annihilatur; illud enim amplius non videmus, sed in se tamen non annihilatur; mens enim illud videt, licet in partes mille immo centies mille dividerit.

Quicunque ratione potius quam sensibus utitur, is pro certo habet nihil per se reverti in nihilum viribus naturae ordinariis; nam quemadmodum naturaliter nihil potest fieri ex nihilo, non potest etiam fieri ut substantia seu ens fiat nihil. Corpora possunt quidem corrumpi, si mutationes quae ipsis accidunt corruptionem nuncupare placeat, sed non possunt annihilari. Quod rotundum est potest fieri quadratum, quod caro est potest fieri terra, vapor, & quicquid libuerit. Omnis enim extensio quamlibet configurationem potest suscipere, sed substantia illius quod est rotundi & illius quod est caro non potest perire. Sunt quaedam leges in naturam institutae secundum quas corpora vicissim mutant formas suas, quia successiva istarum formarum varietas pulchritudinem universi constituit, & in admirationem ipsius auctoris rapit; Sed nulla lex in naturam instituta est ad annihilationem ullius entis, quia nihilum nihil in se habet boni nec pulchri, & quia auctor naturae amat opus suum. Corpora igitur possunt mutari, non vero annihilari.

At si qui sensuum testimonio mordicus adhaerentes, resolutionem corporum esse veram annihilationem velint praefractè defendere; quia partes in quas resolvuntur corpora oculos fugiunt; meminerint saltem corpora non posse dividi in partes illas imperceptas nisi quia sunt extensa. Namque si mens non sit extensa, certe non erit divisibilis; si non sit divisibilis, fatendum erit illam hoc sensu non fore corruptibilem. At verò quomodo quis posset imaginari mentem esse aliquid extensum & divisibile? Quadratum per lineam rectam in duos triangulos, in duo parallelogrammata, in duo trapezia potest quidem dividi. At per quam lineam concipiemus voluptatem, dolorem desiderium posse referri?



cari? Aut quam figura ex hac divisione resultaret? Certè haud credo imaginationem falsarum idearum ita feracem esse ut sibi super hac re satisfacere valeat.

Mens igitur non est extensa, non est divisibilis, easdem quas corpus non potest suscipere mutationes; confitendum tamen est ipsam naturam suam non esse immutabilem. Si corpus innumeras varias figuras & configurationes suscipere potest, mens varias etiam ideas & modificationes potest excipere, sicut post obitum substantia carnis nostrae in terram, vapores, & innumera corpora resolvitur sine ullâ annihilatione, ita mens nostra, omnis annihilationis experta, cogitationes & sensationes habebit longè diversas ab iis quas nunc habet. Nunc dum in vivis sumus, necesse est corpus nostrum constare ex carne & ossibus; necesse pariter est, ut vivamus, mentem nostram habere ideas quas habet relatè ad corpus cui conjuncta est. Sed postquam e corpore sejuncta fuerit, tunc plenam fruatur libertate recipiendi quasilibet ideas & modificationes ab iis quas nunc habet longè diversas, sicut pariter corpus nostrum quasilibet figuras & configurationes ab iis quas nunc necessario habere debet ut sit corpus hominis vivi, longè diversas poterit accipere.

Quae a me supraddicta sunt satis, ni fallor, demonstrant immortalitatem animae intellectu non esse adeo difficilem. Unde igitur fit ut tot homines illam vocent in dubium, nisi quia ad argumenta quibus illa probatur eam non dignentur attentionem afferre quae necessaria est ut de illius veritate convincantur? Cur autem id nolunt, nisi quia ipsorum voluntas inquieta & inconstans intellectum perpetuò agitat, adeo ut ne ipsi quidem per tempus liceat distinctè percipere ideas sibi maxime praesentes, quales sunt ideae cogitationis & extensionis? non secus ac homo affectu aliquo motus & occupatus ea quae oculis proximè obversantur plerumque non discernit. Etenim quaestio de mentis immortalitate omnium est facillima soluta iis qui imaginationis testimonium respicientes ideam claram & distinctam extensionis, & relationem quam cum cogitatione habere potest, attento expendunt examine.

Si inconstantia & levitas voluntatis nostrae intellectui res ipsi praesentissimas & quas scire nostram maxime interest penitus introspicere non permittat, certè multò minus ea quae sunt dissita, quaeque ad nos nequaquam referuntur, meditari nobis permittet. Adeo ut si in crassissimam versemur ignorantiam circa pleraque nobis necessaria, verisimile non sit nos magnam esse consequuturos cognitionem eorum quae nobis vana & inutilia prorsus videntur.

Ab exemplis tædiosis, quaeque nullam alicujus momenti veritatem complectantur, ad haec probanda proferendis hic supersedeo. Si quae enim ignorare licet, certè ea sunt ex quibus nulla redundat utilitas:



fidem mihi denegari malo, quàm lectorem in legendis inutilibus detinere.

Quamvis pauci sint qui ad res planè vanas & inutiles ferìò incumbant, illorum tamen numerus æquo adhuc major est, utinam plures adhuc essent qui ad illas animum non appellerent, illásque adspernerentur, dummodo de illis judicare non fatagerent. Menti finitæ vitio vertendum non est quòd quædam ignoret, sed tantum quòd de iis quæ ignorat judicare velit. Ignorantia malum est necessarium, sed error evitari potest & actu evitari debet. In hominibus itaque non ignorantiam circa plurima, sed judicia temeraria carpo.

V.  
Ignorantiam nostram summam esse circa res abstractas, aut quæ parum habent relationis ad nos.

Quum res magnam ad nos habent relationem, quum sensibiles sunt, & sub imaginationem facilè cadunt, mens ad eas applicari easque posse cognoscere dici potest. Ubi enim novimus res quaspiam ad nos aliquatenus referri, ad id naturá propendemus ut ad illas attendamus, cum verò sentimus res illas nos afficere tum ad illas cum voluptate attendimus; adeo ut in multis multò peritiores esse deberemus nisi voluntatis nostræ inquietudo & agitatio attentionem nostram interromperet & fatigaret.

Sed cum res abstractæ sunt, & parum sensibiles, vix earum certam possumus habere cognitionem; Id quidem ex eo non fit quòd res abstractæ sint per se valde complexæ & intricatæ; sed ex eo quòd attentio & visus mentis eodem plerunque tempore inchoat & desinat quòd visus sensibilis rerum objectarum; vix enim de quoquam cogitamus, nisi illud videamus ac sentiamus, & quandiu tantum illud videmus & sentimus.

Si mens ad ideas claras & distinctas, nullá veluti adjuncta sensatione, posset facilè attendere, ac nisi voluntatis inquietudo ipsius applicationem perpetuò disturberet, certè innumeras quæstiones Physicas, quas inexplicabiles censemus, nullo negotio solveret; atque hoc pacto nos ab ignorantia & errore in quibus circa illas quæstiones versamur brevi expedire possemus.

Exempli gratiá; apud omnem hominem ratione suá ritè utentem pro certo constat creationem & annihilationem superare vires naturæ ordinarias. Si igitur Philosophi attenti persisterent ad illam puram mentis notionem, creationem & annihilationem numeri novorum entium innumerabilis, ut formarum substantialium, qualitatum, facultatum realium, &c. tam facilè non admitterent. In ideis distinctis, extensionis, figuræ, & motus rationem quærerent tot effectuum naturalium; quòd non tantam quanta vulgò putatur involvit difficultatem; quippe omnes res naturales mutuo coherent inter se vinculo, ac sese mutuò comprobant.

Effectus ignis, ii verbi gratiá quos edunt tormenta bellica & cuniculi subterranei sunt prorsus admirabiles, & ipsorum causa est satis occulta.



culta. Attamen si homines, sensuum impressioni & aliquot experimentis falsis aut fallacibus diffidentes huic uni mentis puræ notioni mordicus adhærescerent; nempe, fieri non posse ut corpus oppidò parum agitatum violentum producat motum, cum non possit majorem imperiri vim moventem quàm habet in se; ex eo solo facilè concluderent esse materiam quandam subtilem & invisibilem; ipsam esse agitativissimam, per omnia corpora diffusam, & multa similia quæ ipsos ad cognitionem naturæ ignis, & ad alias veritates magis abditas deducerent.

Cùm enim tanti excitentur motus in tormento bellico & in cuniculo subterraneo, cùmque omnia corpora visibilia ipsis circumjacentia satis non agitentur ut illos motus excitare queant; hinc certò & manifestò patet alia dari corpora invisibilia & insensibilia, quæ tantùm ad minimum habeant agitationis quantum tormentarius globus. Sed cùm corpora illa sint subtilissima & tenuissima, liberè & nullâ rptione factâ per poros tormenti sola transire queunt, antequàm ignis ipsi fuerit admotus, hoc est, ut id fusiùs videre licet apud D. Cartesium, antequàm circumdederint partes duras & crassas salis nitri ex quibus constat pulvis tormentarius. At verò cùm ignis tormento fuit admotus, hoc est, postquàm partes illæ subtilissimæ & agitativissimæ circumcinxerunt partes crassas & solidas salis nitri, ac eo pacto cum ipsis suum vehementissimum & velocissimum communicavere motum; tunc omnia erumpere & crepare necesse est, quia pori tormenti qui partibus subtilibus de quibus agitur transeundi copiam undique faciebant, dum erant solæ, satis patentes non sunt ut per eos transire possint partes crassæ salis nitri, & quædam aliæ ex quibus constat pulvis tormentarius, postquàm agitationem partium subtilium quibus circundantur in se susceperunt.

Quemadmodum enim aqua fluminum sub pontibus præterfluens ipsos non quatit ob tenuitatem particularum ex quibus constat illa aqua, ita materia subtilissima & tenuissima de quâ mox, omnium corporum poros, nulla in iis memorabili mutatione factâ, indefinenter prætergreditur. Sed non secus ac etiam flumen illud potest evertere pontem, ubi ingentes glaciei moles, aut alia quælibet solidiora corpora secum convecta cum toto suo motu in illum pontem impellit; ita materia subtilis omnes illos effectus stupendos qui in tormentis & cuniculis conspiciuntur potest edere, postquàm, communicato motu cum partibus pulveris tormentarii quibus intermiscetur, qui motus violentiâ suâ longe exsuperat fluminum ac torrentium motum, eadem illæ partes pulveris pyrii per poros corporis quo continentur liberè transmeate nequeunt, quia sunt crassiores; adeo ut poros illos cum impetu rumpant, ut liberè possint transire.

At verò partes subtiles & tenues tam facilè sibi repræsentare nequeunt



queunt homines; illas existimant meras chimæras, quia illas non vident. *Contemplatio ferè desinit cum aspectu*, inquit Baco. Immo plerique Philosophi novam aliquam entitatem fingere, quàm super iis quæ ignorant filere malunt. Quòd si ipsorum falsis & incomprehensibilibus hypothésibus objicias, necesse esse ignem constare partibus maximè agitatæ, cum motus adeo violentos edat, nihilque possit dare quod non habet; quæ sane objectio clarissima est, certa atque solidissima; tum homines illi omnia confundere distinctione aliquâ frivolâ & fictitiâ, qualis est distinctio causarum æquivocarum & univocarum, ut aliquid dicere videantur, dum reapse nihil dicunt. Etenim apud quemlibet attentum notio communis est non posse dari veram causam æquivocam in rerum naturâ, solâque hominum ignorantiam illas excogitasse.

Ad notionum itaque clararum & distinctarum considerationem attentius animum appellant homines, si naturam cognoscere velint; inconstantiam & levitatem voluntatis suæ cohibeant ac fiant, si res penitus & accuratè cupiant cognoscere. Ipsorum enim mentes erunt semper debiles, superficialiæ, & erroneæ, quædum ipsorum voluntates leves, inconstantes, & mutabiles manebunt.

Attentio quidem & accuratum rerum examen molestiam parit; verùm quid sine labore potest comparari? Viris cordatis & Philosophis, quorum omnino interest veritatem inquirere & tueri, turpe est loqui, nec ea quæ loquuntur intelligere, ac in eo quod nequaquam assequuntur segniter acquiescere.

## CAPUT III.

I. *Curiositas est naturalis & necessaria.* II. *Tres leges quibus illa possit intra justos limites contineri.* III. *Prima illarum legum explicatur.*

I.  
*Curiositas  
est natura-  
lis, & essen-  
tialis.*

Q Uædum homines versùs bonum supra vires ipsorum positum inclinabunt, illudque non possidebunt tamdiu occultâ quadam propensione versùs id omne quod novi & insolentis aliquid geret semper ferentur. Res quas nondum expenderunt semper consectabuntur; in iis se quod quærunt nacturos sperantes; cumque mentibus ipsorum non possit penitus satisfieri nisi per visum illius propter quem conditæ sunt, in perpetua versabuntur anxietate & agitatione, donec tandem ille gloriâ suâ circumfulgens ipsis appareat.

Ista



Ista quidem mentis dispositio ipsorum statui valde conformis est; quippe veritatem & felicitatem quæ penes nos non sunt anxie disquirere longè satius est, quàm si mendacio falsisque bonis quibus plerumque pascimur contenti in falsâ requie securi manerent. Circa veritatem & suam felicitatem indifferentes esse non debent homines. Itaque quod novum est & insolitum id illos debet excitare. Immo quædam est curiositas quæ ipsis non modò permittenda, verùm etiam commendanda est. Cùm itaque vulgaria & ordinaria verum bonum in se non includant, veteresque Philosophorum opiniones sint perquam incertæ, æquum est nos curiositate moveri erga recens resecta, ac in perpetuâ anxietate versari, dum solis ordinariis bonis fruimur.

Si Geometra quipiam novas propositiones Euclidis propositionibus contrarias nobis obtruderet; si hanc scientiam erroribus scaterere probare satageret, ut id aggressus est Hobbes libro adversus fastum Geometrarum, fateor ejusmodi innovationem nonnisi immeritò posse cuiquam arridere; quoniam veritati semel repertæ tenaciter adhærendum est, cùm curiositas eo duntaxat sine nobis sit data ut illam veritatem inveniamus. Nec id vitium deprehendi solet apud Geometras, ut sint opinionum novarum in Geometriâ sectatores. Ipsos brevi tæderet libri qui nihil præter propositiones Euclidis propositionibus contrarias complecteretur. Cùm enim certissimi facti simus veritatis istarum propositionum per demonstrationes infractas, omnis nostra curiositas ipsarum respectu desinit; Quod nobis manifestè arguit homines ideo tantùm versùs novitatem propendere, qui veritatem rerum quas scire naturaliter exoptant evidenter non vident, & quia bona infinita quæ possidere naturâ suâ appetunt non possident.

Iustum igitur est homines novitate excitari & ipsam amare; sunt tamen quædam admittendæ exceptiones, & nonnullas leges observare debent quas ex iis quæ diximus, nempe, propensionem erga novitatem nobis duntaxat ad veritatis & nostri veri boni inquisitionem datam fuisse, colligere facile est.

Jam autem tres sunt ejusmodi leges, prima; homines non debere confectari novitatem in rebus fidei quæ rationi non subjiciuntur.

Secunda novitatem non esse rationem ob quam credere debeamus res esse bonas aut veras, hoc est, nos non debere judicare opiniones veras esse, quia sunt novæ, bonæque esse nobis idonea & sufficientia, quia nova sunt & extraordinaria, illisque nondum fuimus potiti.

Tertia. Quum aliunde certi facti fuimus veritates quasdam ita abditas esse ut eas retegere moraliter sit impossibile, bonæque ita parva & exilia esse ut nobis satis esse nequeant, eorum novitate pertrahi non debemus, nec falsis allici speciebus. Sed istæ leges fufius sunt expli-

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

Ll

candæ,

II.  
Tres leges  
quarum ope  
curiositas in-  
tra justos  
contineatur  
limites.



candæ, ostendendumque ex ipfarum negligentia ingentem oriri errorum numerum.

III. *Primæ illarum legum specialis explicatio.* Indoles maximè diversæ sæpissime reperiuntur inter homines; alii cæcam fidem semper volunt adhibere; alii evidenter omnia volunt videre. Priores utpote qui nunquam mente suâ usi fuerint, inconsultò credunt quæcunque ipsis dicantur, posteriores mente suâ semper uti volentes, etiam in rebus quæ ipsos longè superant, quælibet auctoritates perinde adspernantur. Priores ut plurimum sunt stupidi & homines debilis cerebri, ut infantes & fœminæ; alii sunt ingenio superbo, & profano, quales sunt hæretici, & Philosophi.

Pauci admodum reperiuntur qui inter illa duo extrema medium insistant iter, quique in rebus fidei nunquam ex vanâ mentis agitatione evidentiam quærant, aut qui falsas opiniones circa res naturales, per obedientiam inconsultam abjectamque animi demissionem sine evidentia non credant. Si homines illi sint pietate insignes, ac Ecclesiæ auctoritati maximè submissi, ipsorum fides ad opiniones usque merè Philosophicas nonnunquam extenditur; opiniones illas sæpe eadem cum veneratione spectant ac veritates Religionis: dissentientes faciliè nimis damnant, falso scilicet moti zelo. Eos non sine injuriâ suspectos habent qui novas quasdam retegunt veritates. Illum protinus impietatis arguent qui negare audebit dari formas substantiales, animalia dolorem & voluptatem sentire, aliàsque Philosophicas opiniones quas sine ratione evidenti veras existimant, quia duntaxat nescio quem nexum fingunt inter illas opiniones & veritates fidei.

Viceversâ, si in homines incidas æquo audaciores, superbia ipsos eò adducit ut Ecclesiæ auctoritatem suscipere deique habeant: vix ac ne vix quidem ei se subjiciunt; opinionibus duris & indigestis gaudent; animi fortitudinis famam ambiunt; atque eo animo de rebus divinis inverecundè & audaciter loquuntur; illos despiciunt ut nimis credulos qui de sententiis quibusdam receptis modestè loquuntur. Denique ad id valde propensi sunt ut de cunctis dubitent, atque ab aliis, qui faciliùs æquo humanæ auctoritati sese submitunt, toto genere diversi.

Hæc duo extrema pessima esse, illosque qui in quæstionibus naturalibus nullam quærunt evidentiam non minus vituperandos esse quàm eos qui in mysteriis fidei evidentiam illam anxie sollicitant, manifestum est. At verò qui in erroris periculum adducuntur in quæstionibus Philosophicis, dum æquo faciliùs fidem adhibent, multò sanè excusabiliores sunt iis qui temerariè dubitando in hæresin aliquam incidere periclitantur. Etenim innumeros admittere errores in Philosophiâ ob examinis defectum multò minus periculosum est, quàm in unicam labi hæresin propter non præstitam auctoritati Ecclesiæ debitam obedientiam.



Mens placidè quiescit ubi evidentiam nanciscitur, at verò quum illam non reperit sollicita est, quia evidentia est veritatis character. Itaque \* Profanorum & Hæreticorum error in eo confisitur quòd veritatem in Ecclesiæ decisionibus occurrere dubitent, quia in iis nullam vident evidentiam, ac veritates fidei cum evidentiâ posse cognoscere sibi pollicentur. Jam autem hac in re normam excedit ipsorum novitatis amor, quippe veritatem in Fide Ecclesiæ possidentes, perperam aliquid ulteriùs quærunt. His adde quòd veritates Fidei, ut pote ipsorum captum longè exsuperantes, nunquam possent retegere, licèt juxta falsam ipsorum hypothesim Ecclesia in suis decisionibus errasset.

\*Libertins.

\*vid. 13. &amp; 14. de Metaphysicâ colloquia.

Verùm si complures sint qui obedientiam & summisionem auctoritati Ecclesiæ denegando errent, pauciores non sunt qui auctoritati humanæ serviliter cedentes in errorem labuntur. Auctoritati Ecclesiæ cedendum est, quia errare nequit; At verò humanæ auctoritati cæcum obsequium nunquam præstandum est, quia ubique & semper possunt errare. Quod Ecclesia nos docet rationis vires infinitè superat; Quod homines nos docent rationi nostræ subjicitur. Adeo ut si piaculum sit & vanitas intoleranda per rationem quærere veritatem in rebus Fidei, nullo habito respectu ad Ecclesiæ auctoritatem, summa etiam sit levitas & abjecta pusillanimitas auctoritati humanæ in rebus a ratione pendentibus cæcum præbere assensum.

Plerique tamen eorum qui apud homines docti audiunt, hanc famam sibi comparasse dici possunt quia duntaxat opiniones Aristotelis, Platonis, Epicuri, & quorundam aliorum Philosophorum memoriâ tenent, quia in ipsorum sententias pedibus eunt, illasque acerrimè tutantur. Ut ad gradus, quos vocant, externosque doctrinæ characteres aliquis in Academiis seu Universitatibus promoveatur, sufficit ipsum quorundam Philosophorum opiniones assequi. Dummodo velit jurare *in verba Magistri*, brevi Doctor proclamabitur. Omnes penè Societates doctrinam tenent sibi propriam & peculiarem, quam singulis Societatis membris deserere interdicitur. Quod apud illos verum habetur, apud hos falsum sæpe existimatur: sui ordinis doctrinam contra rationem & experientiam defendere gloriantur, ac veritatem, vel authores suos contorquere tententur, ut hos cum illâ possint conciliare. Quod innumeras parit distinctiones frivolas, quæ veluti per totidem Mæandros in errorem certò deducunt.

Si veritas quæpiam retegatur, oportet etiamnum Aristotelem illam vidisse veritatem; sin verò Aristoteles illi repugnet, tum veritas illa recens relecta falsa existimabitur. Philosophum illum alii hoc, alii illo modo loquentem inducunt. Quicumque enim docti eluere gestiunt, ipsi suam affingunt sententiam, nullam ineptiam ipsi



non tribuunt, ac nihil recens excogitatur quod in aliquo librorum ipsius recessu ænigmaticè non reperitur. Uno verbò sibi penè semper adversatur Philosophus, si non in suis ipsius, saltem in sectatorum operibus. Quamvis enim Philosophi ipsius doctrinam se docere asseverent & autument, vix tamen duo reperientur qui circa ejus sententiam inter se consentiant: Quoniam revera Aristotelis libri adeo obscuri sunt, totque scatent vocibus vagis & generalibus, ut eorum opiniones quæ ipsi maximè adversantur non sine verisimilitudine possint ipsi tribui. In nonnullis illius operibus quidlibet ipsi adscribere licet, quia in iis nihil penè dicit, quamvis multa magno strepitu deblateret: quemadmodum pueri campanas sonitu suo quidlibet dicere fingunt, quia campanæ ingentem edunt sonum, nec quicquam dicunt.

Mentem humanam figere ac sistere in opinionibus quibusdam specialibus æquum quidem videtur, ne extra oleas divagetur. Verùm quid ergo? an sistenda est errore & mendacio? seu potius quis credat errorem posse mentem sollicitudine liberare? Quàm quæso, rarum est cordatos reperire viros quibus lectione Aristotelis satisfiat, quique, postquam in ipsius libris evolvendis consenuerunt, veram se comparasse scientiam persuadeantur? Certè id manifestò arguit veritatem & evidentiam duntaxat posse sistere mentis agitationem, ac altercationes, odia, errores, & hæreses ipsas pessimâ studiorum instituendorum ratione foveri. Veritas consistit in individuo, omnis varietatis experta est, solaque potest hominum ingenia ad concordiam revocare; mendacium verò & error illa duntaxat dividere & agitare queunt.

Haud quidem me latet non deesse qui bonâ fide credant illum: quem Philosophorum Principem appellant errare non posse, ac in ipsius operibus veram solidamque reperiri Philosophiam. Sunt qui a bis mille annis ex quibus scripsit Aristoteles nullum adhuc in ipsius Libris errorem unquam deprehensum fuisse arbitrentur; ac proinde, cum sit quadantenus errare nescius, se posse illum sine examine amplecti & tanquam errore superiorem citare. Verùm homines hujusce commatis non moramur, in eâ enim versantur ignorantia quæ contemptum potius quàm refutationem meretur. Id unum ab illis efflagitamus; ut nempe, si videamus Aristotelem aut quendam inter ipsius sectatores ullam unquam deduxisse veritatem ex placitis istius Philosopho peculiaribus, aut si ipsi rem consecerint; veritatem illam profiteantur, proferrant, explicent & probent; tum Aristotelem nunquam in posterum a nobis sine Elogio nominatum iri quolibet pignore illis spondebimus. Ipsius effata haud ampliùs inutilia dicemus, quippe quæ uni tandem veritati stabiliendæ conduxerint, sed id sperandi non datur locus. Jamdudum similis provocatio facta fuit a multis ac inter cæteros a celeberrimo D. Descartes in Meditationibus suis Metaphysicis ante quadraginta annos aut circiter; additâ sponsione demonstrandi falsitatem  
istius



istius falsæ veritatis. Nec verisimile est quemquam ausurum esse id quod antagonista Cartesii insensissimi, & Aristotelis vindices accerrimi nondum ausi sunt aggredi.

Quum hæc igitur ita se habeant, liceat nobis dicere eos qui Aristotelis, Platonis, aut alius cujuslibet Philosophi authoritati sic cedunt, id per cæcitatem, pudendam pusillanimitatem, ac summam stupiditatem facere; eosque tempus miserè perdere, qui, dum illos legunt auctores, eo tantum consilio id agunt, ut illos retineant; Quin istos non modò tempus terere, verum etiam alius ejusdem jacturæ causam esse. Liceat dicere cum D. Augustino, stultam esse curiositatem *filium suum* August. de Magistro, *in scholam mittere, ut quid Magister cogitet discat*, Philosophos non posse nos erudite authoritate suâ, quòd si id vellent, iniquè volunt. Illos aliquatenus insanos & impios esse qui se ipsorum sententias defensuros solemniter jurarunt. Veritatem denique captivam iniquè detineri ab iis qui propter sui commodum novis Philosophiæ opinionibus, quæ veræ esse possunt, renitentur, ut eas, quæ ab ipsis falsæ aut inutiles satis agnoscuntur, conservent.

## CAPUT IV.

*Idem ulterius tractatur argumentum. I. Secunda curiositatis lex explicatur. II. Tertia explicatur.*

**S**ecunda lex quæ observanda venit est, novitatem a nobis nunquam I. haberi debere ut argumentum quo credamus res esse veras. Ho- Secunda lex explicatur. mines in errore & in falsis bonis quibus potiuntur acquiescere non debere, & ipsos evidentiam veritatis verumque quod non possident bonum quærere, ac proinde ad res sibi novas & insolitas ferri oportere multoties jam diximus. Sed his semper adhærescere non debent, nec ideo credere novas opiniones veras esse quia sunt novæ, aut bona esse vera quia nondum illis potiti fuerant. Novitas eò tantum illos adducere debet ut res novas accuratè circumspeciant. Illas ut pote sibi ignotas non debent aspernari, sed nec illas id quod optant & sperant in se includere temere credere debent.

Verum enim verò res hæc ut plurimum ita se habet. Homines examinatis opinionibus veteribus & vulgaribus in iis veritatis lumen perceperunt. Degustatis bonis vulgaribus in iis voluptatem solidam, quæ possessionis boni comes esse debet, non compererunt. Ipsorum igitur sollicitudines & desideria opinionibus & bonis vulgaribus non expleta sunt, si aliquid novi & insoliti fando accipiunt, idea novitatis illos in spem adducit ibi inveniendi id quod quærunt. Et quia sibi



ipsis naturâ suâ indulgent, ac res vulgò tales credunt quales illas esse optarent, spes invalescit quò magis desideria crescunt, eaque demum spes in persuasionem imaginariam convertitur. Dein ideam novitatis ideæ veritatis tam stricte alligant, ut prior nunquam se ipsis objiciat sine alterâ. Quodque novissimum ipsis semper verius & præstantius apparet quàm quod vulgare est. Ab illis valde dissimiles qui præ odio quo prosequuntur hæresin, alligatâ ideâ novitatis cum ideâ falsitatis, omnes novas opiniones falsas esse, & aliquid periculosi includere arbitrantur.

Hæc igitur solita dispositio mentis & cordis hominum respectu eorum omnium quæ novitatis characterem præ se ferunt, inter generaliores errorum causas recenseri potest. Ista enim dispositio illos nunquam ferè ad veritatem ducit; si quandoque ducat, id fortuitò contingit; ac illos denique semper abducit a vero suo bono, ipsos sistendo in multiplici varietate delectationum & falsorum bonorum quibus mundus refertus est, qui error omnium est periculosissimus.

II.  
Tertia lex  
curiositatis.

Tertia regula quâ temperari possunt immoderata novitatis desideria, hæc est. Quum aliunde certiores facti fuimus veritates adeo esse abditas ut nullo humano conamine retegì possint, bonaque ita parva & utilia esse ut nos beatos efficere nequeant, novitate quæ in illis occurrit excitari nequaquam debemus.

Omnes fide, ratione, & experienciâ nôrunt omnia bona creata infinitam voluntatis nostræ capacitatem implere non posse. Omnia hujusce mundi nihil esse præter vanitatem, felicitatèque nostram in honoribus & divitiis positam non esse fide docemur. Cùm penès nos non sit limites præscribere desideriis nostris, cùmque propensione naturali ad omnia bona amanda feramur, nos non posse beatos evadere nisi possessione illius quod omnia in se bona complectitur ratio evincit. Propria experientia nos interno sensu convincit nos non esse beatos in possessione bonorum quibus fruimur, cùm alia adhuc optemus. Denique ingentes opes quibus Principes & Reges etiam potentissimi potiuntur ipsorum desideria non posse explere, immo ipsos majoribus quàm homines vulgi laborare curis & sollicitudinibus videmus, ac ipsos, ut pote in editissimo rotæ Fortunæ loco constitutos, ipsius motu longè magis agitari & concuti debere quàm qui infrà subsidentes centro sunt proximi. Etenim nunquam ruunt nisi ex loco præcipiti; nullis unquam nisi gravibus afficiuntur vulneribus; *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Totaque illa Majestas quæ ipsos comitatur, quàmque entitati suæ, ut ita dicam, adstrinxerunt, ipsos instat & extendit ut plura & graviora vulnera accipere, fortunæque vices faciliùs subire possint.

Cùm igitur fides, ratio & experientia nos convincant bona & voluptates terræ quæ non gustavimus nos beatos non effectura esse, licet ea possi-



possideremus, ex hac lege sedulò cavendum nobis est ne falsâ felicitatis spe lætemur, quæ cum desideriis nostris paulatim invalescens in falsam persuasionem tandem converteretur. Cùm vehementi alicujus boni desiderio flagramus, illud semper maximum nobis exhibemus, illiusque possessionem nos beatos effecturam esse sensim persuademur.

Vanis igitur desideriis obsistendum est cum illa implere frustra tentaremus. Sed potissimum, cùm nosmetipsos istis affectibus permittimus, ac in iis explendis tempus consumimus, Deum & omnia cum Deo amittimus. E falso bono ad aliud falsum bonum transcursumus. Falsâ spe perpetuò pascimur. Nosmetipsos disjicimus & agimus mille modis. Obices ubique occurrunt, quia eadem bona quæ disquirimus a multis desiderantur, cùm tamen a multis possideri nequeant; ac denique morte occupamur & tum nihil amplius possidemus. Nam, ut nos docet Paulus, *qui divites fieri cupiunt, in tentationem & laqueos Diaboli ac in varia desideria inutilia incidunt, quæ homines in perditionis & damnationis abyssum dant precipites. Nam cupiditas est radix omnium malorum.* Tim. 6.

Quod si ad bonorum terræ quæ nobis nova & inaudita sunt indagationem ferri non debeamus, quia nos in iis felicitatem quam quærimus nacturos non esse certò scimus, nullo etiam curiositatis motu affici debemus erga opiniones novas circa ingentem quæstionum difficultium numerum, quia aliunde novimus mentem humanam earum solutionem non posse assequi. Pleraque quæstiones quæ in Ethicâ ac præcipuè in Physicâ tractantur sunt istius generis. Atque hanc ob causam libri qui quotidie componuntur super his quæstionibus obscurissimis & intricatissimis nobis valde suspecti esse debent. Quamvis enim, absolute loquendo, quæstiones quas continent solvi possint, tamen tam pauca adhuc veritates fuerunt compertæ, tótque sunt comperiendæ antequàm veniatur ad eas quæ eorum libris tractantur, ut sine magno dispendio possint non legi.

Eo tamen modo se non gerunt homines, quin ad contrarium omnino abeunt. An id quod ipsis dicitur sit possibile non examinant. Sufficit si quis ipsis extraordinaria, ut *caloris naturalis, humiditatis radicalis, spirituum vitalium* reparationem, aut alia quæ non intelligunt polliceatur, ad excitandam vanam ipsorum curiositatem, & ad ipsos præoccupandos. Ad ipsos perstringendos & pelliciendos satis est ipsis paradoxa proponere, vocibus obscuris *influxus qualitatum* &c. uti, autoritate quorundam authorum incognitorum dicta sua fulcire, aut aliquod sumere experimentum maximè sensibile & extraordinarium, quamvis ad ea quæ proferuntur nullam habeant relationem. Ut enim convincantur sufficit si ipsos ingenti obtundas strepitu.

Si Medicus, Chirurgus, Empiricus sententias Græcas & Latinas proferant, vocibusque novis & inusitatis utantur, tum viri doctrinâ insignes



gnes habebuntur, jus vitæ & mortis in ægros sibi protinus acquirunt. Oraculorum instar aufcultantur, ac ipsi se supra cæteros longè eminere, rerumque penetralia cognoscere arbitrantur. Quod si quis eâ sit audaciâ ut testetur sibi nequaquam arridere istam verborum sensu vacuorum faraginem, talem hominem sensu communi carere, & prima rerum axiomata negare autumant. Revera prima ejusmodi hominum axiomata in quinque vel sex vocabulis Latinis alicujus authoris, aut in apophtegmate aliquo Græco, si sint eruditiores, posita sunt.

Immo quandoque necesse est ut periti medici linguam ægrotis ignotam loquantur, ut sibi famam atque fiduciam concilient. Medicus qui nullam præter Latinam calleret linguam ruri posset quidem magni fieri; quia lingua latina rusticis illis hominibus Græcæ aut Arabicæ loco est. At nisi Medicus Græcè saltem legere possit, ut aliquem Hippocratis Aphorismum ediscat, non est quòd apud oppidanos, quibus lingua Latina familiaris est, eruditionis famam sibi conciliare posse speret. Itaque Medici etiam peritiores istam hominum vésaniam non ignorantes, ut indocti & sumivenduli loqui sæpe tenentur, nec semper de ipsorum peritiâ & judicio, ex iis quæ dum ægros invisunt dicere possunt, judicandum est. Si græcè quandoque loquuntur, ægrum non morbum sic demulcere volunt, neque enim eos latet neminem unquam Græco quodam aphorismo sanatum fuisse.

## C A P U T V.

I. De secundâ inclinatione naturali, aut de amore sui. II. Dividitur amor sui, in amorem *re* esse & *re* bene esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis.

I. **S**ECUNDA inclinatio quam Author naturæ indefinenter imprimit in voluntate nostrâ, est amor nostrî, & propriæ nostrî conservationis quem amorem philantiam dicemus.

Deum omnia opera sua amare, illaque hoc solo Dei amore conservari, ipsûmque velle ut omnes mentes eandem quam ipse inclinationem habeant, jam diximus. Vult igitur ut ea omnia operam ad sui conservationem non secus ac ad propriam felicitatem naturali inclinatione propendeant; felices enim esse nequeunt quin existant. Nostrum tamen ultimum finem in nobis ipsis collocare, ac nosmetipsos non amare relatè ad Deum injustum est; cum revera nullam bonitatem nullamque subsistentiam per nosmetipsos habentes,\* neque nos beatos atque perfectos efficere ullatenus valentes, non nisi per relationem ad Deum

\* Mentem  
clariùs fa-



nos amare debeamus, quippe qui solus sit summum bonum nostrum, atque nos beatos reddere queat.

Si Fide & Ratione doceamur Deum solum esse summum bonum, ipsumque solum posse nos delectationibus cumulare, ipsum ideo amandum esse facile concipimus, & ad illum amorem facile impellimur; sed sine gratiâ Deum semper amamus per philautiam duntaxat; Pura puta charitas vites nostras ita excedit, ut nedum possimus Deum amare propter Deum ipsum, contra facile non concipiat ratio humana quomodo aliter amare possimus quam relatè ad nosmetipsos, finemque ultimum a propriâ voluptate diversum habere; philautia igitur sola menti nostræ dominatur ex quo peccatum incepit; atque amor erga Deum & proximum nihil aliud sunt quàm istius philautiæ sequela. Quandoquidem nihil amplius amamus nisi quia illud amando aliquod speramus commodum, aut aliquam actu percipimus voluptatem.

Ista autem philautia in duas species dividi potest, nempe, in magnitudinis & voluptatis amorem, seu in amorem nostri esse & perfectionis illius nostræ existentiae, & in amorem nostri bene esse aut felicitatis.

Per magnitudinis amorem potentiam, dignitatum possessionem, affectamus a nemine pendere, & per nos subsistere cupimus. Ens necessarium in nobis includere aliquatenus optamus, ac aliquo sensu instar Deorum esse ambimus. Deus enim solus propriè includit in se ens, solusque necessariò existit. Quicquid enim dependet ab alio non subsistit nisi voluntate illius a quo dependet, cum igitur homines entis sui necessitatem seu necessariam existentiam exoptent, eo ipso potentis esse, a nemine pendere, seu ab aliorum dominio liberos esse desiderant. Sed per amorem voluptatis non modò cupiunt esse, verum etiam bene esse, cum voluptas sit optimus & menti utilissimus essendi modus. Dico voluptatem quatenus voluptatem; ita ut si voluptas in genere intelligatur, hoc est, quatenus omnes rationales æquè ac sensibiles voluptates complectitur, pro certo habeo, illam voluptatem ipsum esse principium unicùmque incitamentum amoris naturalis, sive omnium mentis motuum versùs quodcunque bonum, nihil enim amare potes quàm quod placet. Si Beati divinas ament perfectiones, Deumque qualis est, id ex eo fit quod ipsis placeat harum perfectionum contemplatio; Cum enim homo natus sit ad Deum & cognoscendum & amandum, oportebat utique ut nobis arrideret eorum omnium quæ perfecta sunt contemplatio.

Animadvertendum est autem magnitudinem, excellentiam, & summum sui dominium non esse rei creatæ modos essendi qui ipsam per se reddant feliciorè; sæpe enim contingit ut quò magis ad dignitates quis evehitur eò infeliciores evadat; voluptas verò est modus essendi quo non possumus modificari quin actu feliciores evadamus. Majestas & summum sui dominium sapius non sunt in nobis, ac plerunque duntaxat

siusque aperiam in tractatu de amore Dei & in tertia ad pauperem Lamy epistolâ; de Inclinationibus enim hinc obiter tantum loquor, & ut cum ordine aliquo errorum nostrorum causas referam.

## II.

Philautia dividitur in amorem ræ esse & ræ bene esse, seu in amorem magnitudinis & voluptatis.



taxat sita sunt in relatione quam habemus ad res quibus circumdamur. Sed voluptates sunt in ipsâ mente, ipsius sunt modi reales quibus modificatur, quique per naturam suam possunt ipsi satisfacere. Præcellentiam, Magnitudinem, & summum nostrî Dominionum confideramus ut res ad nostrum esse conservandum idoneas, immo quandoque ad conservandum  $\tau\delta$  bene esse juxta ordinem naturæ uilissimas. Sed voluptas est semper modificatio mentis quæ per seipsam mentem efficit beatam; adeo ut voluptas sit  $\tau\delta$  bene esse, & amor voluptatis amor  $\tau\delta$  bene esse.

Jam autem amor ille  $\tau\delta$  bene esse tam efficax est ut amori  $\tau\delta$  esse sæpe prævaleat, sicque philautia eò interdum nos adducit ut optemus  $\tau\delta$  non esse, quia non habemus  $\tau\delta$  bene esse. Id omnibus damnatis contingit, quibus melius foret, juxta JESU-CHRISTI verbum, non esse quam esse tam miserôs. Quippe cum infortunati illi sint inimici implacabiles illius qui in se omnem complectitur bonitatem, quique sola est causa voluptatum & dolorum quæ sentire possumus, fieri nequit ut aliquâ requie aut voluptate frui possint. Sunt & erunt in æternum miseri, quia ipsorum voluntas in eâdem dispositione & perversitate semper permanebit. Igitur amor suipsius seu philautia duplicem complectitur amorem, amorem magnitudinis, potestatis, summi domini & omnium in genere quæ nobis ad entis nostri conservationem apta videntur; & amorem voluptatis & omnium quæ necessaria sunt ut bene nobis sit, hoc est, ut simus felices & beati.

Duo illi amores multipliciter possunt dividi; sive quia ex duabus partibus diversis, mente & corpore, secundum quas dividi potest ille amor, componitur. Sive quia per varia quæ ad conservationem nostram utilia sunt possunt distingui aut specificari. His tamen non immorabimur, quia cum Ethicam instituere non sedeat animo, haud opus est nos hic accuratè investigare & dividere omnia quæ ut bona nostra existimamus. Necesse duntaxat fuit hanc statuere divisionem ut causas errorum nostrorum ordine possemus enumerare.

Primò igitur de erroribus qui ortum ducunt ab inclinatione nostrâ erga magnitudinem & erga id omne quod ens nostrum ab aliorum dominio liberat. Secundò de erroribus quæ ab inclinatione nostrâ erga voluptatem, & id omne quod enti nostro maximam conciliat perfectionem, seu quod nobis maximam creat voluptatem, agemus.



## CAPUT VI.

- I. De inclinatione quâ versùs id omne ferimur quod nos supra cæteros extollit. II. De falsis nonnullorum piorum iudiciis. III. De falsis superstitiosorum & hypocritarum iudiciis. IV. De Voëtio Cartesii adversario.

Quæcunque nos aliquatenus supra cæteros extollunt efficiendo ut simus perfectiores, ut scientia & virtus; aut quæ nobis in alios aliquam conciliant auctoritatem efficiendo ut simus potentiores, aliquam *ἐννοουμένων* nobis comparare videntur. Ab omnibus iis qui nobis sunt inferiores colimur & formidamur, ad quidlibet faciendum nostræ conservationis ergo semper sunt accincti, nec nobis in desideriis nostris officere aut resistere audent. Homines itaque prærogativas illas quibus supra cæteros eminent adipisci conantur. Etenim non attendunt *τὸ* esse & *τὸ* bene esse revera a Deo solo pendere, non ab hominibus; verâque magnitudinem, quæ ipsos in æternum beatos efficiet, non consistere in illo dignitatis ordine in quo in cæterorum hominum debilitate & miserorum imaginatione constituti sunt, sed in humili submissione voluntati Dei qui, cum justus sit, eos proculdubio remunerabitur, qui ordinem a se præscriptum constanter observant.

Verùm enim verò homines scientiam & virtutem, dignitates & divitias actu possidere non modò cupiunt; totis etiam viribus in id incumbunt ut cæteri homines credant saltem ipsos hæc omnia verè & realiter possidere. Ac si meritò dici possint realem opulentiam magis quærere quàm opulentiae famam, certè meritò dici possunt minùs curare virtutem ipsam quàm virtutis speciem: quippe ut scitè dixit auctor sententiarum moralium, *virtutis lentissimus esset progressus nisi ipse superbia foret comes.*

Opulentiae, eruditionis, & virtutis fama in eorum quibus circundamur, aut qui nobis propinqui sunt imaginatione, animi propensiones producit nobis utilissimas. Illa enim ipsos ad pedes nostros prosternit, & in nostræ gratiam agit; ipsisque omnes motus ad conservationem nostram & dignitatis incrementum idoneos inspirat: homines igitur sui existimationem tanquam bonum quo indigent, ut inter homines vivant commodè, conservant.

Omnes itaque homines erga virtutem, scientiam, dignitates, divitias, inclinatione feruntur, atque etiam istorum omnium famam gaudent. Nunc quomodo istæ inclinationes possint ipsos in errorem iniicere ali-

I.  
De inclinazione quâ versùs id omne ferimur quod nos supra cæteros extollit.



quot exemplis offensuri sumus. Ab inclinatione erga virtutem, aut erga virtutis speciem ordiamur.

Qui ad virtutem acquirendam animum seriò appellunt, in aliis rebus quàm in Religione cognoscendâ, bonisque exercendis operibus meditationes suas & otium rarò collocant. Juxta D. Pauli exemplum, nihil præter Jesum Christum crucifixum, unicum adversus corruptionem & morbos naturæ ipsorum remedium scire volunt. Nullum aliud lumen exoptant quàm quod ipsis necessarium est ut Christianam agant vitam, suâque cognoscant officia; ac postea nulli alii rei student quàm præstandis fervidè & accuratè illis officiis.

II.  
De falsis virorum quorundam piorum judicis.

In vitâ sic institutâ nihil est quod carparamus, immo illam maximi facimus; illius accuratam observationem magnam ducimus felicitatem; atque etiam nos pœnitet illam satis non observasse. Verùm hoc probare non possumus, quòd nempe, cùm certissimè constet dari scientias merè humanas, certissimas tamen, & satis utiles quæ mentem a rebus sensibilibus abstrahunt, illâque veritatibus Evangelicis gustandis paulatim assuefaciunt seu præparant, reperiantur tamen viri quidem pii, qui scientias illas, quas non examinarunt, æquo liberiùs damnant ut inutiles, vel ut incertas.

Verum quidem est pleraque scientias esse admodum incertas & inutiles: ac ii vehementer non falluntur qui in istis scientiis veritates parvi momenti contineri dicunt. Illis nunquam studere licet, & fatius est illas omnino adspernari quàm sinere sibi ab illis fucum fieri. Nihilominus tamen dicere possumus perquam necessarium esse quasdam metaphysicas veritates cognoscere. Causæ universalis aut existentiae Dei cognitio est prorsus necessaria, cùm ipsa, ut ita dicam, certitudo fidei pendeat a cognitione quam ex ratione haurimus circa existentiam Dei. Scire igitur necesse est ipsius voluntate naturam formari & dirigi; vim aut potentiam causarum naturalium nihil aliud esse quàm ipsius voluntatem, uno verbo, omnia omnimodè a Deo pendere.

Necesse est pariter cognoscere quid sit veritas, quo pacto possit ab errore dignosci, quomodo corpora & mentes distinguantur, quæ ex iis possint deduci consequentiæ, ut immortalitas animæ & multa alia, quæ possunt certò cognosci.

Scientia hominis aut scientia sui ipsius scientia est quæ legitimè sperni non potest; innumeris referta est quæ scire omnino necesse est ut aliquam judicii rectitudinem sagacitatemque acquiramus. Ac si dicere possumus hominem rudem & stupidum materiâ longè præstare, quia ille novit se existere, materia vero nullam existentiae suæ notitiam habet, affirmare etiam licet eos qui hominem cognoscunt, rudibus & stupidis longè antecellere, quia noverunt quid sint, alii verò non.

Verùm hominis scientia non modò magni fieri debet, quia nos supra cæteros homines extollit, ipsius pretium in eo longè magis elucescit quòd nos coram Deo deprimat & demittat. Hac scientiâ cognoscimus

mus



mus quantopere ab ipso in omnibus dependeamus, etiam in actionibus nobis maximè familiaribus; eà scientiâ manifestò nobis innotescit naturæ nostræ corruptio; per eam ad id proni sumus ut ad eum qui solus nos sanare potest confugiamus, ipsi soli adhareamus, nobis diffidamus & nuncium mittamus; atque eo pacto multas acquirimus animi dispositiones, ut ita dicam, quæ ad nos gratiæ Evangelii submittendos idoneæ sunt.

Mathematicæ & naturæ cognitione saltem generali vix omnino carere quis potest. Scientiis illis a juventute studendum fuit; illæ enim mentem a sensibilibus solvunt, impediuntque quominus emollescat & effaminetur. Non parvum in vitâ fortiuntur usum; immo etiam ad Deum nos deducunt, naturæ cognitio per seipsam, mathematicæ verò per fastidium quod nobis ingignit erga falsas sensuum impressiones.

Viri virtute præditi scientias illas adspernari aut tanquam incertas & inutiles habere non debent, nisi eas prius satis expenderit ad solidum de iis ferendum iudicium. Sat multæ aliæ erunt scientiæ quas tutò possunt spernere. Poëtas, & Philosophos Ethnicos, Rabbinos, Historicos quosdam, & innumeros Authores in quibus nonnulli eruditi suam constituunt gloriam & eruditionem, igni addicant, per nos licet. At verò ne naturæ cognitionem ut Religioni repugnantem damnent. Quippe cum naturæ voluntate Dei regatur, vera naturæ cognitio nos in potentiâ, magnitudinis, & sapientiæ divinæ admirationem rapit. Etenim verisimile est universum a Deo conditum fuisse ut homines in ipsius studio & meditatione defigantur, illòque studio ad cognoscendum & religiosè colendum ipsius Authorem incitentur, adeo ut qui naturæ studium damnant Dei voluntati resistere videantur, nisi mentem humanam ad id studium ineptam ex peccato factam fuisse arbitrentur. Non est etiam quòd dicant cognitionem hominis ipsum duntaxat inflare, vanitatèque ipsi inspirare; quia ii qui hominem perfectè cognoscere vulgò putantur, quamvis illum pessime sæpe cognoscant, superbiam intolerabili ut plurimum efferuntur: namque neminem seipsum ritè cognoscere posse evidenter patet quin eodem tempore suas sentiat infirmitates & miseras.

Nec certè viri verà solidaque præditi pietate quæ non intelligunt vituperare solent, sed potiùs supersticiosi & hypocritæ. Supersticiosi timore fervili, atque ex animi demissione & tenuitate, statim atque ingenium vivax & penetrans vident, expavescunt. Si exempli gratiâ, ipsis rationibus naturalibus tonitru ipsiusque effectus explices, protinus Atheus ipsis videberis. At verò hypocritæ diabolicâ malignitate sese in angelos lucis transformant. Veritatum sanctarum & ab omnibus sanctè habitaram specie utuntur, ut veritatibus parum notis & a plerisque neglectis utilitate aliquâ peculiari moti resistant. Veritatem veritatis imagine impugnant, ac dum ea quæ omnes venerantur sæpe apud seipfos

III.  
De falsis  
supersticio-  
sorum &  
hypocrita-  
rum judi-  
ciis.



seipfos rident, existimationem apud homines eò solidiorem & magis timendam sibi conciliant, quo res quâ abusi sunt sanctior est.

Isti igitur homines omnium sunt vehementissimi, potentissimi, & maximè formidabiles veritatis adversarii. Rari quidem sunt, sed pauci sufficiunt ad multa invehenda mala; veritatis & virtutis species plus sæpe incommodi afferunt, quàm commodi veritas & ipsa virtus. Unus enim hypocrita vaser quæcunque multi verè pii & sapientes magno negotio ædificaverunt destrudere potest.

IV.  
De Voëtio.

Cartesius, exempli gratiâ, existentiam Dei, immortalitatem animæ, multâsque alias quæstiones metaphysicas, & complures quæstiones Physicas demonstrativè probavit, ac de sæculo nostro ob veritates quas rexit, si quis unquam optimè meritus est, surgit tamen homuncio quidam, fervens, veheménsque declamator, ob Religionis suæ zelum apud vulgus magno habitus pretio, Libros contumeliis adversus Philosophum illum plenos conscribit, ipsûmque atrocissimorum accusat criminum. Cartesius est Catholicus, sub Jesuitis studia sua instituit, de iis magnâ cum reverentiâ sæpe loquutus est: id ingenio isti maligno sufficit ut populis Religionis nostræ inimicis ac circa res Religionis provocatu facilibus persuadeat, Cartesium esse Jesuitarum emissarium & aliquid monstri molientem; minimæ enim veritatis species in rebus fidei plus habent efficaciz in ingenia, quàm veritates reales in rebus Physicis aut Metaphysicis, de quibus parum sollicitum est vulgus hominum. De existentia Dei scripsit Cartesius; satis est isti Sycophantæ ut cacozelum suum exerceat, veritatésque quas defendit ipsius adversarius opprimat. Ipsum arguit esse Atheum, immo callidè & subdolè Atheismum docere; ut famosus ille Atheus nomine *Vanino* Tolosæ olim ignis supplicio affectus, qui pro existentia Dei scribens suam tangebatur impietatem & malitiam. Nam inter argumenta quæ profert ut probet Cartesium esse Atheum illud exstat, quòd nempe, adversus Atheos scribebat ut olim *Vanino* qui impietati velum obducturus adversus atheos scribebat.

Sic veritas ab iis qui falsâ nituntur veritatis specie, quique ingentem sibi in debiles conciliaverunt auctoritatem opprimi solet. Veritas lenitatis & pacis est amica, & quantumlibet valida sit, superbiæ tamen & mendaciæ veritatis specie armati ferocitati nonnunquam cedit. Illa quidem novit errorem adversus ipsam nihil quicquam valere, ac si per aliquod tempus proscripita & obscura delitescat, occasiones expectat opportunas quibus tutò prodire possit; Etenim in ipso oppressionis loco validior sæpe & splendidior quàm usquam elucescit.

Quòd Cartesii antagonista, homo diversam ab ipso religionem proficiens, ambitiosus, qui famam suam famæ eorum quibus inferior est veluti ruinis superstruere duntaxat conatur, temerarius declamator, *Voëtius*, uno verbo, de iis quæ non intelligit quæque intelligere recusat



recusat cum contemptu loquatur mirum non est. Sed quòd viri nec Cartesio, nec ipsius Religioni infenso, ipsum odio & contemptu profecti fuerint, ad id scilicet impulsu contumeliis quas in libro ab ipsius adversario composito reppererunt, illud est quod non possumus quin miremur.

Liber istius hæretici inscriptus *Desperata causa Papatus*, ipsius impudentiam, ignorantiam, violentiam, ac existimationis sibi falso zelo suo conciliandæ cupiditatem satis arguit. Non est igitur quòd hujusce hominis testimonio fidem adhibeamus. Quemadmodum enim omnes Fabulæ quas adversus Religionem nostram in libro suo congeffit credendæ non sunt, sic maximæ esset imprudentiæ atroces & contumeliosas criminationes quibus adversarium suum proscindit credere.

Ne igitur viri rationis compotes sibi persuaderi sinant Dominum Cartesium esse hominem perniciosum; quia id in aliquo legerunt libro, vel quia id ab hominibus quibusdam, quorum pietatem venerantur, acceperunt. Haud licet hominibus ex solo ipsorum testimonio credere dum alios criminum atrocissimorum accusant. Habitus externus hominis alicujus graviter & piè loquentis argumentum non est sufficiens ad aliquid persuadendum. Etenim nonne falsa & inepta eodem modo externo quo vera & bona dicuntur proferri possunt? præcipuè si falsa ista & inepta quis incautus alte imbiberit.

Accusationum adversus Cartesium motarum veritatem aut falsitatem cognoscere difficile non est. Ipsius scripta facilè inveniri possunt, nec ingenti negotio ab iis qui attentè sunt intelliguntur. Ipsius igitur opera sunt legenda ut alia quàm quæ ex incertâ famâ deducuntur adversus ipsum possint proferri judicia. Ac postquàm attentè lecta fuerint & seriâ meditatione excussa, spero fore ut non ampliùs accusetur Atheismi, quin contrà ab iis qui ipsum antea criminabantur eâ excipietur veneratione, quâ dignus est vir cujus ope non modò existentia Dei & immortalitas animæ, verùm etiam innumeræ aliæ veritates hucusque incognitæ modo simplicissimo & evidentissimo demonstratæ sunt.

## C A P U T VII.

### *De scientiæ desiderio ac Doctorum falsò sic dictorum judiciis.*

**M**ENS humana parum admodum habet capacitatis, nec tamen quicquam est quod scire non cupiat. Omnes scientiæ humanæ ipsius desideria non possunt implere, cum tamen ipsius capacitas adeo angusta sit ut vel unam scientiam specialem capere nequeat. In perpetuâ agitatione, perpetuòque plura sciendi desiderio versatur homo; sive quia



quia id quod quærit se nacturum esse sperat, ut capitibus præcedentibus dictum est, sive quia mentem & ingenium augescere arbitratur vanâ alicujus cognitionis non vulgaris professione. Immoderata felicitatis & magnitudinis cupiditas efficit ut omnibus scientiis studeat, felicitatem se consecuturum in Ethicâ sperans, falsâque illam magnitudinem in scientiis speculativis quærens.

Cur homines reperiuntur qui vitam transigunt in legendo Rabbino-  
rum opera, aliosque libros idiomatibus peregrinis, obscuris, corruptis,  
& ab authoribus sine sale & intelligentiâ conscriptos, nisi quia sibi  
persuadent se postquam didicerint linguas Orientales, iis qui illas igno-  
rant longè superiores evasuros? Quid ipsos in labore improbo, mole-  
sto, duro, inutili potest sustentare & corroborare nisi spes alicujus præ-  
cellentiæ, & vanæ nescio cujus magnitudinis contemplatio? Revera  
homines raræ eruditionis & non vulgares habentur; splendidis ob eru-  
ditionem ornantur elogiis; Lubentius audiuntur quàm cæteri homines;  
Et quamvis plerunque meritò dici possint omnium imprudentissimi ac  
judicio maximè destituti, saltem quia totam vitam in labore valde inu-  
tili, quo nec sapientiores nec feliciores possunt evadere, collocarunt,  
cæteris tamen ingenio & judicio antecellere creduntur; Quia in dictio-  
num origine aliis sunt doctiores in rerum etiam naturâ peritissimi exi-  
stimantur.

Eandem ob causam Astronomi non modò tempus sed & bona in  
id infumunt ut ea accuratè cognoscant quæ cognoscere inutile & im-  
possibile est. Constantem in Planetarum cursu regularitatem, quæ  
non occurrit, reperire, & tabulas Astronomicas ad explicandos effe-  
ctus quorum causas non cognoscunt, instituire volunt. Selenogra-  
phiam, seu Lunæ Geographiam componunt, quasi quis in Lunâ iter  
facere vellet. Ipsam jam iis qui in Astronomiâ insignes sunt divise-  
runt; pauci sunt qui in illâ Regione aliquam non possideant Provin-  
ciam ut mercedem ingentium laborum suorum; nec satis scio an non  
gloriæ sibi ducant illius meruisse favorem qui hæc regna ipsis tam libe-  
raliter partitus est.

Cur homines ratione præditi huic scientiæ tam anxie student, dum  
in erroribus crassissimis circa veritates sibi utilissimas versantur, nisi quia  
magnum quid existimant ea cognoscere quæ vertuntur in cœlis? Rei  
minimæ inter eas quæ in cœlesti regione aguntur cognitio præstantiâ  
dignior videtur cognitione rerum vilium, abjectarum & corruptibilium,  
qualia sunt juxta ipsos corpora sublunaria. Scientiæ nobilitas ex ipsâ  
eorum quæ docet nobilitate oritur. Magnum istud est effatum! Ergo  
cognitio motûs corporum inalterabilium & incorruptibilium omnes scien-  
tias sublimitate superat. Illa itaque sublimitate & præstantiâ ipsorum  
ingenii digna videtur.

Sic homines sese perstringi sinunt falsâ magnitudinis ideâ quæ jucun-  
dè eos percellit. Statim atque illo phantasmate permota fuit imaginatio,  
coram



coram illo deprimitur, ipsum veneratur, ac rationem cuius esset iudicium ferre everit & occæcat. Homines, dum de iis quæ affectu prosequuntur iudicant, somnare, oculis clausis incedere, ac sensu communi carere videntur. Etenim quid, quæso, magni est in cognitione motuum Planetarum, nonne ipsos sat cognoscimus ut mensium & annorum curriculum possimus metiri atque determinare? Quid tandem nostrâ interest scire an Saturnus annulo aut ingenti parvarum Lunarum numero circumdetur, ac quare circa eam rem in partes imus? Cur gloriam inde aucuparis quod magnitudinem eclipsæos majori successu prædixeris quam quidam alii, in eo fortè felicior, potius quàm sapientior? Sunt homines a Principe constituti ut astra observent, ipsorum observationibus contenti simus. Legitima est ipsorum applicatio circa ista, quia id ipsis negotii datum est. In id operam feliciter conferunt, quia omnem artem, attentionem, & diligentiam possibilem adhibent, nihil ipsis deest ut prosperè ipsis cedat iste labor. Itaque circa rem quæ ad nos tam leviter attinet satis nobis esse debet si observationum ad ipsos jam facturum possimus fieri participes.

Multos Anatomix operam navare utile est, cum istam cognoscere sit utilissimum, cumque ad cognitiones nobis utilissimas consequendas nos adspirare consentaneum sit. Iis quæ aliquid felicitati nostræ conferre, aut infirmitates & ærumnas nostras levare valent, animum adungere debemus. At verò totas noctes de perspicillis pendere ad deprehendum in cœlis aliquam maculam aut novum aliquem planetam, valetudine suâ & tempore miserè abuti, ac res suas negligere ad sedulò invisenda astra, & ad mensurandum ipsorum situs & magnitudines; quid est nisi penitus oblivisci fortis suæ præsentis & futuræ.

Nec est quod quis opponat id fieri ut illius qui ingentia hæc formavit opera magnitudo cognoscatur; minimus culex Dei potentiam & sapientiam iis qui animalculum illud attentè & seposito præiudicio ex illius parvitate nato considerant, luculentius manifestat omnibus Astronomorum circa cœlos cognitionibus. Homines tamen ad id conditi non sunt ut culices considerent. Nec probamus illorum laborem qui desudarunt ut nos docerent formam pediculorum, uniuscujusque speciei animalium, variâsque vermium in muscas & papiliones transformationes. His per otium animum oblectare licet, at homines, nisi calamitarum suarum sensu destituti, in his tempus terere non debent. Dei & sui ipsorum cognitioni perpetuò incumbere debent, & seriam dare operam ut sese ab erroribus, præiudiciis, affectibus, ad peccatum propensionibus expediant, veritatésque sibi maximè necessarias anxie disquirere: etenim illi maximo præditi sunt iudicio qui scientias omnium solidissimas accuratiùs quærunt.

Præcipua causa quæ homines in falsa studia conjicit, in eo sita est quod ideam Eruditi cognitionibus vanis & inanibus alligaverint, cum contra illam ideam cognitionibus solidis & necessariis alligantur.



debuissent. Ubi enim quis eruditionem ambit, & polymathia spiritus agitatur, quænam scientiæ ipsi necessariæ sint, sive ut honestè vivat, sive ut ingenium excolat, parum sollicitus est. Ad eos tantum animum advertit qui apud homines eruditi audiunt, & quo pacto istam consequuti fuerint famam. Cùm omnes scientiæ solidissimæ & maximè necessariæ sint satis vulgares, in eos qui illas possident nec admirationem nec venerationem movent; vulgaria enim, quantumvis egregia & mirabilia in se sint, sine admiratione tamen & sine attentione videntur. Qui igitur docti evadere cupiunt scientiis necessariis recto vitæ regimini & iudicio perficiendo parum animum adjiciunt. Scientiæ illæ istam scientiarum ideam quam sibi finxerunt in ipsis non excitant. Illæ enim scientiæ non sunt eadem quas in aliis mirati sunt, quasque alios in se mirari cuperent.

Evangelium & Ethica Christiana res sunt nimis familiares & vulgares. Nonnullas voces quæ apud Philosophos antiquos vel Poëtas Græcos occurrunt criticè expendere malunt. Idiomata ac ea præcipuè quæ apud populares suos inusitata sunt, ut Arabicum & Rabbini-  
nicum, ipsis valde arrident & studio suo digna videntur. Si Scripturam Sacram legant, id eâ mente non faciunt ut in illâ S. S. Religionem & pietatem discant, Chronologiæ, Geographiæ, & Grammaticæ difficultates ipsos totos occupant. Illarum cognitionem vehementius cupiunt quàm veritatum salutarium Evangelii. Scientiæ quam in aliis stultè mirati sunt, quam stulti in iis sine dubio mirabuntur, possessores esse volunt.

Pariter cognitiones naturæ utilissimas parum quærunt, sed minùs vulgares. Anatomia ipsis exilior videtur, sublimior est Astronomia. Experimenta ordinaria ipsorum applicatione parum digna videntur, sed experimenta illa rara & admirabilia quibus erudiri non possumus accuratissimè observant.

Historias ignotissimas & antiquissimas tenere gloriantur. Principum suorum nunc regnantium genealogiam ignorant, dum hominum a quater mille annis defunctorum genealogias curiosè rimantur: historias sui temporis vulgatissimas discere negligunt, dum fabulas & figmenta Poëtarum accuratè scire conantur. Suos ipsorum cognatos non cognoscunt; at, si velis, multas congerent authoritates quibus probent talem civem Romanum cum Imperatore affinitate junctum fuisse; & alia similia.

Nomina vestimentorum quæ usu obtinent in suo sæculo vix callent, dum in vestimentis quibus olim utebantur Græci & Romani cognoscendis defudant. Animalia in patriâ suâ frequentiora vix norunt, nec tamen multos annos insumere dubitabunt in componendis ingentibus voluminibus de animalibus in Bibliis Sacris designatis, ut vocum incognitarum significationem se sagaciùs aliis esse assequutos ostendant. Ejusmodi liber authori & doctis a quibus legitur in deliciis est, quippe qui  
cum



cùm Græcis, Hebraicis, Arabicis, &c. Rabbīnorum, aliorumque Authorum obscurorum & inusitatorum citationibus abundet, vanitati Authoris ipsius & stultæ Lectorum curiositati indulgeat, qui se quoque aliis doctiores existimabunt, quando sex esse vocabula in scripturâ quibus leo aut aliquid simile designetur, audacter asserere poterunt.

Ipsorum patriæ aut etiam urbis topographia ipsos fugit, dum perpetuò in tabulis Geographicis veteris Græciæ, Italiæ, Galliarum Julii Cæsaris tempore consulendis occupantur, aut anxie quærunt vicos & plateas veteris Romæ. *Labor stultorum*, inquit Sapiens, *affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere*. Urbis suæ vias ignorant ac circa inutilia se se incassam agitant. Leges & ritus locorum in quibus degunt ignorant; at verò juri Antiquo, legibus duodecim tabularum, ritibus Lacedæmoniorum aut Sinensium, vel statutis Indorum accuratè cognoscendis anxie student. Denique omnia rara, extraordinaria, remota, & aliis incognita scire volunt, quia præ ingenii perturbatione ideam eruditionis hisce omnibus perperam alligarunt. Ut doctus quis habeatur, sufficit ipsum nosse quæ alii ignorant; licet veritates pulcherrimæ & maximè necessariæ ipsum fugerent. Verum quidem est cognitionem illorum omnium & aliorum similium, dici scientiam, eruditionem, doctrinam; sic voluit usus; sed scientia quædam est quæ juxta Scripturam nihil est præter stultitiam & vanitatem. *Doctrina stultorum fatuitas*. Spiritum Sanctum qui in sacris codicibus tot elogiis ornat scientiam, nondum animadverti quicquam dixisse in hujusce falsæ scientiæ gratiam de quâ supra loquutus sum.

CAPUT VIII.

I. De desiderio quo homines docti videri cupiunt. II. De falsorum Doctorum colloquiis. III. De ipsorum operibus.

SI immoderata cupido eruditionem adipiscendi ignaros sæpe efficiat homines, desiderium illud quo docti videri cupiunt ipsos non modo ignaros facit, sed mentem ipsis evertere videtur. Innumeri enim sunt qui sensum communem amittunt, dum supra illum sese extollere fatagunt, quique nihil præter ineptias effutiunt, dum paradoxa duntaxat proferre volunt. Ut ingenii rari & extraordinarii famam consequantur, ab omnibus ita recedunt vulgaribus cogitationibus, ut revera ipsorum consilium prosperè cedat, quippe nunquam sine stupore; aut potius sine maximo contemptu audiuntur.

Cum admiratione nonnunquam cernuntur, cum ad aliquam dignitatem



tatem quâ veluti involvuntur eveci tantum genio & eruditione supra cæteros eminere creduntur, quantum natalibus & dignitate præcellunt; Sed cum contemptu sæpius conspiciuntur, immo infani non raro habentur, cum propius examinantur, cumque suâ dignitate hominum oculis non eripiuntur.

Docti falsò sic dicti quid sint manifesto arguunt in Libris suis & in colloquiis familiaribus. Aliquid eâ de re dicere forsân abs re non erit.

II.  
De collo-  
quiis falso-  
rum Docto-  
rum.

Sicut præ superbiâ & cupidine famæ studia sunt amplexi, statim atque alicui colloquio interfunt eos illa præcellentiæ cupido & ambitio agitat & effert. Sese interdum ita sublimes ferunt ut aliorum oculis eripiantur, ac ipsi ubi sint sæpius nesciant. Supra auditores non eminere, eorumque captum non excedere tantâ verentur sollicitudine, ut succenseant si se ab aliis jam attingi sentiant. Si ab ipsis ut aliquid dilucidant flagites, stomachantur, & superbæ authoritatis gravitatisque speciem induunt, si vel minimum ipsis objicias. Denique tam nova & inusitata sed simul tam absurda proferunt, ut sapientissimi adstantium risum vix tenere possint, dum alii perculsi obstupescunt.

Ubi primus deferbuit æstus, si quis eâ præditus fuerit animi constantiâ & fortitudine ut ipsorum dictis non emotus fuerit, eosque errorum suorum moneat, erroribus tamen illis prætractè adhærent. Illorum quos primò obstupescerunt habitu externo ipsi obstupescunt, tot approbatorum quos per impressionem persuaserunt conspectus ipsos veluti per percussum etiam convincit; aut si non vincat, animos saltem fatis inflat ut errores suos mordicus defendere decernant. Superbia ipsos palinodiam cantare vetat. Aliquam rationem quâ se tutentur semper quærunt. Immo nunquam majori impetu atque animi contentione loquuntur quàm quum nihil habent quid dicant. Injuriam sibi fieri, ac se susque deque haberi credunt, simul atque aliquid ad ipsorum dicta reponis; immo quò quæ objicis validiora sunt & rectiora eò vehementius ipsorum iram & superbiam provocas.

Optima ratio quibus veritas possit adversus eos defendi non est disputatio, etenim satius est ipsis & nobis illos in erroribus relinquere quàm ipsorum odium movere. Ipsorum cor non est sauciandum, dum mentem volumus sanare, cum vulnera cordis vulneribus mentis sint periculosiora; præterquàm quòd quandòque res est cum viro revera Docto qui forsân a nobis ideo duntaxat sperni posset, quia ipsius cogitata non perciperemus. Quapropter ab iis qui sic decisivè loquuntur impetrandum est, ut distinctè, quantum in ipsis est, mentem suam aperiant; utque in eâdem thesi persistentes a vocibus obscuris & æquivocis abstinant. Tum si verâ sint eruditione ornati ex ipsorum dictis aliquid percipitur emolumenti. At verò si nihil præter falsam sapiant eruditionem, ipsi propriis verbis sese jugulabunt, nec aliis nisi sibimet culpam istius confusionis imputare meritò poterunt. Immo aliquid fortè utilitatis atque etiam oblectationis ex ipsorum colloquiis percipietur; si demum



num aliorum ineptiis delectari liceat, dum ipsis remedium afferre contendimus. Verum quod cæteris longè antiquius est, hoc pacto cavebitur ne debiles, qui doctos illos falsò sic dictos prius admirabundi audiebant, ipsorum errori nimia summissione sese mancipient.

Istud enim sedulo animadvertendum est. Cum stultorum aut eorum qui mechanicè & per sensibilem impressionem aguntur numerus longè major sit numero eorum quibus ingenium est acre, quique ratione solâ persuaderi sese sinunt; quando aliquis inter istiusmodi doctos de aliquâ re loquitur, & sententiam profert definitivam, semper longè plures sunt qui in ipsius verba nullo admisso examine jurent, quàm qui ipsi diffidant, sed quia ejusmodi docti falsò sic dicti a cogitationibus vulgaribus quantum pote est recedunt, ad id moti tam desiderio reperiendi aliquem antagonistam quem malè excipiant ut gloriæ suæ hoc pacto velificentur, quàm spiritu vertiginis, aut etiam animo contradicendi; ipsorum decisiones ut plurimum sunt falsæ aut obscuræ; & rarò a quoquam audiuntur quin eum statim in aliquem injiciant errorem.

Jam autem ratio ista aliorum errores aut opinionum soliditatem agnoscendi difficultate non caret, quia non soli sunt falsi docti qui universalem rerum omnium affectent cognitionem; sed omnes penè homines isto laborant vitio, ac ii præcipuè qui studio & Authorum lectioni operam dederunt. Qui inter ipsos obsequentissimi sunt atque etiam sapientissimi aliorum sententiam apud seipsos revera spernentes specie tenus attentos se tantummodo præbent, dum ex eorum oculis facillè colligi potest ipsos quodlibet aliud cogitare, ipsorumque animum, iis quæ dicuntur prorsus neglectis, tantum versari circa ea quæ nobis probanda sibi sumplerunt. Quod mutuas confabulationes sæpe reddit molestas. Quemadmodum enim nihil suavius nobis videtur, nullòque pacto majori possumus affici honore quàm si quis nostras assequatur rationes, opinionesque probet, ita nihil est quod displiceat magis quàm ubi aliquem eas non capere, immo ut eas capiat ne curare quidem videmus. Etenim quis ullam ex colloquio cum statuis voluptatem posset percipere, præcipuè cum statuæ illæ ideo tantum sint statuæ respectu nostri quia nos non magni faciunt, & nobis arridere non curant; sibi solis satisfacere satagunt propriæ famæ inservientes. Certè si homines ritè audire & ritè respondere nossent, colloquia mutua non modò forent jucundissima, verum etiam utilissima. At viceversâ, quia quisque semper doctus audire gestit, nihil ex colloquiis præter præjudicatas opiniones & logomachias resultat; Charitas interdum læditur, veritas verò nunquam ferè in lucem prodit.

Verum errores in quos falsi docti inter mutua colloquia incidunt omni non carent excusatione; in ipsorum gratiam dicere possumus parum attentionis ut plurimum afferri iis quæ in istis colloquiis familiaribus ultro citroque dicuntur. Immo viri quibus judicium est accuratissimum tum ineptias sæpe proferunt; nec omnia sua verba colligi patiuntur, ut Scaligeri & Perronii dicta fuere collecta.



Istæ excusationes sunt quidem legitimæ, nec repugnamus erroribus tum temporis admissis ignosci posse; in istis confabulationibus loquendi necessitas incumbit; atque dies sunt quandoque nefasti quibus bene cogitare penès nos non est; ad id non semper sumus dispositi ut bene cogitemus & bene loquamur; ac sæpe tantæ sunt temporis angustia, ut minima nubecula aut brevissima mentis distractio vires ingenii rectissimi in absurditates ridiculas injiciat.

Sed si errores quos falsi docti in confabulationibus admittunt excusatione digni videantur, saltem errores quos in libris suis, postquam seriò sunt meditati, perpetrant omni carent excusatione; præcipuè si sint frequentes, nullòque salis grano condiantur. Etenim quum quis malum composuit librum, hinc fit ut complures homines in illo legendo tempus malè terant, in eisdem errores in quos author incidit ipsi incidant, ac multos alios ex iis etiam deducant. Quod sine maximo dispendio fieri nequit.

Sed quamvis qui malum, aut solum inutilem componunt librum graviùs peccent quàm vulgò putatur, tamen ob illud peccatum ipsos mercede potius quàm poenâ affici videas. Sunt enim crimina in quæ homines non animadvertunt, sive quia consuetudine invaluerunt illa crimina, sive quia plerique præditi non sunt animo fatis firmo ut reos quos se peritiores existimant damnare sustineant.

Authores plerunque habentur homines rari & extraordinarii ac supra ceteros maximè eminentes; reverentiâ igitur non verò contemtu & poenâ excipiuntur. Itaque verisimile non est homines esse unquam erecturos tribunal ad excutiendos & damnandos libros qui rationi corrupendæ tantum inserviunt.

Idcirco nunquam sperandum est Rempublicam litterarum prudentiùs regi posse cæteris Rebuspublicis, quia hominibus constat non secus ac cæteræ. Immò fatius est, ut ab errore quisque possit faciliùs expediri, majorem concedi libertatem in Republicâ litterarum quàm in ceteris, ubi novitas est semper periculosissima. Si enim iis qui studiis se dedunt libertas tolleretur, sique omnes novitates indiscriminatim exploderentur, hoc pacto homines in suis erroribus confirmarentur.

Ne quis igitur succenseat quòd multa in Reipublicæ litterarum regimine reprehendam, quòdque ostendere nitar celebres illos viros quos cæteri ob profundam eruditionem toti demirantur, revera nihil aliud esse ut plurimum quàm homines vanos, & superbos judicio & omni verâ scientiâ destitutos. De iis sic loqui teneor ne in posterum quisquam ipsorum judiciis temerariò assentiatur, & errores sequatur.

III.  
De libris  
falsorum do-  
ctorum.

Vanitatis, levitatis, & ignorantia argumenta ex ipsorum operibus manifesta depromuntur. Si enim eo animo illa quis expendat, ut de iis juxta sensus communis lumina judicet, nullâ erga Authores præoccupatus existimatione, certè nullo negotio comperiet pleraque ipsorum cœpta in studiis esse fructus vanitatis omni judicio destitutæ; ipsosque ad id non collimare ut judicium suum excolant, multò minùs ut cordis sui  
motus



motus regant & temperent, sed duntaxat ut alios perstringant, ipsisque doctiores habeantur.

Atque hanc ob causam, ut jam dictum est, de rebus insolitis & extraordinariis tantum agunt, vocibus inusitatis & obsoletis duntaxat utuntur. Linguâ sibi vernaculâ rarò loquuntur, utpotè nimis vulgari, nec in Latinitate simplicitatem, claritatem, & facilitatem quærunt; non loquuntur enim ut intelligantur, sed ut loquantur, & loquendo admirationem sibi concilient. Rebus quæ vitæ rectè instituendæ possunt infervere rarò mentem applicant; id ipsis vulgare nimis videtur, aliis enim aut etiam sibi metipsis utiles esse non curant, solam eruditionis famam affectantes. Quæ proferunt nullo argumento probant, aut si aliqua proferant argumenta, illa sunt ita ænigmatica & incomprehensibilia, ut nec ab aliis nec ab ipsis concipi possint. Nullas habent rationes claras; ac si haberent, illas non proferrent. Istæ rationes scilicet mentem non obstupefaciunt, simpliciores & usitatiores videntur, eas quisque assequi potest. Authoritates potiùs afferunt quibus opiniones suas probent aut probare fingant, sæpe enim authoritates quibus utuntur nihil probant quoad sensum, probant tantum quia Græco aut Arabico idiomate leguntur. Sed de ipsorum citationibus loqui forsitan abs re non erit, ut faciliùs intelligatur quonam sint iudicio.

Falsa tantum eruditio ac polymathia duntaxat spiritus frequentem citationis usum qui hætenus viguit, atque etiamnum viget apud nonnullos doctos, introducere potuit. Etenim Authores qui passim longos aliorum authorum locos citent reperire difficile non est, quamvis nullam ipsos citandi legitimam habeant causam; sive quia quæ dicunt ita clara sunt ut nullâ probatione indigeant; sive quia ita abstrusa sunt ut authorum quos citant autoritate probari non possint, quippe quæ ab istis etiam authoribus ignorarentur; sive denique quia loci quos citant nihil ad ipsorum orationis ornamentum conferre possunt.

Ingentem ex Authore Græco autoritatem quâ aërem esse pellucidum probetur afferre ridiculum est, quia id neminem fugit. Ineptum pariter est autoritate Aristotelis uti ad probandum esse intelligentias quæ coelos movent, quia scilicet id Aristoteles nosse non poterat. Aut denique linguas exoticas, adagia Arabica & Persica libris Gallicis aut Latinis ad omnium usum comparatis interferere absurdum est; quia ejusmodi citationes istis libris ornamento esse neutiquam possunt; aut saltem ornamenta illa sunt inepta & intempestiva quæ apud multos ludibrio sunt, & perpaucis utilia esse queunt.

Attamen plerique eorum qui docti haberi gestiunt hujuscemodi citationibus ita delectantur, ut nonnullas etiam idiomate quod ipsi non intelligunt proferre non erubescant, utque omnem moveant lapidem, quò locum Arabicum, quem vix possunt legere, libris assuere possint. Itaque multum desudant ut propositi a ratione alieni compotes fiant,  
quia



quia scilicet hoc pacto vanitati suæ faciunt satis, ac stultorum existimationem sibi demerentur.

Alio insuper vitio haud exiguo laborant; parum scilicet solliciti sunt si ipsos cum electione quadam & iudicio legere credas; ipsis sufficit si multos legisse libros credantur, ac præcipuè obscuros, ut doctiores existimentur, raros & ingentis pretii, ut ipsis nihil deesse pateat; pravos & impios ac probis exosos; eodem ferè ducti animo quo homines illi qui se crimina perpetrassè gloriantur quæ alii perpetrare non audent. Unde fit ut libros carissimos, rarissimos, vetustissimos & obscurissimos citare malint, quàm magis vulgares & intellectu faciliores; librosque de Astrologiâ, de Cabbalâ, & arte Magicâ agentes quàm bonos libros; quia, scilicet, non attendunt lectionem eodem modo se habere quo mutua inter homines colloquia; ipsosque proinde in id studere debere, ut bonos libros & intellectu faciles non malos & obscuros legissè videantur.

Quemadmodum enim is mentis emotæ videretur qui hominum quos sine interprete intelligere non datur consortium quæreret, dum alio modo ea quæ docent accipere posset: Ita eos duntaxat libros legere qui sine dictionario intelligi nequeunt, dum eadem in libris intellectu facilioribus edisci possunt, ridiculum est. Ac quemadmodum qui impiorum societatem quæreret manifestam animi perturbationem ostenderet; ita qui malorum librorum lectione gaudet, manifestam arguit cordis corruptionem. At non sine superbiâ prorsus intolerabili quis se libros legissè jactaret quos tamen nunquam legit; quod quidem non rarò contingit. Sunt enim qui annos triginta nati plus malorum librorum in suis operibus citant quàm per multa sæcula legere potuissent, alios tamen ad id inducere vellent ut credant illos libros ab ipsis accuratissimè lectos fuisse. Sed plerorunque Doctorum libri dictionariorum ope duntaxat compositi fuerunt; ac sæpissime nihil aliud legerunt quàm indices librorum quos laudant, aut quosdam locos communes ex variis authoribus excerptos.

Hæc sigillatim tractare & exemplis probare non audemus, ne homines superciliosos & iracundos, quales esse solent falsi docti, ad iram provocemus; conviciis enim Græcè & Arabicè evomitis non delectamur. Præterquàmquòd specialibus argumentis suprädicta probare & illustrare inutile est; quia ea est hominis indoles ut multa in aliis carpenda facili negotio reperiat, & multis quæ jam dicta sunt adaptet. Interim se se vano illo pascant magnitudinis phantasmate quantum libuerit, ac sese mutuò laudibus quas nos ipsis denegavimus cumulent. Jam fortè eis in istâ tam dulci & gratâ conditione plus satis molesti fuimus.



## CAPUT IX.

*Quomodo propensio hominum versus dignitates & divitias eos in errorem injiciat.*

**D**ignitatibus ac divitiis, non fecus ac virtute & scientiâ de quibus modo supra ceteros præcipuè evehimur. Harum enim possessione ens nostrum majus fieri, & eò se extollere videtur ut jam a nemine pendeat. Adeo ut amore quo erga nosmet ferimur ad divitias & dignitates diffuso, pauci sint qui versus illas aliquatenus non propendant. Jam paucis explicemus quomodo propensiones istæ impediant quominus veritatem inveniamus, nosque in mendacium & errorem injiciant.

Multum temporis, laboris, assiduitatis & attentionis opus esse ad assequendum veritates complexas, multis difficultatibus intrincatas, & a multis dependentes, jam sæpe demonstravi. Hinc judicare primum est viros in muniis publicis versantes, qui multis præsumunt, magnis impediuntur negotiis, & dignitatum ac divitiarum desiderio flagrant, parum idoneos esse ad istarum veritatum indagacionem, ac circa res omnes difficiles in errorem sæpe cadere, dum de illis judicare satagunt.

1. Quia parum temporis ad veritatis investigationem impendere queunt.

2. Istâ investigatione ut plurimum parum delectantur.

3. Quia ad attentionem oppidò parum apti sunt; quoniam mentis eorum capacitas innumeris rerum quas optant & quibus etiam inviti detinentur ideis penitus diffringitur.

4. Quia omnia se scire arbitrantur, ac vix credere queunt eos qui ipsis inferiores sunt ipsis rectius sentire. Quædam facta ab iis discere quidem sustinent, at verò veritates solidas & necessarias ab illis edoceri recusant, & si eorum sententiam impugnes vel erroris arguas, stomachantur.

5. Quia in omnibus ipsorum phantasmatis quantumlibet absurdis ipsis palpari plerique vulgò solent, & quia qui contrarium sentiunt, licet veritates indubitas defendant, ludibrio esse consueverunt. Nempe ob indigna aulicorum & stipitorum blandimenta in erroribus suis & in falsâ quâ erga seipos ducuntur existimatione sese confirmant; ac de omnibus temere & confidenter judicandi jus sibi vendicant.

6. Quia solis ferè insunt notionibus sensibilibus quæ ad colloquia ordinaria & ad hominum existimationem fovendam aptiores sunt quam ideæ puræ & abstractæ mentis veritati retegendæ inservientes.

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

Oo

7. Quia



7. Quia qui aliquam dignitatem ambiunt aliorum captui, quantum in ipsis est, sese accommodare conantur, quoniam nihil est quod invidiam & odium hominum magis moveat quàm ubi quis opiniones insolitas habere existimatur. Eos qui fortunæ velificanti veritates abditas posse retegere rarum est; Sed si quas retegant, illas sæpe deserunt, quia ipsorum commodis officiant, & quia veritatum illarum propugnatio parum convenit cum gloriæ cupiditate. Injustitiæ favendum sæpe est ad Magistratum consequendum, pietas solida & extraordinaria a Beneficiis seu muneribus Ecclesiasticis sæpe arcet; generosusque veritatis amor a Cathedris in quibus sola veritas prædicari debet non raro amovet.

Omnes illæ rationes simul conjunctæ efficiunt ut homines supra cæteros dignitatibus, nobilitate, & divitiis longè eminentes, aut qui nihil aliud quærunt quàm captare fortunæ bona, errori maxime obnoxii sint, & ad veritates paulum occultas parum idonei. Quippe inter ea quæ ad vitandum errorem in quæstionibus paulò difficilioribus necessaria sunt, duo requiruntur præcipuè quæ in hominibus, de quibus hîc agitur, raro admodum occurrunt; nimirum, mentis attentio quæ res penitus introspectantur, & suspensio, ne judicium temerè feratur. Immo illi etiam qui aliis instituendis præficiuntur, quique ad alium collimare non deberent scopum quàm ad sibi acquirendam solertiam in ejusmodi munere requisitam, errori ut plurimum obnoxii fiunt, statim atque Publici esse cœperunt; sive quia attentionem rebus quæ sine attentione intelligi nequeunt præbere iis per otium non licet; seu quia Doctorum famam avidè aucupantes de omnibus imprudenter & audaciter judicant, nec nisi iniquo animo quemquam ipsos impugnare & docere patiuntur.

---

## CAPUT X.

*De voluptatis amore relatè ad Ethicam. I. Voluptas fugienda est licet nos efficiat felices. II. Voluptas ad bonorum sensibilibus amorem nos ferre non debet.*

**T**Ribus capitibus præcedentibus de inclinatione quæ ad entis nostri conservationem ferimur loquuti fuimus, & quomodo illa nos in plurimos injiciat errores ostendimus: jam de inclinatione quæ ad bonum esse propendimus, hoc est, ad voluptates & ad ea omnia quæ nos feliciores efficere possunt, aut quæ saltem ad id conferre posse existimamus, verba faciemus; atque errores ex istâ inclinatione oriundos patefacere conabimur.

Sunt



Sunt Philosophi qui voluptatem non esse bonum, dolorem non esse malum hominibus persuadere nitantur, homines posse felices esse inter acerrimos dolores, infelices inter summas voluptates. Cùm isti Philosophi sint valde pathetici & vivâ polleant imaginatione, mentes debiles & impressionibus facillè cedentes in suas abripiunt sententias, namque Stoici Phantastici quadantenus sunt, Phantastici autem, vehementes cùm sint, aliorum menti falsas quibus præpediti sunt sententias facili negotio imprimunt. Sed quia nihil est quod experientiæ & conscientiæ nostræ seu sensui interno non cedat, omnes istæ rationes, quarum pompâ & magnificentiam hominum imaginatio percellatur & perstringebatur, cum omni splendore suo evanescunt statim atque mens voluptate aut dolore sensibili afficitur. Unde fit ut qui antea falsæ isti persuasioni ex impressione sensibili ortæ incautæ fiderunt, minimo vitii insultui cedant, omni sapientiam & robore destituti, tumque se deceptos fuisse & victos esse cognoscant.

Si Philosophi discipulis suis eas non possint impertiri vires quibus affectus suos superent, saltem ne iis illudant falsò ipsos persuadentes nullos esse inimicos adversus quos pugnare debeant. Res ut in se sunt dicere oportet, voluptas semper bonum est, dolor semper malum; sed voluptate frui non semper expedit, quamvis dolorem pati quandoque expediat.

I.  
Fugienda est  
voluptas  
quamvis  
nos reddat  
felicem.

Sed ut hæc facilius intelligantur, sciendum est:

1. Deum solum satis potentem esse ut agat in nobis, atque in nobis sensum voluptatis aut doloris creare queat. Cuilibet enim rationem suam consulenti ac sensuum testimonia spernenti, evidenter patet res externas quas sentimus nequaquam agere in nobis, nec mentem nostram in seipsâ voluptatem & dolorem quibus afficitur earum occasione creare.

2. Bonum aliquod dari non debere, nisi ut ille cui datur illud bonum ad aliquam bonam actionem feratur, vel ut bona quæpiam actio remuneretur; & viceversâ neminem malo affici oportere nisi ut ab aliqua actione malâ deterreatur, vel ut actio mala jam patrata puniatur; unde illud infertur. Nempe, cùm Deus secundum ordinem & justitiæ leges semper agat; omnis voluptas nos fert necessariò ad aliquam bonam actionem, aut nos remuneratur; omnis verò dolor nos ab aliqua actione malâ deterret, aut nos punit.

3. Esse actiones bonas certo sensu, malas alio. Exempli gratiâ, se, Deo id vetante, morti exponere, est mala actio; at verò morti sese exponere, Deo id jubente, est bona actio. Nam omnes actiones nostræ sunt bonæ vel malæ, quia Deus eas aut præscripsit aut prohibuit, primâ voluntate suâ generali quæ & ordo est & institutio naturæ, & aliis voluntatibus seu mandatis specialibus quæ ad naturæ reparationem sunt necessaria.

Dico igitur voluptatem semper esse bonam, sed illam degustare non semper utile esse.



1. Quia cùm illi qui solus eam creare potest ea nos conjungere deberet, ab eo contrà nos disjungit, ut nos iis quæ voluptatem creare falso videntur conjungat. A Deo nos abducit ut vili rei creatæ nos conjungat. Quamvis enim ii qui veram possident Philosophiam voluptatem à rebus objectis non oriri quandoque cogitent, & illà cogitatione ad Deum in omnibus agnoscendum & amandum ferri queant, nihilominus ex quo peccatum irrepsit, ratio humana tam debilis est, sensuum & imaginationis in mentem tanta vis est ut cor hominis facili negotio corrumpant, nisi juxta Evangelii monitum, rebus omnibus quæ ad Deum per se non ferunt abstineat. Nam ne præstantissima quidem Philosophiâ mentem sanare, aut malis ex voluptate natis mederi potest.

2. Quia cùm voluptas sit præmium, iniquum est in corpore suo motus producere qui Deum propter primam ipsius voluntatem cogant, ut ita dicam, ad excitandam in nobis voluptatem quum illam non mereamur, sive quia actio quam facimus est inutilis aut mala, sive quia, peccatores cùm simus, nullam ab ipso mercedem petere debemus. Homo ante peccatum in actionibus suis bene temperatis voluptates sensibiles meritò gustare poterat, sed ex quo peccavit nullæ amplius sunt voluptates sensibiles omnino innocentes, aut quæ ipsum lædere non possint ubi eas gustat, sæpe enim eas degustare sufficit ut iis sese mancipet.

3. Quia, cùm Deus sit justus, fieri non potest quin vim aliquando puniat quæ ipsi inferitur, quum ad actiones pravas, quæ adversus ipsum perpetrantur, voluptate remunerandas adigitur. Quando mens corpori non amplius adhærebit, Deus sensationes quæ pro lege sibi a se ipso impositâ spirituum animalium motibus respondeant in nobis excitare non amplius tenebitur; ac justitiæ suæ satisfacere semper tenebitur, atque tunc ipsius vindictæ & iræ tempus erit. Tum ordine naturæ nihil immutato, ac in primâ voluntate immotus semper permanens, doloribus æternis injustas voluptates puniet.

4. Quia certa persuasio quâ hanc justitiam aliquando exercendam esse cognoscimus etiam in hac vitâ animum acerrimis exagitat anxietatibus, ipsumque ad desperationem quandam adducit, quæ libidinosos in maximis voluptatibus miseros reddit.

5. Quia voluptates innocentissimas importuni conscientiæ morsus & pœnitudines semper comitantur, quoniam nos nullam mereri voluptatem satis superque convincimur, atque gaudio quodam interno quod etiam in pœnitentiæ dolore occurrit, nos privant.

Itaque licet voluptas sit bonum, fatendum tamen est non utile semper esse ipsam degustare ob omnes rationes supra memoratas, atque etiam ob multas alias quas scire est utilissimum, quâsque ab his supra dictis deducere pronum est, dolorem pati ferè semper optimum est, quamvis dolor reapse sit malum.

Nihilominus omnis voluptas est bonum, illumque a quo gustatur reddit



reddit actu felicem, eo saltem momento quo illam gustat, & omnis dolor est malum, eumque qui eo afficitur reddit actu infelicem eo momento quo illum patitur, & quandiu illum patitur. Iusti & sancti omnium infelicissimi & maxime miserabiles dici possunt, *si in vita tantum* 1. Cor. 13  
*in Christo speramus, miserabiles sumus omnibus hominibus*, inquit Paulus, nam qui fiunt & ob justitiam persecutionem patiuntur non ideo felices sunt quia persecutionem patiuntur ob justitiam, sed quia regnum coelorum ad ipsos pertinet, & ingens remuneratio ipsos in coelis manet, hoc est, *quia beati erunt*. Qui persecutionem patiuntur ob justitiam in eo sunt iusti, virtute praediti, & perfecti, quia ordini a Deo instituto parent, nam perfectio in eo posita est ut illum ordinem sequamur; sed felices non sunt quia patiuntur; aliquando amplius non patientur, ac tum felices non secus ac iusti & perfecti erunt. Omnes boni & sancti, inquit Divus Augustinus, *etiam in tormentis quibuslibet* Epist. ad Macedonium 155. alias 52.  
*divino fuli adjutorio, SPE ILLIUS FINIS beati vocantur, QUO FINE BEATI ERUNT. Nam si in iisdem tormentis & atrocissimis doloribus semper essent cum* QUIBUSLIBET VIRTUTIBUS, *eos esse miseros nulla SANA RATIO dubitaret.*

Attamen iustos spei & fidei virtute, quae bona futura veluti praesentia menti objiciunt, aliquatenus etiam in hac vita felices esse non nego, nam ubi spes alicujus boni firma & vivida est, certe bonum illud menti appropinquat, ipsique veluti delibandum praebet. Ipsam itaque spes aliquo modo felicem efficit, cum beati fiamus boni possessione, voluptate ac delibatione.

Hominiibus igitur dicendum non est voluptates sensibiles non esse bonas, nec eos reddere felices qui ipsis fruuntur; quia id verum non est, ut id tentationis tempore damno suo agnoscunt. His dicendum est voluptates in se bonas esse, eosque aliquatenus inde evadere felices; sed illas tamen ab ipsis vitari debere ob rationes supra allatas aut similes, at vero addendum est propriis naturae viribus ipsos non posse vitare voluptates, quia inclinatione insuperabili felicitatem exoptant, & inclinationi illi hisce voluptatibus transitoriis, quas vitare deberent, aliquo modo fatisfit; unde fit ut descendenda pereundi necessitas ipsis incumbat, nisi succurratur. Haec monendi sunt, ut suam miseriam distincte agnita quantopere indigeant liberatore agnoscant.

Cum hominibus loquendum est ut cum ipsis JESUS-CHRISTUS loquutus est, non vero ut Stoici, qui nec naturam nec morbum mentis humanae cognoscunt. Perpetuo monendi sunt quemque semetipsum odisse & spernere debere, atque hic in terris nullam sperandam tutam sedem aut felicitatem; quotidie Crucem suam, seu poenae suae instrumentum ferendum esse, nuncque vitae jacturam faciendam esse ut in aeternum recuperetur. Denique docendi sunt ipsos res desiderii suis plane contrarias facere teneri, ut suam impotentiam ad bonum agnoscant. Nam homines invicto felicitatis desiderio ardent, & nemo potest esse felix nisi



faciat id quod vult. Forſan quum mala præſentia ſentient & mala futura prævidebunt, in terram mente demiffâ ſe proſternent, forſan verſus cœlum clamabunt, mediatorem quærent, res ſenſibiles extimeſcent, & omnia quæ ſenſibus & concupiſcentiæ blandiuntur cautè horreſcent. Spiritum illum ſupplicationis & pœnitentiæ ad gratiam, ſine quâ nullum robur, nulla ſanitas, nulla ſalus ſperanda eſt, obtinendam ita neceſſarium hoc pacto forſan induent.

II,  
Voluptas nos  
non debet  
ferre ad  
amorem bo-  
norum ſen-  
ſibilem.

Voluptatem bonam eſſe intus convincimur; atque illa conviçtio interna falſa non eſt, quia voluptas revera bona eſt. Voluptatem eſſe characterem boni naturâ convincimur, atque illa conviçtio naturalis veriſſima eſt, nam quod voluptatem creat certè optimum eſt & maximè amabile. At verò res ſenſibiles aut etiam mentem noſtram poſſe in nobis voluptatem gignere non perſuaſi ſumus, nulla enim ratio eſt cur id credamus, cum contrâ innumeræ ſint cur ſecus credamus. Res itaque ſenſibiles non ſunt bonæ, non ſunt amabiles. Si ad vitæ conſervationem utiles ſint, iſtis utendum eſt. Sed cum in nobis agere nequeant, ipſas amare non debemus. Mens id ſolum amare debet quod ipſi bonum eſt, quòdque ipſam feliciorẽ & perfectiorẽ efficere poteſt. Id igitur ſolum quod ſupra ſe eſt amare debet, perfectionem enim non aliunde accipere poteſt quàm ab eo quod ipſâ ſit ſuperius; id evidenter patet.

Sed quia rem aliquam alicujus effectûs cauſam eſſe judicamus quum res illa ſemper illum comitatur effectum; res objectas ſenſibiles in nobis agere arbitramur, quia ipſis ad nos adnotis novas excipimus ſenſationes, & quia illum qui iſtas ſenſationes revera excitat non videmus. Fructum deguſtamus, & illum deguſtando dulcedinem ſentimus; dulcedinem illam iſti fructui tribuimus; illum hanc dulcedinem parere, atque etiam in ſe complecti judicamus. Deum non videmus, ut fructum illum videmus & contrectamus. Immo ad Deum, nec forſan ad noſmetipſos animum advertimus. Itaque Deum veram iſtius dulcedinis cauſam eſſe, iſtâque dulcedinem eſſe mentis noſtræ modificationem non judicamus. Tribuimus cauſam & effectum fructui quem edimus.

Quæ de motibus ad corpus pertinentibus dicta ſunt, de iis etiam quæ ad corpus non pertinent intelligi debent, quales ſunt cogitationes ſeu affectiones quæ occurrunt in puris intelligentiis.

Mens ſeipſam conſiderat; vel videt nihil felicitati & perfectioni ſuæ deeſſe; vel videt ſe quicquid optat non poſſidere: Dum felicitatem ſuam contemplatur gaudio afficitur; dum infelicitatem ſuam ſentit triſtitiâ laborat. Felicitatis contemplationem in ipſâ ſenſum illum gaudii excitare protinus arbitratur, quia ſenſus ille gaudii iſtam felicitatis contemplationem ſemper comitatur. Pariter infelicitatis ſuæ cognitionem in ipſâ etiam triſtitiæ ſenſum excitare imaginatur, quia ſenſus ille cognitionem iſtam ſemper ſequitur. Vera ſenſuum ſeu motuum iſtorum cauſa, Deus ſcilicet, ipſi manifeſtò non apparet. Immo de Deo ne cogitat quidem. Deus enim in nobis agit nobis ipſis inſciis.

Quum



Quum in eo statu nos sentimus in quo nos esse decet, tum Deus gaudii sensu nos remuneratur, ut in eo perstemus, ut nostra desinat inquietudo, felicitatemque nostram, capacitate mentis nostrae nullam aliam re occupatam, planè & plenè gustemus. Sed quum nos in eo statu non sentimus in quo esse deberemus, tum tristitiae sensum in nobis excitat Deus, ut ab eo in quo sumus desistamus, & perfectionem quae nobis deest anxie quaeramus. Deus enim nos versus bonum indefinenter pellit ubi cognoscimus nos illud non penitus possidere, & in eo nos firmiter sistit quum nos illud planè possidere cognoscimus. Itaque affectiones gaudii aut tristitiae intellectualis, non secus ac affectiones gaudii aut tristitiae sensibilis nullo modo esse voluntarias mentis productiones, ni fallor, patet evidenter.

Quocirca manum illam invisibilem, quae nos bonis cumulat, quaeque sub speciebus sensibilibus sese menti nostrae obnubit, ratione perpetuo agnoscere debemus. Illam adorare, illam amare nos decet: verum illam etiam timere debemus, quippe quae si nos bonis cumulet, nos etiam doloribus cruciare possit. Illam amore libero, amore cui ratio affulgeat, amore qui Deo & nobis dignus sit amare debemus. Amor noster dignus est Deo, ubi illum amamus quia ipsum amabilem esse certò cognoscimus, & amor ille nobis dignus est, quia ut pote ratione praediti id amare debemus quod ratio nobis ostendit amore nostro dignum esse. Sed sensibilia amamus amore nobis indigno, & quo etiam ipsa sunt indigna. Nam cum ratione praediti simus, illa amamus sine ulla ratione quae nos ad illorum amorem ferat, quia illa esse amabilia clarè non cognoscimus, quin imo contrarium optimè novimus, sed voluptas nos decipit, & ad illorum amorem fert: quippe caecus & immoderatus voluptatis amor falsorum iudiciorum quae homines in rebus ad mores pertinentibus ferunt vera est causa.

## CAPUT XI.

*De amore voluptatis relatè ad scientias speculativas. I. Quomodo amor ille nos a veritate retegendam arceat. II. Exempla afferuntur. III. Illustratur argumentum Cartesii ad demonstrandam Dei existentiam.*

**I**mmoderata cupiditas voluptatum sensibilium non modò est origo lethaliu erroru in quos circa Ethicam incidimus, & moru nostroru corruptionis causa generalis; eadem etiam propensio inter causas aberrationu mentis nostrae praecipua est, nosque in errores crassissimos, quamquam minus periculosos, circa res merè speculativas sensum



sensim inducit : quia propensio illa nos ab attentione ad res illas speculativas intelligendas, & accurato iudicio expendendas necessariâ amovet.

De difficultate quam experiuntur homines dum ad res paulò abstractiores incumbere volunt, jam multoties diximus, quia res de quâ tum agebatur id postulabat. De illâ circa res abstractas difficultate sub finem primi libri dictum est, dum ostendebamus mentem modis externis magis quàm rebus ipsis sæpe attendere, quia ideæ sensibiles ipsam magis afficiunt quàm ideæ puræ mentis. Eâdem de re etiam secundo libro dictum est, quia agendo de tenuitate fibrarum cerebri, demonstrare oportuit unde quorundam ingeniorum effeminatorum molities oriretur. Denique de hoc dictum est tertio libro inter loquendum de attentione mentis, ubi ostendendum fuit mentem nostram rebus merè speculativis parum, illis verò quibus vividè afficitur, quæque in ipsâ voluptatem aut dolorem excitant multam attentionem præbere.

Errores nostri multas penè semper habent causas quibus originem debent: adeo ut adversus ordinem peccari credendum non sit quoties res eadem recurrunt, eorundemque errorum multæ in multis locis afferuntur causæ. Id enim fit quia eorum revera multæ sunt, semper de causis occasionalibus loquor: sæpe enim diximus solam veram & realem causam errorum nostrorum esse malum libertatis nostræ usum, quâ bene non utimur vel in eo uno quod eâ quantum possumus non utamur, ut id ab istius operis initio explanavimus.

Ne quis ergo miretur, si, ut clarè & plenè explicaremus quomodo, exempli gratiâ, modi externi & sensibiles, sub quibus res sæpe delitescunt, nos deludant & in errorem injiciant, si, inquam, ut hæc explicarentur, velut in antecessum præmonere necesse fuit in aliis libris, nos versus voluptates inclinare; quod ad istum librum, qui de inclinationibus naturalibus agit, reservandum esse videbatur, & sic de aliis quibusdam locis. Ex eo saltem id fructus colligetur, quòd scilicet hîc supersedere poterimus a multis dicendis quæ hîc necessariò dicenda essent, nisi alibi jam dicta fuissent.

Quæcunque sunt in homine a se invicem ita pendent, ut numero rerum quæ eodem tempore dicenda sunt is sæpe obruatur, qui res omnes accuratè & penitus explicare aggreditur. Sæpe necessitas postulat ut ea quæ a naturâ inter se invicem juncta fuere non separentur, utque eo pacto adversus ordinem antea propositum procedatur, quum ordo ille nihil præter confusionem potest afferre; ut interdum necessariò contingit. Sed quicquid fiat nemo unquam potest ea omnia exprimere & clarè explicare quæ cogitat. Hoc duntaxat ut plurimum licet sperare: Nempe, alios eò adducere ut soli possint cum voluptate & facilitate retegere & excogitare, quæ a nobis difficili negotio resecta fuerunt & excogitata. Et quia sine attentione nihil intelligi potest,

in



in id præcipuè incumbendum est ut attentionem aliorum possimus nobis conciliare. Id quidem hîc sumus conati, quamquam nos rem infeliciter gessisse fateamur. Et eò libentiùs id quod a parte nostrâ defuit profitemur, quòd ista confessio lectorem ad id debeat incitare, ut se attentum reddat, quò defectui nostro possit mederi, & res quæ procul dubio penitus introspecti merentur, penitus introspicere queat.

Innumeri sunt errores in quos incidimus, inclinatione nostrâ versùs voluptates, & in genere versùs ea omnia quæ nos afficiunt, quia inclinatio illa mentis visum disjicit & dissipat, ipsum ideis sensuum & imaginationis confusis perpetuò applicat, nosque eò impellit ut de omnibus præcipitanter & duntaxat relatè ad nos judicemus.

Veritas non cernitur nisi ubi res ut in se sunt conspiciuntur, nec unquam ut in se sunt conspiciuntur nisi videantur in eo qui res omnes in se modo intelligibili complectitur. Quum res in nobismet ipsis videmus, illas imperfectè admodum videmus, seu potiùs nihil videmus præter sensationes nostras, non verò res quas videre optamus, quasque nos revera videre falsò credimus.

Ut res quales in se sunt videantur attentione opus est; quia nunc Deo non sine labore & conamine jungimur. Sed ut res in nobis videamus nullâ attentione opus est; quia etiam inviti sentimus ea quæ nos afficiunt. Nullâ voluptate naturaliter prævertimur in conjunctione nostrâ cum Deo, ideæ puræ rerum nos nequaquam percellunt. Itaque propensio nostra versùs voluptatem nos Deo nec applicat nec conjungit, quia potiùs ab eo nos indefinenter sejungit atque amovet. Illa enim propensio nos perpetuò fert ad res considerandas secundùm ideas ipsarum sensibiles, quia ideæ illæ falsæ & impuræ nos afficiunt. Voluptatis igitur amor, & usus actualis voluptatis quæ ipsius amorem excitat & corroborat, nos perpetuò a veritate in errorem abducit.

Qui itaque ad veritatem ut ipsius lumine potiantur accedere volunt, a voluptatis privatione ordiri debent. Ea omnia quæ mentem vivide afficiunt & jucundè occupant & distrahunt sedulò vitare debent. Sensus & affectus silere oportet, ut veritatis vox exaudiri possit: quippe secessus ab hominum consortio, & eorum omnium sensibilibus contentus necessarius est & ad mentis perfectionem & ad cordis conversionem.

Ubi voluptates nostræ sunt maximæ, & sensationes vividæ, ad veritates etiam simplicissimas inepti sumus, nec notiones communes attingimus, nisi aliquid sensibilis includant. Ubi voluptates aut aliæ sensationes sunt temperatæ, aliquas veritates simplices & faciles possumus quidem intelligere; Sed si fieri posset ut voluptatibus & sensationibus planè liberaremur, tum veritates omnium maximè abstractas & difficillimas possemus assequi. Quippe quò magis ab iis quæ Deus non sunt recedimus, eò magis ad Deum accedimus, quò magis errorem vitamus, eò citiùs veritatem comperimus. Sed ex quo

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

P p

pecca-

I.  
Quomodo  
amor volu-  
ptatis nos à  
veritate re-  
tegendâ  
amoveat.



peccatum obtinuit, ex quo amor voluptatis prævenientis immoderatus imperium in mentem nostram usurpavit, mens illa ita debilis facta est, ut nihil penetrare valeat; ita materialis & a sensibus dependens, ut quicquid non est corporeum ipsam fugiat, atque res abstractas quæ ipsam non tangunt attingere nequeat. Immodò notiones communes nonnisi ægrè percipit; ac ipsas attentione deficiente falsas & obscuras esse sæpe judicat. Rerum veritatem ab ipsarum utilitate, relationem quam inter se habent a relatione quam habent cum ipsâ discernere nequit; ac eas sæpe verissimas judicat, quæ utilissimæ, jucundissimæ & maximè sensibiles sunt. Denique inclinatio illa omnes perceptiones quas de rebus sensibilibus habemus, ac proinde omnia judicia quæ de ipsis ferimus, inficit & turbat. En tibi aliquot exempla.

II.  
*Exempla  
aliquot.*

Notione communi constat virtutem vitio antecellere; præstare esse sobrium & castum quàm intemperantem, & voluptati addictum. Sed inclinatio versùs voluptatem ideam illam ita nonnunquam perturbat ut illam quandoque non nisi obscurè ac veluti per caliginem videamus, nec ab eâ consequentias ad vitam ritè instituendam necessarias elicere possimus. Mens voluptatibus quas sperat ita occupatur, ut eas innocentes esse supponat, & ipsis potiendi rationes quærat.

Omnes norunt, præstare justum esse quàm divitem, justitiâ hominem magis extolli quàm superbiorum ædificiorum possessione, quæ sæpe illius qui ea ædificari curavit magnitudinem non tam arguunt, quàm ingentem injustitiarum & facinorum numerum. Sed voluptas quam homines nihili ex vanâ falsæ magnitudinis ostentatione percipiunt arctam ipsorum mentis capacitatem satis implent, ut veritatem adeo evidentem obscuret & ipsorum oculis surripiat. Se viros magnos esse stultè imaginantur, quia ampla possident ædificia.

Analysis aut Algebra speciosa haud dubiè omnium scientiarum pulcherrima, hoc est, secundissima & certissima est. Sine illâ mens nec sagacitatem nec vastam habet capacitatem, & ejus ope quæcunque certò & evidenter sciri queunt assequi potest. Licèt hæc scientia hæctenus satis imperfecta fuerit, eos tamen qui in eâ eruditi fuerunt, eâque ritè usi sunt celeberrimos reddidit, ipsius ope veritates ceteris hominibus imperceptas retexerunt. Menti humanæ ita accommodata est, ut ipsius capacitæ nullo modo distractâ ad res ad institutum inutiles, ipsam ad scopum rectâ & certò ducat. Uno verbo scientia est universalis, & veluti cæterarum scientiarum clavis. Attamen quantavis in se existimatione digna sit, nihil tamen habet quod homines pelliciat, quia duntaxat nihil habet quod sub sensus cadat. Per multa sæcula penitus neglecta fuit. Non pauci adhuc sunt qui vel ipsius nomen non cognoscunt; & inter mille homines vix unum reperias qui aliquatenus illam scientiam calleat. Doctissimi viri qui illam nostro sæculo renovarunt parum in eâ progressi sunt, nec illam ordine & claritate qua



qua par erat tractaverunt; ut pote homines quemadmodum ceteri, & qui veritates illas quas voluptas sensibilis non comitatur tandem fastidiverunt. Voluntatis ipsorum peccato corruptæ inquietudo, mentis ab agitatione & sanguinis circulatione pendentis levitas, diutius non sivit ut magnis, vastis, & fecundis veritatibus nutrentur, quæ omnium veritatum mutabilium, quæ accuratè cognosci possunt, normæ sunt immutabiles & universales.

Metaphysica pariter est scientia abstracta, quæ sensibus non blanditur, & in cujus studio mens nullam percipit voluptatem; atque hanc etiam ob causam ista scientia summopere negligitur; ac sæpe occurrunt homines satis stupidi ut notiones communes audacter negent. Sunt qui negent id de aliquâ re asseri posse & debere quod includi ut clarè & distinctè in ideâ istius rei. Nihilum nullas habere proprietates; rem quampiam non posse in nihilum redigi sine miraculo; nullum corpus posse moveri propriis viribus; Corpus motum non posse communicare cum corporibus sibi obviis plus motûs quàm ipse habet; & alia similia. Hæc axiomata visu satis fixo & distincto nunquam contemplati sunt, ut eorum veritatem clarè percipere possent, & quandoque quædam fecerunt experimenta quibus falsò convicti fuerunt quædam inter illa axiomata non esse vera, viderunt certis in casibus corpora quæ sibi mutuò occurrebant plus habere motûs postquam ante collisionem, cùm contrarium eveniret in aliis casibus; viderunt sæpe vel minimum corporis alicujus visibilis tactum magnos motus subito sequutos fuisse, jam autem visus \* ille quorundam experimento-

\* Vide  
leges mo-  
tus in illu-  
strationibus.

rum quorum rationes non assequuntur, ipsos ad id adduxit ut colligerent naturales vires augeri & destrui posse. Nonne considerare deberent motus posse transferri a corporibus visibilibus ad invisibilia, quum corpora mollia sese mutuò pulsant, aut a corporibus invisibilibus ad visibilia in aliis casibus. Quum corpus aliquod de fune pendet, forfices quibus funis abscinditur corpori illi non indunt motum, sed materia quædam invisibilis. Quum carbo in pulveris pyrii cumulum injicitur, non motus carbonis, sed materia quædam invisibilis omnes partes pulveris segregat, ipsisque tantum indit motum ut domum possit subruere. Mille modis incognitis materia invisibilis potest communicare motum suum cum corporibus crassis & visibilibus. Saltem id fieri non posse evidens non est, quemadmodum evidens est vim moventem corporum non posse augeri nec minui viribus ordinariis naturæ.

Sic homines vident lignum quod in ignem injicitur desinere esse id quod est, omnesque qualitates sensibiles quæ in illo deprehendebantur interire; & ideo se meritò credere arbitrantur posse fieri ut res in nihilum undeeducta est redeat. Lignum videre desinunt, & nihil amplius cernunt præter cineres, atque hinc judicant maximam ligni partem perire, quasi lignum non posset redigi in partes quas



oculis percipere nequeunt. Saltem id fieri non posse tam evidens non est, quàm evidens est mutationi obnoxiam non esse vim quæ omnibus dat existentiam, neque ordinariis naturæ viribus id in nihilum redigi posse quod actu est, quemadmodum iisdem ordinariis naturæ viribus non existere incipit quod actu non est. Sed plerique homines eò non possunt adduci ut in se descendant ad audiendam veritatis vocem, juxta quam de omnibus judicare debent. Solis oculis de omnibus judicium ferunt. Judicant prout sentiunt, non verò prout intelligunt, quia scilicet cum voluptate sentiunt, sed cum labore intelligunt.

Si omnes omnino homines roges an extra erroris aleam possit afferri, totum esse majus suâ parte; neminem fore opinor qui non protinus respondeat quod respondendum est. Si postea ipsos roges num sine erroris periculo possit pariter afferri de aliquâ re id quod clarè concipitur includi in ideâ illius rei; paucos certè videbis qui id strenuè ac sine hæsitatione fateantur; plures qui id negent, plerosque qui nesciant quid respondeant: attamen axioma illud Metaphysicum, posse afferri de aliquâ re id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat, evidentius est axioma quo afferitur totum esse majus suâ parte; quia postremum istud axioma non est axioma, sed tantum conclusio respectu prioris. Potest probari totum esse majus suâ parte per prius illud axioma, sed prius per nullum aliud probari potest. Omnium cognitionum clararum & evidentium fundamentum est absolute primum. Unde igitur fit ut nemo circa conclusionem hæreat, & multi de primario axioma unde deducitur dubitent? nisi quia ideæ *totius & partium* sunt sensibiles, & quia oculis, ut ita dicam, unusquisque videt totum majus esse suâ parte; sed primi omnium scientiarum axiomatis veritas oculis non cernitur.

Cùm in hoc axioma nihil sit quod naturâ suâ mentem fistat, ejusque attentionem alliciat, certè non aliter ipsius veritatem agnosces quàm si constanti firmâque voluntate illud considerare velis. Tenax voluntatis propositum illecebræ externæ quæ isti axioma deest vicem supplere debet. Sed eorum quæ sensibus non blandiuntur meditatio hominum mentem non subit, aut si subeat, in id nullo nisu contendunt.

Nam, ut idem persequar exemplum, totum esse majus suâ parte, montem marmoreum esse possibilem, & montem sine valle esse impossibilem evidentè vident, sed eâdem cum evidentiâ. Deum existere non judicant. Tamen evidentiâ in his omnibus par dici potest; cùm a primo axioma hæc omnia æqualiter distent.

En primum principium. \* Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat: clarè concipimus plus esse magnitudinis in ideâ totius quàm in ideâ partis: existentiam possibilem contineri in ideâ montis marmorei; existentiam verò impossibilem in ideâ montis sine valle, & existentiam necessariam in ideâ Dei.,

\* Desumptum est hoc ratiocinium ex meditationibus Cartesianis.



Dei, hoc est, entis infinite perfecti. Ergo totum est majus sua parte; Ergo mons marmoreus existere potest: Ergo mons sine valle existere nequit: Ergo Deus, seu ens infinite perfectum necessario existit. Hæc omnes conclusiones a primo omnium scientiarum axiomate æqualiter distare manifestum est. Ergo in se æqualiter evidentes sunt. Ergo æquè evidens est Deum existere, ac evidens est totum esse majus sua parte. Sed quia ideæ infiniti, perfectionum, existentiae necessariae sensibiles non sunt ut ideæ totius & partis, ea nos non percipere imaginamur quæ non sentimus, & quamvis omnes istæ conclusiones in se æquè evidentes sint, ab omnibus tamen æqualiter non admittuntur.

Sunt qui persuadere conentur se non habere ideam entis infinite perfecti. Sed nescio quomodo positivè respondere possint, dum quis ab illis quærit an ens infinite perfectum sit rotundum an verò quadratum, aut aliquid simile. Nam respondere deberent se id nescire, si verè nullam entis infinite perfecti habeant ideam.

Sunt alii qui fateantur eos bene ratiocinari, qui concludunt Deum non esse ens impossibile, ex eo quòd vident ideam Dei nullam involvere contradictionem, aut non includere existentiam impossibilem; & tamen nolunt pari ratione concludi Deum necessario existere, ex eo quòd existentia necessaria in ideâ Dei clarè concipitur.

Denique alii sunt qui hoc argumentum pro existentia Dei merum esse sophisma autument. Argumentumque illud nihil concludere nisi posito quòd verum sit Deum existere; quasi id non probaretur, hæc est probatio nostra. Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat. Illud est axioma generale omnium scientiarum. Existentia necessaria includitur in ideâ quæ repræsentat ens infinite perfectum. Id ab ipsis conceditur, atque ideo dicendum est ens infinite perfectum existere; maxime, inquirunt, posito quòd existat.

Sed argumentum ejuscemodi responsò ejuscemodi excipiamus, ut de istius responsi soliditate judicium fieri possit. En argumentum simile. Rei tribuendum est id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat; hoc est axioma: Clarè concipiuntur quatuor anguli inclusi in ideâ quæ repræsentat quadratum; aut clarè concipitur existentia possibilis includi in ideâ turris marmoreæ: Ergo quadratum habet quatuor angulos: Ergo turris marmorea possibilis est. Dico conclusiones istas veras esse, posito quòd quadratum habeat quatuor angulos, & turris marmorea possibilis sit; quemadmodum respondent Deum existere, posito quòd existat: hoc est, uno verbo conclusiones istarum demonstrationum esse veras, posito quòd sint veræ.

Si istud formarem argumentum; tribuendum est rei id quod clarè concipitur includi in ideâ quæ rem illam repræsentat; jam autem clarè concipitur existentiam necessariam includi in ideâ corporis infinite



perfecti, ergo corpus infinite perfectum existit. Si, inquam, sic argumentarer, fateor mihi responderi posse istud argumentum non concludere existentiam actualem corporis infinite perfecti; sed tantum posito quod detur tale corpus, suam existentiam per se habiturum esse. Atque hujus rei ratio est, quod idea corporis infinite perfecti est mentis figmentum, aut idea composita, & quæ ideo potest esse falsa aut contradictoria, ut re ipsa est: nam corpus infinite perfectum clarè concipi nequit; cum ens singulare & finitum quale est corpus concipi nequeat universale & infinitum.

Sed idea Dei aut entis in genere, entis illimitati, entis infiniti, non est mentis figmentum. Non est idea composita quæ aliquam involvat contradictionem. Eâ nihil est simplicius quamvis quicquid existit aut existere potest complectatur. Jam autem idea illa simplex & naturalis entis, aut infiniti existentiam necessariam includit: Nam evidens est ens (non dico *ens peculiare*) habere existentiam suam per se; & ens non posse non esse actu; cum impossibile & contradictorium sit ut verum ens sit sine existentia. Fieri potest corpora non esse, quia corpora sunt *talia entia*, quæ de ente participant & ab eo dependent. Sed ens illimitatum necessarium est, a nemine pendet, id quod est a se ipso duntaxat habet. Quicquid est, ab ipso oritur, si aliquid existat, illud ens necessario existit: cum quicquid est ab illo oriatur. Sed licet nihil singulare esset, esset tamen ens: quia est per se, nec clarè concipi potest ut non existens, nisi quis illud sibi representet ut *ens singulare*, & sic ideam ab ipsius ideâ prorsus diversam consideret. Qui enim non vident Deum esse, ens ut plurimum non considerant, sed *ens singulare*, atque ideo quod esse aut non esse potest.

III. Interim ut illud existentia Dei argumentum distinctius concipiatur, ac nonnullis quæ objici possent clariùs respondeatur, recordandum est, quum videmus aliquam rem creatam, illam nec in se, nec per se a nobis videri. Illam enim, ut *tertio libro* probatum est, non videmus nisi ex quarundam perfectionum quæ in Deo sunt, & quibus illa representatur, contemplatione. Ita istius rei creatæ essentiam, ipsius existentia non posita, notare possumus. In Deo id quod ipsam representat cerni potest, licet illa non existat. Hanc ob causam existentia necessaria non includitur in ideâ quæ illam representat, cum necessarium non sit ipsam esse ut videatur; sed res eodem modo non se habet de ente infinite perfecto; non potest videri nisi in se ipso; nam nihil est finiti, quod posset representare infinitum. Deus igitur videri nequit nisi existat. Non potest videri essentia entis infinite perfecti, nisi ipsius existentia videatur. Non potest videri simpliciter ut ens possibile: nullâ re capitur: sique de eo cogitare possumus, oportet necessario ut existat.

Illud quidem ratiocinium mihi evidentissimum videtur; sunt tamen qui contendunt per finitum posse infinitum representari, mentisque nostræ

III.  
Illustratur  
argumentum  
Cartesii  
pro existen-  
tia Dei.



nostræ modalitates, utut finitas, essentialiter esse repræsentativas Entis infinitè perfecti, & eorum in genere quæcunque percipimus. Qui quidem crassissimus est error, qui per consequentias suas omnium scientiarum certitudinem evertit, ut id probari facilè potest. Sed ita abhorret a vero quòd omnium Entium repræsentativæ sint mentis modalitates, ut nullius entis, ne sui quidem sint repræsentativæ. Quamvis enim existentia nostræ atque actualium nostrarum modalitatum firmus conscii, eas neutiquam cognoscimus.

Certè nullam propriæ substantiæ mens habet ideam claram; quid per \* ideam claram intelligam jam compertum esse debet; non potest se  
 \* Vid. cap. 7. 2. part. 3. lib. 1. atque huc pertinetem illustrationem.

se intuendo comperire an hujus illiusve modificationis sit capax, si eam nondum experta fuerit. Dolorem suum revera sentit, non cognoscit; ignorat quippe quæ in suâ substantiâ requiratur modificatio ut dolorem sentiat, aut ut hunc potiùs quàm illum experiatur dolorem. Non unum idémque sunt sui sensus & sui cognitio. Mentem perfectè cognoscit Deus qui in ea indefinenter agit, doloris expers novit tamen quæ requiratur in mente modificatio ut dolorem patiat, mens verò dolorem patitur, nec eum cognoscit. Eum cognoscit Deus, nec sentit; sentit mens, nec cognoscit.

Mentis naturam clarè cognoscit Deus, quia in se ipse reperit claram & repræsentativam ideam. Deus, † ut ait Divus Thomas, *essentiam suam perfectè cognoscit, unde cognoscit secundum quòd est participabilis a creaturis*. Ipsiùs itaque substantia est mentis verè repræsentativa, quia ipsius archetypum sive æternum exemplar in se includit. Non aliunde enim quàm a se ipso proprias cognitiones petere potest Deus. In essentiâ suâ omnium entium possibilem ideas sive essentias videt, in suis verò voluntatibus eorum existentiam & existentia omnes modos contemplatur. Sed mens sibi ipsa est tenebræ, alienum quippe lumen mutuatur. Omnia quæ novit aut potest noscere entia non sunt ipsius substantiæ similitudines, nec eam participant; eorum perfectiones non complectitur eminenter. Mentis itaque modalitates non possunt esse ut in Deo, scilicet, Entium possibilem essentiam aut ideam non possunt repræsentare. Atque ideo distinguendæ sunt ideæ quæ nos illuminant, quæ nos afficiunt, quæ ea entia nobis repræsentant, distinguendæ sunt, inquam, a modalitatibus mentis nostræ, hoc est, a per-

† Deus essentiam suam perfectè cognoscit, unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis, secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat Divinæ essentia similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creaturâ, cognoscit eam ut propriam rationem & ideam hujus creaturæ, & similiter de aliis. 1. p. q. 15. art. 2. v. quæst. 14. t. 6.



perceptionibus quas de iis Entibus habemus. Cúmque a voluntatibus nostris non pendeat rerum creaturarum existentia, sed a creatoris voluntate, clarè itidem patet nos ipsarum existentia non aliter certiores fieri posse quàm per aliquam revelationis speciem sive naturalis, sive supernaturalis.

Sed præterea quamvis omnia entia nostræ mentis similitudines essent, quæ, quæso, ea cernere posset in suis modalitatibus, quas volunt esse repræsentativas, cum ne propriam quidem substantiam perfectè noverit, cum eam non noverit *secundum omnem modum quo cognoscibilis est*, cum non noverit quomodo rerum objectarum perceptione ipsa modificetur? Imo etiam se ipsam cum corpore confundit, nec sæpe novit quænam ad se pertineant modalitates; Cùm tangitur, aut cum efficaciam suam afficiunt ideæ, mens in se ipsam quidem suas sentit modalitates aut perceptiones, ubi enim, si non hæc, eas sentiret? sed quid sit nunquam clarè comperiet, suam ipsius naturam, proprietates, omnes quarum capax est modalitates nunquam cognocet donec luminosa & semper efficax Dei substantia ipsi aperiat, ideam quæ repræsentatur, spiritum, nempe, intelligibilem, æternumque exemplar cuius instar formata est. Verùm idem argumentum clariùs adhuc evolvere nitamur, ut quemque attentum huicce propositioni, quæ mihi per se clara visa fuerat, assentiri cogamus; infinitum, scilicet, nullam re finitam repræsentari posse, Deumque ideo existere, quandoquidem de eo cogitatur.

Pro certo constat neque visibile neque intelligibile esse nihilum aut falsum; nihil videre idem est ac non videre; nihil cogitare idem est ac non cogitare; falsitas quædam, æqualitatis, verbi gratia, relatio inter bis duo & quinque percipi nullatenus potest; Ea enim relatio, aut alia quæcunque quæ non existit, credi quidem, certè non percipi potest, quia nihilum non est visibile. Hoc est propriè primum omnium nostrarum cognitionum axioma; ideòque ab eo exorsus sum mea *Metaphysica colloquia*, quorum duo prima legere expedit. Ab eo enim axioma hocce pendet quod a Cartesianis vulgò admittitur, de re aliqua, scilicet, afferi posse quod clarè concipitur includi in ideam quæ eam rem repræsentat; neque aliter verum est quàm si supponas rerum ideas immutabiles esse, necessarias, & divinas. Si enim ideæ nostræ nihil aliud essent quàm perceptiones nostræ, si repræsentativæ essent nostræ modalitates, quæ sciremus res ideis nostris respondere? quandoquidem non cogitat Deus, neque ideo agit secundum nostras, sed secundum suas perceptiones, ac proinde mundum non juxta nostras creavit perceptiones, sed juxta suas ipsius ideas, juxta æternum Archetypum quem in suam habet essentiã. Cùm igitur nihilum non sit visibile, exinde sequitur necessariò existere quicquid clarè, distinctè, immediatè cernitur. Dico quod immediatè cernitur, attende quæso, aut quod concipitur. Stricto enim sensu, quæ immediatè cernuntur



ab iis longè differunt quæ extrinsecus videntur, vel potius quæ videri creduntur, aut quæ adspiciuntur; certo enim sensu verum est non videri hæc, nam extrinsecus videre possumus aut potius nobis videre videri quæ nequaquam existunt, licet nihilum non sit visibile; sed quòd immediatè cerni queat quod non est, id certè contradictionem involvit; sic enim simul videres, & non videres; siquidem nihil videre idem est ac non videre.

Sed quamvis nihil percipiatur quod non sit, non ideo per se visibile est quicquid actu existit; ut enim per se visibile esset, oporteret ut immediatè in animâ agere posset, ut mentes per se posset illuminare, afficere aut modificare. Alioqui mens nostra quæ, quatenus perceptionum capax, merè passiva est, illud nunquam perciperet. Quamvis enim mens esse fingeretur in re objectâ, eamque penetrare, ut vulgò supponitur esse in cerebro, illudque penetrare, rem objectam ne in eo quidem casu perciperet, quoniam partes quibus constat cerebrum, easque etiam ubi præcipuè sedere dicitur, ipsa non potest detegere. Revera nihil est per se visibile atque intelligibile quàm quod in spiritibus agere potest.

Ponamus tamen hæc duo utut falsa, 1. mentis actione quam fingunt omnem percipi posse realitatem. 2. Mentem sui esse suarumque modalitatum non modò consciam esse, sed & perfectam habere notitiam. Dummodo mihi concedatur quod modò demonstrari, nihilum, scilicet, non esse visibile, facile inde deducam modalitatibus mentis in finitum non posse repræsentari. Etenim, tres realitates cerni nequeunt ubi duæ sunt tantummodò, siquidem cerneretur unum nihilum, una realitas quæ non esset. Ibi centum realitates videri nequeunt ubi sunt tantum quadraginta; sic enim sexaginta viderentur realitates quæ non essent. Ergo neque Infinitum videri potest in mente finitâ, aut finitis ejus modalitatibus, sic enim videretur Infinitum quod non esset. Ergo neque in suâ substantiâ neque in suis modalitatibus mens videre potest infinitam realitatem, illam, verbi gratiâ, intelligibilem extensionem quæ infinita esse tam clarè deprehenditur ut pro certo constet eam a mente nunquam exhaustum iri. Verùm ut mens infinitum possit repræsentare non sufficit ut illud possit percipere, non sufficit ut ipse perceptionem possit habere levissimam aut infinitè parvam, qualem ipse habemus, oportet ut illud possit in se percipiendum præbere, illudque ideo complecti, ut ita dicam, quoniam percipi nequit nihilum, imo illud ita complecti ut per se sit intelligibile aut efficax, ut possit intelligentem mentis substantiam afficere.

Clarè itaque patet mentem, aut ejus modalitates, aut quicquam finitum nequitiam posse infinitum repræsentare; infinitum non nisi in se ipso, & per substantiæ suæ efficaciam posse videri; infinitum nullum habere aut habere posse sui archetypum, sive ideam ab ipso distinctam quæ ipsum repræsentet, ac proinde, si de infinito cogitatur, oportere



ut actu existat: Atqui certè de eo cogitatur; ipsius habetur, non *comprehensio* quidem, aut perceptio quæ ipsum metiatur atque amplectatur, sed aliquanta perceptio, hoc est, perceptio infinitè parva respectu comprehensionis perfectæ.

Animadvertendum est non plus cogitationis aut majorem cogitandi capacitatem requiri ad finitè parvam infiniti perceptionem quàm ad perfectam alicujus rei finitæ perceptionem; quoniam omnis finita magnitudo cum infinito comparata aut per infinitum divisa est ad hanc finitam magnitudinem, ut hæc ipsa magnitudo est ad infinitum. Id eadem ratione probatur ac istud nempe  $\frac{1}{1000}$  esse ad 1, ut ut 1. est ad 1000; duas, tres, quatuor millionesimas esse ad duo, tria, quatuor, ut duo, tria, quatuor sunt ad duos, tres, quatuor milliones; evidenter enim patet eandem semper manere proportionem, licet ad infinitum semper decuplo majorem faceres numerum. Ratio est quòd quæcunque magnitudo, aut finita realitas æqualis sit realitati infinitè parvæ relatè ad infinitum; dico relatè ad infinitum, nihil enim parvum est aut magnum absolute, sed tantum relative. Itaque certum est unam modalitatem, aut finitam in se perceptionem posse infiniti perceptionem esse, dummodo ea infiniti perceptio relatè ad infinitam perceptionem, aut ad perfectam infiniti comprehensionem sit infinitè parva.

Ut clariùs adhuc, si fieri possit, concipiatur quò infinitum percipere possit mens finita, fingamus, verbi gratià, percipiendi capacitatem in mente quatuor esse graduum, ideamque ipsius manûs aut unius pedis extensionis ipsam ita vividè per dolorem afficere, ut eà ideâ repleatur tota ipsius cogitandi capacitas, manifestò patet eandem cogitandi capacitatem bipedali extensioni percipiendæ parem futuram si modò ejus extensionis idea eam feriat duplo minùs vividè. Pariter, si res objecta quæ eam immediatè afficit major sit vicium centum myriadibus, sed simul eam feriat parte tantum millionesimâ vis prioris, ipsius cogitandi capacitas adhuc sufficiet ut hanc rem objectam percipiat; rei enim objectæ infinitas multiplicata per infinitè parvam ejus perceptionem semper æqualis erit ipsius cogitandi capacitati. Infinitum enim per infinitè parvam quantitatem multiplicatum finita est & constans magnitudo qualis est cogitandi capacitas quâ mens prædita est. Id evidens est, & eo nititur hyperbolarum inter asymptotos proprietas, ex quibus abscissæ ad infinitum usque crescentes per ordinatas ad infinitum usque decrecentes multiplicatæ eidem magnitudini semper æquales sunt. Infinitum autem per zero multiplicatum est certissimè zero; jam verò nostra cogitandi capacitas non est zero, non est nulla: clarè itaque patet mentem nostram, etsi finitam, infinitum posse percipere perceptione quæ, etsi infinitè parva, non tamen est nulla, sed maximè realis.

Imprimis attentè observandum est, de rerum objectarum magnitudine, aut de idearum realitate non judicandum esse ex vi & vehementiâ, vel, ut cum scholasticis loquar, ex gradu *intentionis* modalitatum

aut



aut perceptionum quarum ideae mentem nostram afficiunt. Spinae me pungentis acumen, pruna me comburens non tantum habet realitatis quantum ager quem video. Multo magis tamen impletur mea cogitandi capacitas dolore punctiois aut ustionis quam agri conspectu: Pariter si apertis adstem oculis in patenti campo, extensionis finitae sensibilem habeo perceptionem multo vividiorum, & quae mentis meae capacitatem multo magis occupat, quam cum clausis oculis de extensione cogito. Atqui tamen minus habet realitatis ideae extensionis quam variorum colorum sensu afficit quam ea quae, clausis oculis, per puram intellectionem tantum me afficit: per puram enim intellectionem extensionem video longe latius patentem eam quam apertis conspicio oculis. Non ergo judicandum est, non hic dico de efficaciam, sed de realitate idearum ex vividam aut levi ratione quam nos afficiunt; sed de earum realitatis magnitudine judicandum ex realitate quae in illis detegitur, utut levissima sit modalitas quam nos afficiunt, utut debilissimam ipsarum habeamus perceptionem. De earum realitate judicandum est ex eo quod eam percipiamus, cum nihilum percipi nequeat. Haec dico ut demonstrem nullam in eo esse contradictionem quod finitam perceptionis capacitate percipi possit infinitum; utque eos ex errore suo revocem qui hac fictam decepti contradictione nos nullam habere contendunt infiniti ideam, etsi interno sensu sive conscientiam doceamur nos actu de infinito cogitare, vel, ut cum ceteris loquar, nos Dei, aut entis infinite perfecti naturaliter ideam habere.

Probare potuissem mentis modalitates neque infiniti neque ullius cuiuspiam rei representativas esse, sive ideas aliud omnino esse ab ipsis quas earum habemus perceptionibus, id inquam probare potuissem aliis etiam argumentis praeter illud quod modo deduxi ex hac communi ratione, nihilum, scilicet, non esse visibile. Clare enim patet mentis modalitates mutabiles esse, ideas contra immutabiles; mentis modalitates particulares esse, ideas contra universales, seu omnibus communes intelligentiis, secus enim nullam inter se societatem inire possent; illas esse contingentes, has aeternas & necessarias; illas obscuras esse & tenebrosas, has clarissimas & maxime luminosas, hoc est, illas obscure tantum, etsi vividè sentiri, has contra clarè cognosci, ut pote quae omnium scientiarum sint fundamentum; mentis denique ideas efficaces esse, cum in spiritibus agant, eos illuminent, felices & infelices reddant, quod evidenter patet ex dolore quo idea manus eos etiam afficit quibus amputatum fuit brachium. Verum tot jam scripsi de idearum naturam sive in hoc sive in aliis operibus, ut ad ea lectorem merito amandare posse mihi videar.

Deum igitur existere aequè evidenter patet ac mihi manifestò constat me existere. Inde me existere colligo quod me sentiam, nec sentiri possit nihilum. Pariter concludo Deum, Ens infinite perfectum existere, quia eum percipio, nihilum verò percipi nequit, neque etiam infinitum in finito.



Sed hæcæ demonstrationes hominibus vulgi proponere inutile est ; istæ demonstrationes *ad hominem* dici possunt, quia omnes in gener<sup>e</sup> homines non convincunt ; quia nimirum plerique, imo quandoqu<sup>e</sup> doctissimi, aut qui quàm plurima legerunt, argumentis metaphysicis attendere aut nolunt, aut non possunt, eaque vulgò summopere aspernantur. Si igitur ipsos convincere velis, proponendæ sunt demonstrationes sensibus magis accommodatæ, quæ sanè non desunt, nulla enim veritas pluribus probatur argumentis quàm existentia Dei. Istud duntaxat attulimus, ostensuri veritates abstractas, utpote in sensus nostros nequaquam ferè agentes, hallucinationes & chimæras sæpe haberi, cum contrà veritates sensibiles, palpabiles, quæque mentem ad sui considerationem impressione sensibili cogunt, multum realitatis habere credantur, quia a peccato in mentem nostram vehementissimè agunt.

Eandem etiam ob causam sperandi non datur locus vulgus huic demonstrationi unquam assensurum esse ad probandum animalia bruta non sentire; nempe, cum sint innocentia, ut id apud omnes in confesso est, utque suppono, si sensus capacia essent, contingeret ut Deo infinitè justo & omnipotenti res dirigente, innocens dolore cruciaretur, quamvis dolor sit pœna & peccati punitio, homines istius axiomatis Oper. perf. evidentiam ut plurimum assequi nequeunt. *Sub justo Deo, quisquam, nisi mereatur, miser esse non potest*, quo Augustinus sapientissimè utitur adversus Julianum ut peccatum originale & corruptione naturæ nostræ probet. In isto axioma & in quibusdam aliis quibus bestias non sentire evincitur, nullam vim nullamque soliditatem esse arbitrantur; quia, ut jam diximus, hæc axiomata sunt abstracta, nec quicquam sensibilis aut palpabilis includunt, nullamque in sensus impressionem faciunt.

Actiones & motus sensibiles bestiarum ad vitæ suæ conservationem argumenta sunt quæ, quamvis verosimilia tantum, nos multò magis tamen afficiunt; & quæ ideo nos eò vehementius adducunt ut credamus bestias dum percutiuntur dùmque clamitant dolorem pati, quàm ratio illa abstracta mentis puræ, quamvis per se certissima & evidentissima sit. Certò enim constat plerosque aliâ causâ ad id non adduci ut credant bruta prædita esse animâ quàm visu sensibili eorum, quæ a bestiis ad vitæ suæ conservationem aguntur.

Juxta opinionem vulgarem pullum ex ovo formari, licet forsân tantum nutriatur liquor,

Id vel ex eo patet quòd plerique animam in ovo esse non arbitrentur, quamvis transformatio ovi in pullum longè difficilior sit ipsâ pulli omnino formati conservatione. Quemadmodum major requiritur solertia ad conficiendum horologium ex datâ ferri portione, quàm in dirigendis istius horologii semel instructi motibus; potiùs admittenda esset anima in ovo ut ex eo formetur pullus, quàm ut pullus ille omnino formatus conservetur. Verùm homines sensibus non percipiunt modum admirabilem quo formatur pullus, quemadmodum semper percipiunt sensibus quomodo ad vitam conservandam necessaria quærit. Sic nullâ in-



lâ impressione sensibili ex motibus ad transformationem ovorum in pullos necessariis natâ ad id impelluntur ut credant animas esse in ovis, sed animalibus tribuunt animas propter impressionem sensibilem actionum externarum quas istâc animalia edunt ad vitæ suæ conservationem; quamvis ratione jam allatâ animæ ovis potius tribui possent quàm pullis.

Secunda hæc ratio omnes animas cum sint substantiæ corporibus præstantiores, malè ordinatas fore si ad id tantum creatæ fuissent ut informarent corpora, sique nullus alius esset earum finis quàm ut fruarentur corporibus, hæc inquam ratio omnes eos convincere deberet nullam inesse brutis animam, qui ex unâ parte credunt bruta non peccasse, & simul Deum esse sapientem, eumque, cum se amet invicte, pluris ea entia facere quæ ejus essentiam magis participant. Denique evidens est materiam non aliarum esse capacem modificationum quàm quæ deduci possunt ex clarâ quam habemus ejus essentiæ ideâ; atque illum id dicere quod non concipit, quodque manifestam includit contradictionem, qui contendit bruta sentire, desiderare, cognoscere, quamvis corporeæ sint ipsorum animæ. Verùm homines rationes istas perpetuò potius confundent & obscurabunt quàm ad id adducantur ut rem argumentis tantummodo verisimilibus, sed maximè sensibilibus tamen & vividissimis contrariam pro verâ agnoscant. Nec poterunt penitus convinci nisi argumenta sensibilia argumentis sensibilibus quæ afferunt opponantur, ipsisque sensibili ratione demonstretur quomodo omnes animalium partes nihil aliud sint quàm meræ machinæ; & quomodo possint moveri sine animâ, sola rerum objectarum impressione, & constitutione quadam speciali, ut *Cartesius* id demonstrare incepit in Tractatu suo *de homine*. Omnes enim rationes certissimæ & evidentissimæ ex puro intellectu petitæ ipsos ab argumentis obscuris quæ a sensibus sint petita nunquam dimovebunt, immo & ingeniis superficialiis ludibrium deberet qui probare aggredereatur ratiociniis paulò sublimioribus animalia non sentire. Maneat igitur altâ mente repositum vehementem propensionem quâ versùs oblectationes, voluptates, ac in genere versùs ea omnia quibus afficimur, nos in quamplurimos errores injicere: quia cum mentis nostræ capacitas sit finita, ista propensio nos indefinenter dimovet ab attentione ad ideas claras & distinctas intellectûs puri ad veritatem inveniendam aptas, ut nos adjungat ideis falsis, obscuris & fallacibus sensuum nostrorum; quæ voluntatem spe boni & voluptatis magis movent, quàm mentem lumine & evidentiâ illuminant ac erudiunt.



## CAPUT XII.

*De effectibus quos bonorum & malorum futurorum cogitatio in mente edere potest.*

**S**I tenuissimas voluptates levissimosque dolores quos actu sentimus, aut nos sensuros tantum speramus imaginationem nostram mirum in modum perturbare saepe contingat, impediuntque quominus de rebus juxta veras ipsarum ideas judicare possimus; arbitrandum non est aeternitatis expectationem in nos non agere. Verum animadvertendum quid illa expectatio in mentem nostram producere valeat.

Ante omnia observandum est spem aeternarum voluptatum non tantopere in mentem agere quam metum aeternorum cruciatuum. Quia, nempe, homines non aequè amant voluptatem ac oderunt dolorem. Praeterea suae corruptionis conscientiam adducti norunt se dignos esse inferis; cum contra nihil videant in se quod mereatur mercedem tantam ut Divinae felicitatis fiant participes. Quotiescunque volunt, immo sapissime cum nollent, severissimis poenis potius quam ullam mercedem dignos se esse sentiunt; namque ipsorum conscientia ipsos nunquam deserit. At eadem evidentiam perpetuò non convincuntur Deum velle exerere misericordiam suam erga peccatores, postquam justitiam suam in proprium filium exercuit. Itaque ipsi justi aeternitatem cruciatuum vividius formidant quam aeternitatem voluptatum sperant: consideratio ergo poenae fortius agit ideam mercedis. Hocce autem ferè, non sola quidem, sed ut causa praecipua producere potest ea poenae consideratio.

Innumeros scrupulos in mentem injicit, quos ita confirmat ut exui nequeant. Fidem ad praedicia usque, ut ita dicam, extendit, cultumque soli Deo debitum in potestates imaginarias transfert. Mentem in superstitionibus vanis aut periculosis siflit; homines ad id impellit ut traditiones humanas, actiones ad salutem inutiles, pietatem Judaicam & Pharisaicam quam solus timor servilis excogitavit, maximo cum zelo & ardore amplectantur, ac eos denique eo nonnunquam caecitatis adducant, ut ad desperationem redigantur; adeò ut mortem veluti nihilum quoddam confuse spectent, mortem suam stulte accelerent, ut ex sollicitudinibus quibus anguntur & terrentur emergant. Mulieres, juvenes, ingenia debilia, scrupulis & superstitionibus maximè obnoxia sunt, at viri ad desperationem facilius rediguntur.

Horum



Horum omnium causas reperire difficile non est; Etenim cum idea æternitatis omnium idearum quæ mentem stupefacere, imaginationemque percellere possunt, maxima sit, atque etiam maximè terribilis, ipsam longâ idearum adventitiarum serie stipari necesse est, quæ omnes simul non levem in mentem edant effectum, propter relationem quam habent ad ingentem illam & terribilem æternitatis ideam.

Quicquid ad infinitum aliquatenus refertur parvum esse nequit; aut si in se parvum sit, saltem per illam relationem magnitudinem sortitur nullis limitibus circumscriptam, quæque cum illo omni quod finitum est conferri nequit. Ita, quicquid aliquam habet, aut quod saltem aliquam habere imaginamur relationem ad alterutrum illud quod necessarium est, hoc est, ad æternitatem cruciatuum, aut ad æternitatem deliciarum nobis propositam, omnes animos qui planè stupidi non sunt terrere necessariò debet.

Cum femine, juvenilis ætas, & ii quibus ingenium est debile, fibras cerebri, ut jam dictum est, molles & flexiles habeant, imaginationis vi ex illorum alterutro, nempe ex cruciatibus aut ex deliciis æternis sibi propositis vestigia accipiunt altissima. Cumque spiritus ipsi affatim suppetant, ita ut sensus quàm cogitationis capaciores sint, imaginationis vi maximo falsorum vestigiorum falsarumque idearum adventitiarum, quæ nullam cum ideâ præcipua naturalem habent relationem numero obruuntur. Interea tamen, relatio illa, quamvis imaginaria, fovet & corroborat falsa hæc vestigia, falsasque ideas adventitias quæ ab eâ originem suam ducebant.

Cum litigatores momentoso implicantur negotio, nec litium sunt periti, vanis identidem terrentur formidinibus; quia scilicet, metuunt ne quædam ipsorum causæ officiant ad quæ ipsi iudices animum ne advertunt quidem; quæque jurisperiti nequaquam formidarent. Negotium istud ipsis est tanti momenti, ut commotio in ipsorum cerebro inde orta ad vestigia remota quæ nullam ad id habent relationem transmittatur. Res eodem modo se habet de scrupulosis; causas timoris & sollicitudinis gratis sibi fingunt. Et cum voluntatem Dei in sacrâ scripturâ examinare, eosque quibus quibus integra est imaginatio consulere deberent, ad legem imaginariam ipsorum cerebro motibus inordinatis inscriptam indefinenter attendunt. Et quamvis debilitatis suæ intus convincantur, Deumque ab ipsis quædam officia quæ ipsi sibi præscribunt non exigere certò sciant, cum ista a vero Dei cultu eos avertant; non possunt tamen quin imaginationem suam menti anreponant, ac quibusdam sensationibus confusis, quibus terrentur & in errorem injiciuntur, potiùs cedant quàm evidentie rationis quæ ipsos firmat & in veram salutis viam revocat.

Multùm sæpe virtutis & charitatis occurrit in iis qui scrupulis quibusdam detinentur: at in iis qui superstitionibus addicti sunt, quique  
totam



totam pietatem in ritibus Judaicis & Pharisaicis collocant, charitas & virtus longè rarior est. Deus in spiritu & veritate adorari vult, ficto atque ad pietatem composito vultu externisque officiis contentus non est, nec coram ipso genua flectere, ipsiusque laudes nescio quo labiorum murmure, a quo cor alienum est, dicere sufficit. Homines hísce externis symbolis ideo tantùm contenti sunt quia cor scrutari nequeunt: Ipsi enim homines in spiritu & veritate adorari vellent. Deus igitur mentem nostram & cor expetit. Utrumque fecit propter se, & propter se duntaxat utrumque conservat. Sed multi Deo res in quas summum jus habet perperam audent eripere. In corde ipsorum idola sunt, quæ in spiritu & veritate adorant, & quibus se totos devotent. Sed quia verum numen ipsis in intimâ conscientiâ æternos minatur cruciatus ob infandum ipsorum ingrati animi crimen, nec tamen ab idololatriâ suâ desistere volunt, bona quædam opera externè tantùm patrare decernunt; jejunant aliorum more, eleemofynas erogant, preces fundunt, ac in ejusmodi exercitiis aliquandiu persistunt; quia verò hæc omnia iis molesta videntur quibus charitas deest, ab iis plerumque desistunt, ut quibusdam minutis ritibus aut facilibus *devotionis* actionibus sese dedant, quæ cum philautiâ consonantes totam Ethicam Christianam necessariò quamvis sensim evertunt. Hæc traditiones humanas quas perutiles esse ab hominibus imperitis acceperunt, quasque terribilis æternitatis idea ipsis indefinenter ingerit, acriter tuentur utpote ad salutem planè necessarias.

De Justis res secus se habet, ipsi etiam Dei sui minas, quemadmodum & impii, intus exaudiunt. Sed affectuum tumultus non impedit quominus ipsius consilia percipere queant. Falsis traditionum humanarum splendoribus ita non perstringuntur ut lumen veritatis non sentiant: Jesu Christi promissis fidunt, ipsiusque consilia sequuntur; quippe qui persuasum habeant promissa hominum non secus ac ipsorum consilia vana esse. Nihilominus tamen timor ille æternitatis ideâ ipsorum menti incussus eorum imaginationem nonnunquam tantopere commovet, ut hæc traditiones omnino damnare non audeant, easque sæpe exemplo suo approbent, quia scilicet, *aliqua* in istarum traditionum *superstitione & falsâ humilitate apparet sapientiæ species*, ut in traditionibus illis Pharisaicis, de quibus Paulus.

At vero quod hic præcipuè animadvertendum venit, quòdque non tam morum pravitatem quàm mentis perturbationem sapit, hoc est: timor, scilicet, ille de quo jam supra, fidem æquè ac zelum eorum qui illo timore semel perculsi fuerunt ad res etiam falsas ac Religionis nostræ sanctitate indignas sæpe extendit. Multi sunt qui credant, sed fide immotâ & pertinaci, terram in centro mundi immobilem stare, bruta realem sentire dolorem; qualitates sensibiles in ipsis rebus objectis diffusas; formas dari aut accidentia realiter distincta

a ma-



a materiâ , cum multis aliis opinionibus falsis aut incertis , quia eas negando fidei se adversari existimaverunt ; Scripturæ sacræ formulis loquendi terrentur , quæ ut ab omnibus intelligi possit familiariter loquitur , ac ideo phrasibus apud vulgus usitatis utitur Physicam nos docere non sollicita. Non modò spiritûs sancti dogmatibus & præceptis , verùm etiam Judæorum opinionibus fidem adhibent. Nec animadvertunt Josuam , exempli gratiâ , milites suos alloquutum fuisse , ut ipse Copernicus , Galilæus , & Cartesius vulgus hominum alloquerentur. Certè licèt Josua in eâdem ac isti Philosophi fuisset sententiâ , terram stare nequaquam jussisset ; quia scilicet ejusmodi verbis inusitatis miraculum a Deo in populi gratiam editum exercitui patefacere non potuisset. Qui solem immotum esse credunt , nonne , dum famulos , amicos , ac eos etiam qui in eâdem cum ipsis sunt sententiâ familiariter alloquuntur , solem oriri aut occidere dicunt. An , dum de philosophando non agitur , sermone incognito & non vulgari uterentur ? Præterea an ipse Josue perfectè callebat Astronomiam ? aut si istius scientiæ peritus esset , an ipsius milites perinde ? aut si ipse & milites Astronomiæ periti erant , quis dicat ipsos philosophari voluisse , dùm decertare duntaxat animo sedebat ? Josua igitur ut loquutus est loqui debuit , etiamsi ipse cum militibus easdem habuisset opiniones quas nunc habent celeberrimi inter Astronomos. Istius tamen inclyti Ducis verba , *Siste Sol prope Gabaon* , & quod sequitur , solem scilicet ad ipsius imperium stetitisse , eò multos adducunt ut credant hypothefin quâ mobilitas terræ stabilitur non modò periculosam , sed etiam ita hæreticam esse ut sine fidei dispendio defendi nequeat , nonnullos nimirum viros pietate graves & venerabiles sanè hanc opinionem damnare audiverunt , quid doctissimo sæculi nostri Astronomo circa id rei contigerit confusè norunt ; atque id sufficit ut fidem ad opinionem istam usque extendi pertinaciter credant : sensus quidam confusus motu quodam timoris , quem ipsi non percipiunt excitatus & sustentatus ipsos in suspensionem injicit adversus eos qui rationem in rebus quæ rationis sunt sequuntur. Illos tanquam hæreticos habent , nec sine sollicitudine & mentis anxietate ipsos audiunt loquentes. Ac ejusmodi arcanæ formidines eorum menti eandem inspirant venerationem & summisionem erga istas opiniones vulgares , & erga multas alias merè Philosophicas , ac erga veritates fidei.



## CAPUT XIII.

I. De tertiâ propensione naturali, nempe de amicitia quâ ceteros homines prosequimur. II. Ista propensio eò nos fert ut amicorum nostrorum cogitationes probemus, eosque falsis laudibus decipiamus.

I. De tertiâ inclinatione naturali, quæ est amicitia, quâ ceteros homines prosequimur. **E**X omnibus inclinationibus in genere, & eo sensu quo primo capite explicui, sumptis, illa duntaxat superest quâ versùs illos quibuscum vivimus, & versùs omnia quibus circumcingimur, propendimus. Sed de illâ inclinatione seu propensione pauca duntaxat dicam, quia id Ethicam & Politicam potius spectat quàm institutum nostrum. Quoniam ista propensio cum animi affectibus semper conjuncta est, factius forsan foret illam in librum sequentem transmittere: Verùm ordo hac in re non est tanti momenti.

Ut istius inclinationis naturalis causam & effectus clarè intelligere possimus; tenendum est Deum omnia opera sua amare, illaque inter se arcè conjungere ut sese mutuò confervent. Cùm enim opera sua indefinenter amet, quippe quæ amore ipsius producantur, amorem etiam erga opera sua cordi nostro indefinenter imprimit, cùm amorem ipsius amori similem in corde nostro indefinenter excitet. Ne autem amor naturalis quo nosmet ipsos prosequimur destruat aut nimis debilitet amorem quo erga ea quæ sunt extra nos tenemur, utque contrà duo isti amores quos Deus nobis indit sese mutuò foveant & corroborent; Deus cum rebus quibus circumcingimur ac præcipuè cum entibus ejusdem speciei tam firmo vinculo nos conjunxit, ut ipsorum malis naturaliter contristemur, ob ipsorum gaudia ipsi etiam gaudio afficiamur, ac eorum elevatione aut demissione nos etiam elevari aut deprimi videamur. Novæ cognatorum & amicorum dignitates, nova bona quæ ii adquisiverunt qui ad nos proximè attinent, bello parta & victoriæ a Principe nostro reportatæ, immo terræ in orbe novo recens cognitæ substantiæ nostræ aliquid addere videntur. Quoniam enim cum his omnibus vinculo quodam conjuncti sumus, illorum magnitudine & progressu gaudemus: Istum mundum infinitum esse vellemus, ac istorum Philosphorum, qui opera Dei nullis circumscribi limitibus censent, cogitatio non modò digna Deo, verùm etiam homini, cui nihil pulchrius videtur quàm infiniti partem facere, gratissima est: quia utut in se ipso parvus sit, se tamen veluti infinitum evadere censet, sese per entia infinita sibi circumjacentia diffundendo.

Non



Non est quidem admodum arcta nostra conjunctio cum omnibus corporibus quæ per ingentia hæc spatiavolvuntur, ac proinde plerisque homines fugit: nec desunt qui ea quæ in cœlis reteguntur ita negligunt, ut iis ipsos naturâ nequaquam conjungi meritò credas, nisi aliunde notum foret istam negligentiam vel ex ignorantia oriri vel ex eo quod aliis rebus nimis adhærescunt.

Mens, quamvis corpori suo conjuncta, omnes tamen qui in eo excitantur motus non semper percipit, aut si eos percipiat, ad eos semper non attendit. Cum affectus quo agitur sæpe vehementior sit sensatione quâ afficitur, rebus quæ ipsius affectum movent magis adhærere videtur quàm corpori suo. Namque per affectus præsertim mens in externa sese diffundit, & se reapse cum iis omnibus quibus circumdatur colligari sentit. Non secus ac præcipuè sensationis ope per corpus diffunditur & agnoscit se conjunctam esse omnibus ipsius partibus. Sed quemadmodum ex eo quòd quis aliquo affectu vehementer percitus sese ultro morti objiceret vitæ suæ prodigus, inferri legitime non posset ipsius mentem corpori non conjunctam esse; ita arbitrandum non est nos naturâ omnibus non adhærere, quia quædam sunt quæ negligere videmur.

Ut, exempli gratiâ, cognoscas an homines Principi suo & patriæ adhæreant, ii examinandi sunt qui res eorum norunt, quique nullis privatis negotiis detinentur: tum comperies quanto ardore quid novi afferatur disquisituri sint, quam sollicitè de præliorum eventu percontaturi, quàm alacriter audituri victorias de hostibus reportatas, quantâ verò mœstitiâ clades acceptas. Tunc homines cum Principibus suis & Patriâ strictè colligari clarè intelliges.

Pariter, ut cognoscas an homines Sinarum & Japoniæ regnis, Planetis & stellis fixis aliquo vinculo connectantur; oculos conjice in eos qui in patriâ & familiâ suâ altâ fruuntur pace, nullis agitentur affectibus sibi peculiaribus, quique conjunctionem quâ cum rebus nobis cœlo propioribus conjuncti sunt actu non sentiant; atque agnosces eos, si naturæ & magnitudinis istorum astrorum periti sint, non sine gaudio audituros esse quædam recens resecta fuisse; ea cum voluptate incredibili contemplabuntur, sique satis Astronomiæ periti sint, eorum motus observare & dimetiri cum summo labore non dubitabunt.

Qui multis implicantur negotiis, an Cometes appareat, an verò sit Eclipsis, parum solliciti sunt: qui verò a rebus sibi proximis tantopere non dependent, ad ejusmodi eventus attentissimi sunt. Quia reipsa nihil est cui aliquo vinculo non adhæreamus, licet conjunctionem illam semper non sentiamus; quemadmodum semper non sentimus mentem nostram conjunctam esse, non modò brachio aut manui, verum etiam cordi & cerebro.

Arctissima connexio naturalis quam Deus inter nos & opera sua instituerit, ea est quâ cum hominibus quibuscum degimus colligamur. Il-



los non fecus ac nosmet ipsos amare Deus nos iussit, utque amor ex liberâ voluntatis electione natus tenax sit & perennis, illum Deus fovet & corroborat amore naturali quem nobis imprimi. Quocirca quædam nobis indidit vincula invisibilia quibus ad eos amandos necessariò adigimur. Ita ut eorundem vinculorum ope ipsorum conservacioni non fecus ac nostræ consulamus: ipsos habeamus ut partes essentialis totius quod componimus, ac sine quo subsistere nequimus.

Istis convenientiis naturalibus, quæ inter inclinationes hominum, inter ipsorum corporis motus, & inter istas inclinationes istosque motus ad se invicem occurrunt mirabilius nihil est. Arcana illa concatenatio miraculum est omni admiratione majus, quòdque nemo unquam mente assequi poterit. Ad sensum alicujus doloris subitò nati, quemque propriis viribus superare non possemus, ingentem, exempli gratiâ, clamorem edimus. Clamor sæpe ex improvísò & solâ machinæ dispositione ortus aures eorum pervadit qui in tantâ non sunt distantia ut auxilium tum temporis necessarium præbere non possint; ipsos, cuiuscunque tandem sint gentis aut conditionis, penetrat & attentos efficit; namque ejusmodi clamor omnibus linguis & conditionibus communis esse debet, & actu est. Cerebrum agitat, totamque uno momento eorum qui isto clamore percussi sunt corporis dispositionem immutat. Immo ad auxilium ferendum vel incogitantes inducit. At verò non diu durat iste clamor quin agat in ipsorum mentem, ipsisque desiderium inspiret opis ei ferendæ qui prece istâ naturali usus est. Dummodo tamen supplicatio ista naturalis, seu potius urgens illud imperium sit justum & societatis legibus conforme. Nam clamor temerarius, gratis & ex vano terrore ortus, indignationem & ludibrium pro misericordiâ apud adstantes parit, quia qui sine causâ clamat, rebus a naturâ ad nostrâ conservacionem institutis abutitur. Clamor iste temerarius aversationem naturaliter gignit, & compellit ad ulciscendam injuriam naturæ, hoc est, rerum ordini factam, si saltem de industriâ editus fuerit: sed nihil præter *risum* commiseratione aliquâ admixtum movere debet, sine aversatione ac sine vindictæ desiderio, si clamor ille a quopiam vano terrore & falsâ periculi specie percusso editus fuerit; ut enim a terrore liberetur, & in posterum a clamando sine causâ desuescat, *ridendus* est; sed misericordiâ opus est, ut ipsi quatenus infirmo succurratur, nihil ordini magis consentaneum concipi potest.

Hic quænam organa, quæve convenientias author naturæ in hominum & cæterorum animalium cerebro posuerit ad fovendam concordiam, & conjunctionem ad ipsorum conservacionem necessariam nullo exemplo explicare aggredior; quædam tantum super hisce organis animadvertere contentus, ut alii postea sedulò meditentur & scrutentur, non quomodo organa illa moveantur, nec quomodo ipsorum motus per aërem, per lucem, & per omnia corpuscula quæ nos circumdant,

com--



communicentur; id enim captum ferè superat, nec necessarium est; sed saltem ut illorum organorum effectus noscantur, variis observationibus vincula quibus mutuo colligamur cognosci possunt; sed quo pacto hæc omnia fiunt, illud demum est quod accuratè sciri nequit. Horologium horas indicare nullo negotio percipimus, sed tempore opus est ut scire valeamus quibus id fiat rationibus: jam verò tot varia sunt organa in cerebro minimi animalium, ut in machinis arte factis & maximo partium numero constantibus nihil simile reperiatur.

Si organa machinæ nostræ omnino nosci nequeant, nulla etiam est ea accuratè cognoscendi absoluta necessitas; at verò ut rectum observetur vitæ regimen effectus quos in nobis edere valent perfectè cognoscere necesse est. Quomodo horologium compactum sit, ut illo uti possimus, tenere necesse non est; sed ut illius ope tempus nostrum metiri queamus, illud horas indicare necessariò saltem cognoscere debemus. Attamen sunt homines ad meditationem adeo inepti, ut illos machinis sensu destitutis haud immeritò similes esse dixeris. Apud se ipsos nequaquam sentiunt organa moveri, ad rerum objectarum præsentiam sæpe agitantur, dum vix motuum suorum conscii sunt; servi sunt, nec sentiunt vincula. Innumeris denique variis rationibus ducuntur, quamvis manum quâ reguntur non noscant, putant se omnium motuum quibus percelluntur auctores esse: Nec quod in ipsis actu libero voluntatis suæ ab eo quod corporum adjacentium impressione agitur distinguentes, arbitrantur se proprios sui duces esse, eodem ipso tempore quo ab alio ducuntur. Sed istorum explicandorum hîc non est locus.

Convenientiæ quas Author naturæ inter inclinationes nostras naturales instituit, ut mutuo inter nos vinculo colligaremur, attentione & scrutationibus nostris digniores videntur iis quæ inter corpora, aut inter spiritus relatè ad corpora dantur. Omnia enim ita ordinata fuere, ut inclinationes quæ societati maximè repugnare videntur ipsi tamen utiliores sint, dummodo sint temperatæ.

Cupiditas, exempli gratiâ, quâ cuncti homines flagrant dignitates possidendi, tendit per se ad societatis destructionem. Nihilominus cupiditas illa ordine naturæ ita temperatur ut Reipublicæ longè utilior sit multis aliis inclinationibus magis moderatis. Etenim, æmulationem movet, ad virtutem incitat, & eorum animum qui de Patriâ bene merentur sustentat; nec tot reportarentur victoriæ, nisi milites ac præcipuè duces ad gloriam & munia collimarent. Itaque singula exercitûs membra, dum sibimet ipsis tantum consulunt, bono tamen Patriæ conferunt: unde patet publicæ utilitatis esse omnes homines occulto gloriæ desiderio moveri, dummodo desiderium illud sit temperatum.

Verùm, si singuli privati mentem suam sincerè aperirent, si coram aliis se ad id tendere ut corporis cujus sunt membra præcipuæ partes fiant, nec ultimum unquam locum obtinere velle ingenuè profiterentur, hoc pacto societatem nunquam inirent. Omnia ejusdem corporis membra



non possunt caput & cor esse; in eo etiam pedes, manus, magni non secus ac parvi, qui obediant non secus ac qui imperent esse debent, si unusquisque se semper dominari, nunquam verò obedire velle palam diceret, ut id unusquisque optat naturâ suâ, omnia corpora politica hoc pacto interirent, confusio & injustitia ubique grassarentur.

Neceffe igitur fuit eos qui ingenio perspicaciori præditi sunt, qui ad id aptiores nati sunt ut nobiliores hujusce corporis partes essent, cæterisque imperarent, naturâ urbanos & comes esse. Hoc est, inclinatione quadam occultâ ad id ferri, ut in verbis & agendi rationibus comitatem & urbanitatem præ se ferentes aliis testarentur se omni existimatione indignos esse, ac tenuitatis conscios in eâ esse opinione ut se infirmum inter homines locum occupare credant; Eos verò quos alloquuntur quibuslibet honoribus dignos esse, ac eos se maximâ existimatione & veneratione colere. Denique, deficiente charitate & ordinis amore, necesse fuit superiores artem inferiores fallendi callere fictâ animi demissione in solâ specie externâ, in verbis scilicet duntaxat positâ; ut istâ quæ in omnibus societatibus civilibus necessaria est præcellentiâ sine invidiâ frui possent. Quippe hoc pacto, cuncti homines gloriam quam cupiunt aliquatenus possident. Magnates realiter, \* parvi verò & tenues imaginariè; scilicet aliorum blandimentis decepti, se pluris æstimari quam fert ipsorum conditio, hoc est se non in infimo ordine collocari, sibi persuadent.

\* Secun-  
dum homi-  
nem lo-  
quor; nam  
vera hujus-  
ce mundi  
magnitudo  
a solâ ima-  
ginatione  
pendet.

Hinc obiter colligere est eos qui de se sæpe loquuntur, præcipuè si id quod de se dicunt aliquâ laude dignum sit, adversus urbanitatem vehementer peccare, licet quibuslibet animi virtutibus reapse forent præditi, quoniam non licet cum iis quorum colloquio uteris ita agere quasi essent infra te positi, nisi in quibusdam casibus, ubi, exempli gratiâ, notis quibusdam externis & sensibilibus supra illos emines. Etenim contemptus injuriarum est atrocissima: illo præcipuè societatis vinculum rumpitur; nec est quòd speremus fore ut homo cui notum esse potuit se a nobis tanquam inferiorem haberi possit unquam societatem nobiscum jungere, quia homines ferre nequeunt se haberi ultimam corporis quod constituunt partem.

Ista igitur innata hominibus inclinatio utendi verborum lenociniis propensionem quâ ad gloriam feruntur maximè cohibet, & aptissima est ad leniendum dolorem internum quo ii afficiuntur qui ultimas constituunt corporis politici partes. Nec dubium est quin ambæ istæ inclinationes, altera scilicet quâ ad blandimenta, altera verò quâ ad gloriam propendemus, simul junctæ ad societatem fovendam sint utilissimæ.

Verùm in hisce inclinationibus non secus ac in amicitia, misericordia, benevolentia & cæteris quæ hominibus inter se invicem colligandis inserviunt incredibilis est corruptio. Quod societatem civilem fovere deberet ad ipsius exitium sæpe plurimum confert; ac, ne ab argumento recedam,



recedam, id errori stabiliendo & propagando infervit.

Inter omnes inclinationes ad societatem necessarias, amicitia, favor, grati animi motus, & illæ omnes quibus ad id adducimur ut amicis etiam præsentibus nimias laudes tribuamus, nos maximè in errorem injiciunt.

Amorem nostrum in solis amicis non terminamus, ea omnia etiam amamus quæ ad illos aliquatenus pertinent; & quia opinionum suarum ut plurimum sunt acerrimi vindices, eò nos sensim flectunt ut ipsis credamus, ipsorumque opiniones approbemus, illasque pertinaciùs & vehementiùs sæpe tueamur quàm ipsi tuentur. Quia si opiniones suas nimio impetu defenderent, id ipsos sæpe non deceret. Cùm contrà nemo possit vitio vertere si nos ipsas tutemur; in ipsis id philautiæ, in nobis verò generositati imputatur.

II.  
Ista inclinatio ad id nos fert ut amicorum cogitationes probemus, ipsosque falsis decipiamus laudibus.

Cæteros homines amore complectimur pluribus de causis, nobis placere & utiles esse multifariam possunt. Ingeniorum, affectuum, & negotiorum conformitate, ipsorum specie externâ, agendi rationibus, virtutibus, bonis, amore & existimatione quâ nos prosequuntur, officiis quæ ab ipsis accepimus, aut speramus, & multis aliis causis specialibus ad ipsos amandos determinamur. Si igitur contingat ut quis inter amicos nostros, hoc est, qui iisdem ac nos moveamur affectibus, qui sit eleganti corporis formâ, qui facundè & scitè animi sensa exprimat, quem virtute ornatum, vel summo loco ortum credamus, qui amorem & existimationem nobis testetur, qui bene de nobis meritis sit, aut cujus opem aliquâ in re speremus, aut quem denique ob aliquam aliam causam amemus; si, inquam, contingat ut homo ille aliquam proferat propositionem, illam statim, ratione ad examen nequaquam adhibitâ, haurimus. Ipsius opinionem, an sit vera necne securi, immo sæpe reluctante conscientia, pro obscuritate & confusione mentis nostræ, pro cordis nostri corruptione, & pro utilitate quam ex falsâ generositate nostrâ speramus, defendimus.

Hujusce rei exempla sigillatim asserre foret inutile; nemo enim unquam per unicam horam alicui cætui potest interesse, quin multa ipse experiatur, si saltem attendere velit. Veritati rarò plauditur, sed iis sæpe qui amorem adstantium sibi conciliaverunt. Qui loquitur comis est & urbanus; ergo bene ratiocinatus est; sufficit id quod dicit esse duntaxat verisimile, ut verum habeatur. At si quæ protulit sint ridicula & absurda, saltem ipsis tribuetur verisimilitudo. Is homo me amat, me magni facit, mihi multa præstitit officia, & nunc præstare potest, alias opiniones meas defendit, ingrati animi & imprudentiæ crimen a me non declinarem si ipsius jam opinionibus obluçtarem, imo non assentirer. Sic veritati illuditur, ipsam nostris affectibus subjicimus, & falsas hominum opiniones mutuâ indulgentiâ amplectimur.

Vir probus succensere non debet quum docetur & eruditur, dummodo juxta urbanitatis leges id fiat; & cùm amici agrè ferunt se de erroribus.



erroribus suis modestè a nobis moneri, tum sibi ipsis & erroribus suis permittendi sunt, cum id velint, cumque nihil ipsis imperare, nec ipsorum mentem mutare possimus.

Sed verus amicus errores amici probare nunquam debet. Etenim ad id esset attendendum, nos scilicet iis magnopere officere, dum ipsorum opiniones temerariè defendimus. Elogiis nostris cor ipsorum intumescit, & errores mentis roborantur. Eò deveniunt ut respiscere nequeant; ac denique agunt & decidunt non secus ac si se supra errorem extulissent.

Unde, quæso, fit ut dirissimi, potentissimi, nobilissimi, ac ii omnes in genere qui supra cæteros eminent sibi videantur erroris incapaces, & eodem se gerant modo ac si inferioribus essent sapientiores, nisi quia ipsorum cogitationes indiscriminatim & serviliter probantur? Ita assensus quem præbemus amicis illos eò sensim adducit ut credant se præstantiori cæteris pollere ingenio. Quo pacto superbi, audaces, imprudentes, & in crassissimos errores proni fiunt, nec id animadvertunt.

Hanc ob causam inimici nostri sæpe nobis utiliores sunt, ac mentem magis erudiunt suis oppositionibus, quàm amici suis approbationibus. Quia inimici nostri ad id nos adigunt ut nobis ipsis præcaveamus, rebusque quas in medium proferimus attendamus; quod sufficit ut errores agnoscamus. At amici nostri nos falsà sopiunt confidentiâ, quâ vani & ignari efficimur. Homines igitur amicos suos admirari, ipsorum sententias amplecti præ amicitiam nunquam debent, quemadmodum inimicis præ inimicitiam ipsis adversari æquum non est. Sed spiritum adulationis aut contradictionis exuere debent ut sinceritatem profiteantur, utque evidentiam & veritatem, ubi ubi sit, approbent.

Id etiam altâ mente repostum manere debet, scilicet, plerosque ad adulationem & lenocinia pronos esse inclinatione quadam naturali, sive ut ingenio præditi videantur, sive ut benevolentiam captent, sive ut ipsis par referatur, sive denique malignitatis & derisus animo. Nec iis omnibus quæ nobis dici possunt tutum est fidem incautam adhibere. Nonne videmus quotidie homines sibi invicem ignotos, sese mutuò laudibus ad astra evehere, etiam quum primâ vice colloquuntur? Quotidie videas oratorem qui concionem habuerit laudibus hyperbolicis extolli, & cum admirationis indicis ab eodem excipi, qui mox eum exhibilaverat, ac coram iisdem subfannationem testibus. Quotiescunque quis exclamat, præ admiratione pallefcit, ac veluti attonitus hæret, is qui loquitur mira se dicere ideo inferre non debet; sed potius se coram adulatoribus loqui, se ab amicis temerariò laudari, aut ab inimicis malignè rideri. Vel forsan, admirationem sibi conciliat, quia eleganter & aptè ad persuadendum loquitur, quia dives est vel autoritate pollet, vel si mavis, ex eo oritur approbatio, quod ea quæ profert notionibus sensuum confusis & obscuris, sed vividis & jucundissimis nitantur, aut quia imaginationis igniculis micat, cum laudes amicitiae, divitiis, dignitatibus, verisimilitudinibus, sed rarò veritati tribuantur.

Aliquis



Aliquis fortè sperabit me , examinatis in genere inclinationibus mentis , ad singularem transiturum esse explicationem omnium motuum specialium quibus afficiuntur mentes ad boni & mali præsentiam , hoc est , me naturam amoris , odii , gaudii , tristitiæ , & omnium affectuum intellectualium tam generalium quàm specialium , tam simplicium quàm complexorum explicaturum. Sed varios quibus mentes agitari possunt motus explicare mihi non propositum est.

Observari duntaxat velim quæcunque hæctenus de Inquisitione Veritatis scripsi eâ mente à me scripta fuisse , ut homines debilitatis & ignorantia suâ convincerem ; utque ipsos docerem quantopere errori & peccato omnes obnoxii simus. Id jam dictum repeto iterum atque iterum ; forsan memoriæ mandabitur : de mentis naturâ accuratè & penitus agendi nunquam fuit animus. De eâ tamen aliquid perstringere oportuit , ut errores in principio suo , ordine & clarè possem explicare. Ac si limites mihi initio præscriptos sum transgressus , id ex eo ortum est quòd nova quædam mentem subierint , quæ non levis esse momenti mihi videbantur , quæque non sine voluptate lectum iri arbitrabar. Mea forsan me fefellit opinio , nisi tamen rem sic credidissèm vix id a me obtinere possem ut ea scriberem. Quis enim loquatur nisi attentionem ab auditoribus speret ? Multa quidem dixi quæ ad institutum minùs facere videntur quàm specialis motuum mentis tractatio ; id non diffiteor ; sed dum ordinem mihi præscribo , frænum ingenio injici nolo. Ordinem mihi præscribo qui me regat , sed id mihi semper concedi volo ut iter faciendo caput identidem deflectam , si quid occurrat memorabile. Immo a viâ nonnunquam fecedere mihi licet ut & quiescam modò nunquam aberrem. Qui mecum quiescere nolunt in itinere possunt pergere ; per me licet : vertant folium , si lubet ; at si diverticula mea ægrè ferant , meminerint tamen , non paucos esse qui locis in quibus requiesco recreati , alacriùs reliquo itinere desunguntur.





D E

# INQUISITIONE VERITATIS.

LIBER QUINTUS.

DE AFFECTIBUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De naturâ & origine affectuum in genere.*

**M**ENS humana duas habet relationes essentielles aut necessarias admodum diversas, alteram ad Deum, alteram ad corpus suum. Quatenus mens pura, Verbo Divino, sapientiæ & veritati æternæ essentialiter colligatur; hac enim solâ conjunctione cogitationis est capax; ut Libro tertio explanatum fuit. Quatenus mens humana, relationem habet necessariam ad corpus suum; nam quia ipsi colligatur corpori, sentit & imaginatur, ut primo & secundo Libro demonstratum fuit. Mens nomine *sensûs* aut *imaginationis* indigitatur, quum corpus ipsius cogitationum causa est naturalis & occasionalis; Et eadem mens *intellectûs* nomine designatur, quum agit per seipsam; seu potius quum Deus agit in ipsâ, quumque lumen divinum ipsi affulget sine ullâ relatione necessariâ ad ea quæ in corpore aguntur.

De voluntate res eodem planè modo se habet. Quatenus voluntas, ab amore quo Deus seipsum complectitur, a lege æternâ, uno verbo



a voluntate Dei essentialiter pendet. Aliquid amamus, duntaxat quia Deus seipsum amat; ac nisi Deus seipsum amaret, aut nisi in mente humanâ amorem suo similem, hoc est, motum illum amoris quo erga bonum in genere afficimur, indefinenter imprimeret, nihil amaremus, nihil vellemus, ac ideo sine voluntate essemus; cum voluntas nihil aliud sit quàm impressio naturæ, quâ versùs bonum in genere ferimur, ut multoties jam dictum est. Primo libro.

Sed voluntas, quatenus voluntas hominis, a corpore essentialiter pendet; nam propter solos sanguinis & spirituum motus, commotionibus sensibilibus agitur. Igitur, *inclinationes naturales* nuncupavi, omnes mentis motus nobiscum puris intelligentiis communes, & Libro præcedenti nonnullos explicavi ex iis qui corpus valde afficiunt, quamvis illorum causa & finis non sit nisi indirectè: Hic verò *affectus* \* voco, omnes commotiones quibus mens agitur occasione motuum extraordinariorum spirituum & sanguinis. De ejusmodi commotionibus sensibilibus hoc Libro agetur. \* Gall. Passions.

Licet affectus ab inclinationibus separari nequeant, nec homines alicujus amoris aut alicujus odii sensibilis sint capaces, nisi quia amoris & odii spiritualis capaces sunt, illos tamen seorsim tractandos esse diximus, ordinis ergo. Qui affectus multò vehementiores & vividiores esse inclinationibus naturalibus, illosque ut plurimum in alia ferri, ac semper produci ab aliis causis attenderit; is agnoscat me non immeritò separasse res naturâ suâ inseparabiles.

Homines sensationum & imaginationum non sunt capaces nisi quia purarum intellectuum sunt capaces, cum sensus & imaginatio a mente sint inseparabiles, nemo tamen est qui hæc facultates seorsim tractari non probet, quamvis naturâ suâ sint inseparabiles.

Denique sensus & imaginatio ab intellectu puro non magis differunt, quam affectus ab inclinationibus. Itaque has duas posteriores facultates separare oportuit, quemadmodum tres priores separare solemus. Ut melius discernere possimus quid mens ab Authore suo relatè ad corpus recipiat, ab eo quod habet ab illo sine ullâ relatione ad corpus.

Hoc solum ex istâ rerum naturâ suâ conjunctarum separatione oriatur incommodum, nempe, ut fieri solet in ejusmodi casibus, multa ex iis quæ jam diximus repetere cogemur.

Homo unus est quamvis constat ex multis partibus, atque istarum partium ita arcta est colligatio ut nullâ in parte possit tangi quin totus moveatur. Omnes ipsius facultates a se invicem ita dependent, & sibi ita adhærent, ut una explicari non possit quin de cæteris aliquid delibetur. Sic dum ordinem confusionis evitandæ gratiâ nobis præscribimus, multa repetendi incumbit necessitas, sed præstat repetere quàm confundere, quia claritati studendum est. Res commodius transigi nequit in hac repetendi necessitate quàm si ita repetamus ut repetitiones fastidium non creent.



Affectus animi sunt impressiones Authoris naturæ, quæ ad id nos ferunt ut corpus nostrum & quicquid ad ipsius conservationem utile esse potest amemus, non secus ac inclinationes naturales sunt impressiones authoris naturæ quibus ad ipsum amandum ut summum bonum præcipuè ferimur.

Causa naturalis vel occasionalis harum impressionum est motus spirituum animalium, qui per corpus diffunduntur, ut in eo dispositionem rei objectæ quæ percipitur congruam producant, & foveant, adeo ut mens & corpus sibi in hac occasione mutuam ferant opem. Hic enim ordo a Deo fuit institutus, ut voluntates nostras motus corporis ad illas executioni mandandas apti sequantur; utque motus corporis nostri alicujus rei objectæ præsentia in nobis mechanicè excitatos affectus animi comitetur, qui eò nos inflectat ut velimus ea quæ tunc sunt utilia corpori nostro. Hæc est impressio perpetua voluntatis Divinæ in nobis, quæ certæ cuidam portioni materiæ tam arctè colligamur; sique ista impressio voluntatis Divinæ per unicum cessaret momentum, ex illo ipso momento ab illâ liberaremur dependentiâ in quâ versamur ab omnibus quæ corpori nostro contingunt mutationibus.

Quippe satis assequi non possumus quomodo nonnulli autument esse connexionem omnino necessariam inter motus spirituum & sanguinis & commotiones mentis. Quædam bilis particulæ in cerebro vehementer moventur; ergo mentem aliquo affectu agitari, istumque affectum potius esse iram quàm amorem necesse est. Quænam concipi potest analogia inter ideam vitiorum inimici cujuscumque, inter contentus & odii affectum, & motum corporeum partium sanguinis qui in quasdam cerebri partes irrumpunt? Quis potest imaginari hos motus ab illis pendere; colligationemque duorum æquè diversorum & infociabilium, ac sunt mens & corpus, posse produci & foveri aliter quàm voluntate perpetuâ & omnipotenti authoris naturæ?

Qui corpora motum suum, ubi concurrunt, necessariò & per se se cum invicem communicare existimant, saltem aliquid verisimile cogitant. \* Etenim ista opinio aliquo fundamento niti videtur. Corpora cum corporibus essentialem analogiam habere videntur: sed mentes & corpora sunt duo genera entium adeo diversa, ut qui mentis commotiones cum motibus spirituum & sanguinis necessariò colligari arbitrantur, rem omni verisimilitudine destitutam cogitent. Certè solâ experientiâ quâ istius colligationis inter duo hæc entia apud nos conscii sumus, & solâ perpetuarum Dei operationum in res a se creatas ignorantia ad id ferimur, ut conjunctionem mentis cum corpore alii tribuamus causæ quàm voluntati Divinæ.

Decidere difficile est an convenientia illa seu connexio cogitationum mentis cum motibus corporis sit pœna peccati, an naturæ donum; nec desunt qui credant eos esse temerarios qui alterutram istarum opinionum eligunt. Nemo est qui nesciat hominem ante peccatum affectuum

\* Vide infra  
lib. 6. cap. 3.  
secund. part.  
Methodi.



ctuum suorum non fuisse servum sed dominum, agitationemque sanguinis quâ producuntur nullo negotio voluntate suâ fuisse. Sed ægrè crediderim corpus non sollicitasse mentem primi hominis ad eorum investigationem, quæ ad vitæ conservationem erant idonea. Haud facilè mihi persuaserim Adamum ante peccatum fructus visui jucundos & palato suaves non judicasse, saltem si scripturæ testimonio fidem adhibeam, nec possum ad id adduci ut credam \* œconomiam tam justam, tam admirabilem sensuum & affectuum ad corporis conservationem esse potius naturæ corruptionem quàm ipsius institutionem. \* Vid. cap. 5. lib. 1.

Natura quidem nunc est corrupta; id extra omne dubium est; corpus in mentem æquo vehementius agit, cum ipsi suas necessitates summissè repræsentare deberet; illam tyrannicè habet & Deo eripit cui insolubili vinculo colligari deberet; illamque ad rerum sensibilem, quæ ad conservationem suam utiles esse possunt, indagationem perpetuò appellit. Mens veluti materialis & terrestris peccato facta est. Analogia & colligatio essentialis quam cum Deo habebat interiit; scilicet Deus ab ipsâ secessit, ita tamen ut penitus illam non perdidit & annihilaverit. Ab illius absentia seu remotione qui ipsam in ordine conservabat innumeræ ortæ sunt inordinationes, atque ut a longiori arumnarum nostrarum enumeratione abstineam, hominem, ex quo lapsus est, in omnibus partibus suis corruptum esse fateor.

Verùm enim verò lapsus iste opus Dei non destruxit; Quod Deus primum homini dedit in eo semper agnoscitur; Et voluntas Dei immutabilis, quæ uniuscujusque rei naturam constituit, inconstantia & levitate voluntatis Adami non fuit immutata. Quicquid Deus voluit id vult adhuc; & quia voluntas ipsius est efficax, efficit quicquid vult: Peccatum hominis quidem occasio fuit illius voluntatis Divinæ quæ constituit ordinem gratiæ; sed gratia non est contraria naturæ. Altera non destruit alteram. Quia Deus secum non pugnat, ipsum nunquam pœnitet; & cum ipsius sapientia careat limitibus, opera ipsius sine etiam carebunt.

Igitur voluntas Dei quæ gratiæ ordinem efficit additur voluntati quæ efficit ordinem naturæ, ut eam reparet, non verò ut eam mutet. Nihil in Deo est præter duas illas voluntates generales: Et quicquid est benè ordinati in terris ab alterutrâ harum voluntatum pendet. Affectus optime ordinatos esse, si duntaxat considerentur relatè ad corpus, infrâ patebit, quamvis nos fallant in quibusdam casibus raris & peculiaribus, quibus causa universalis mederi noluit. Concludendum igitur est affectus esse ordinis naturæ, cum non possint esse ordinis gratiæ.

Si attendamus peccatum primi hominis nos auxilio Dei semper præfenti & ad nostrî defensionem semper parato privasse, dicere quidem possumus hoc sensu peccatum esse causam conjunctionis nostræ cum rebus sensibilibus, quia peccatum à Deo nos sejunxit, per quem solum a servitute possumus liberari.





Sed missâ inquisitione primæ Affectuum nostrorum causæ, illorum extensionem, naturam, finem, usum, vitia, & quicquid complectuntur, expendamus.

## C A P U T II.

*De conjunctione mentis cum rebus sensibilibus, vel de vi & extensione affectuum in genere.*

**Q**ui ad hujusce Operis lectionem sese accingunt, si iis quæ apud se ipsos sentiunt tantillum attendere vellent, non opus esset me ostendere nos ab omnibus rebus sensibilibus pendere. Hic nihil possum dicere quod omnes sibi notum esse non sentiant, dummodo attendere velint. Quapropter de iis nihil quicquam dicere enixè optarem. Sed cum experientiâ mihi constet homines sæpe ita supinè sui ipsorum oblivisci, ut ad ea quæ sentiunt nequidem animum advertant, utque eorum quæ in mente aguntur causam ne quærant quidem; haud abs re fore existimo si quædam hic prælibem quæ ipsos eò adducant ut ad ea animum advertant. Immo spero fore ut ii quibus ea quæ dicturus sum jam nota sunt hanc lectionem iniquo non ferant animo. Nam etiam si eorum quæ scimus solâ repetitione non delectemur, attamen ex auditu eorum quæ & scimus simul & sentimus aliquam voluptatem possumus percipere.

Tunc beatorum esse te judicatum tibi ex te gaudium omne nascetur; cum in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil invenieris, non dico quod malis, sed quod velis.

Spectatissima Philosophorum secta, cujus etiamnum hodie placitis non pauci gloriantur, eò nos vellet adducere ut crederemus felicitatem nostram penes nos esse. Stoici nobis perpetuò occinunt homines a seipsis solis pendere debere: honoris, bonorum, amicorum, cognatorum jacturam ægrè non esse ferendam; æquam semper servandam esse mentem, & ab omni sollicitudine vacuam, quicquid contingere possit. Exilium, injurias, probra, morbos, & mortem ipsam non esse mala, nec formidanda esse. Innumera denique nobis propinant ejusce commatis, quibus assensum non ægrè præbemus, tum quia præ superbiâ cordis nostri amamus a nemine pendere, tum quia ratio nos docet pleraque mala quibus reapse affligimur non posse nos dolore afficere, si omnia in ordine starent.

Sed Deus nobis corpus dedit & per illud corpus nos cum omnibus sensibilibus colligavit. Peccatum corpori isti nos mancipavit, & per corpus effecit ut ab omnibus sensibilibus penderemus. Hic est ordo naturæ, hæc est Creatoris voluntas, ut omnia entia quæ condidit inter se invicem connectantur. Sic nos omnibus rebus conjuncti sumus, & peccatum nos mancipavit omnibus entibus quibuscum Deus nos duntaxat colligaverat.

Itaque nemo nunc est qui non cohæreat & subjiciatur simul corpori, & per



per corpus Parentibus, amicis, civitati, Principi, patriæ, vestimento, ædibus, agro, equo, cani, toti telluri, soli, stellis, & omnibus cœlis.

Ridiculum ergo est hominibus dicere per ipsos stare ut sint felices, sapientes, liberi; ac ipsos monere ut ægrè non ferant amicorum aut bonorum jacturam, nihil aliud est quàm ipsos ridere. Quemadmodum ridiculum est homines monere ne sentiant dolorem dum vapulant, aut ne afficiantur voluptate dum fami cibo grato satisfaciunt. Ita dum Stoici nos hortantur ad molestè non ferendum patris obitum, bonorum jacturam, exilium, carcerem & similia, nec gaudere prospero rerum nostrarum successu, certè aut a ratione abluunt, aut nos rident. Nam Patriæ, bonis, cognatis, &c. conjuncti sumus conjunctione naturali, quæque nunc a voluntate nostrâ nequaquam pendet.

Fateor equidem rationem nos docere exilium a nobis tolerari debere sine mœstitiâ; sed eadem ratione docemur nos pati debere brachium nobis truncari sine dolore. Mens est supra corpus, & secundum rationis lumen ipsius felicitas aut infelicitas pendere non debet a corpore; verum experientiâ satis liquet res non se habere ut ratio nos docet eas esse debere, & adversus experientiam philosophari ridiculum est.

Christiani sic non philosophantur. Dolorem esse malum non negant; fatentur iis non sine dolore avelli quibuscum a naturâ fuimus colligati; & difficile esse sese a servitute liberare in quam peccatum nos conjecit. Mentem a corpore pendere contra ordinem esse agnoscunt, sed ipsam tamen ab eo pendere norunt, ita ut non possit liberari ab ipsius imperio nisi per gratiam Jesu Christi. *Sentio*, inquit Paulus, *legem in corpore meo adversus legem mentis mee luctantem, ac me legi peccati quæ est in membris meis mancipantem. Heu me miserum! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Filius Dei, Apostoli, & omnes veri ipsius discipuli patientiam ante omnia commendant, quia, scilicet, ei miseriam esse perpetiendam norunt qui voluerit vitam degere sanctam. Denique veri Christiani, aut veri Philosophi nihil proferunt quod rationi & experientiæ conforme non sit. Verum tota natura, Stoicorum opinioni aut superbiæ indefinenter resistit.

Christiani, ut sese a servitute suâ possint expedire, sibi in id incumbendum esse norunt, ut, scilicet, ab iis omnibus abstineant quibus sine voluptate potiri, & sine dolore carere nequeunt; hâc solâ ratione se pacem & libertatem, gratiâ liberatoris, sibi partam conservare posse compertum habent. Stoici contra falsas sequendo Philosophiæ suæ chimericæ ideas, sapientiam & felicitatem sibi arrogant, & ut sint virtute præditi & servitutis immunes, sufficere credunt si de virtute & summo sui dominio sæpe cogitent.

Ratione & experientiâ certò docemur nullâ potiori ratione nos posse vitare dolorem e punctione ortum quàm cavendo ne pungamur. Sed Stoici dicunt; punge modò, & animi mei fortitudine non secus



ac Philosophiæ auxilio me a corpore meo ita abstraham, ut quæ in illo agentur nullâ me afficiant sollicitudine; dolorem non esse malum ita certò scio ut demonstrationes non sint certiores, & externo oris habitu firmoque totius corporis situ, me comperies Philosophiâ meâ invulnerabilem evasisse.

Animus ipforum superbiâ firmatur: sed superbia non impedit quominus dolorem iniquo & sollicito ferant animo, & sint revera miseri. Itaque colligatio mentis cum corpore in ipsis non destruitur, nec ipforum dolor dissipatur; sed conjunctio ipforum cum cæteris hominibus, desiderio captandæ ipforum existimationis roborata, ipforum cum corpore colligationi aliquo modo resistit; nempe, visus sensibilis eorum a quibus spectantur & quibus cohærent spirituum cursum qui dolorem comitatur sistit, & in ipforum facie delet impressionem quam in eâ primùm dolor fecerat; nam si nemo eos intueretur, simulata illa animi constantiæ & libertatis species illico evanesceret. Itaque dum Stoici suæ cum corpore conjunctioni resistunt, cæteris hominibus quibuscum gloriæ desiderio colligantur sese eò magis manciant: omnes igitur homines rebus sensibilibus & naturâ & concupiscentiâ colligatos esse certò constat. Id experientiâ patet, quamvis ratio contrarium sentire videatur, & omnes penè hominum actiones id argumentis sensibilibus & invictis demonstrent.

Hæc colligatio quæ inter omnes homines in genere deprehenditur in omnibus tamen non æquè latè patet, nec eandem in omnibus habet vim. Namque cum mentis cognitionem sequatur, dicere possumus nos actu non conjunctos esse cum rebus objectis quas non cognoscimus. Rusticus in casâ gloriam Principis & Patriæ non participat, sed tantum gloriam vicii sui & circumjacentium, quia cognitio ipsius longiùs non extenditur.

1. Conjunctio cum rebus sensibilibus quæ a nobis visæ sunt firmior est quàm conjunctio cum iis quæ imaginatione tantum a nobis perceptæ fuerit, & de quibus aliquid duntaxat audivimus. Sensu rebus sensibilibus arctiùs jungimur. Nam sensus vestigia multò majora in cerebro format, & motum in mente excitat longè vehementiorem quàm simplex imaginatio.

2. Hæc conjunctio debilior est in iis qui illam indefinenter impugnant ut mentis bonis adhærescant, quàm in iis qui sese affectuum motibus permittunt & manciant. Nam illa conjunctio cupiditate augetur & roboratur.

Denique varia munera obeunda, variæ conditiones, non secus ac variæ ingenii dispositiones, ingentem efficiunt differentiam in conjunctione sensibili quâ homines bonis terræ adhærescunt. Magnates a pluribus pendent quàm cæteri, ipforum servitus latius patet. Exercitûs Imperator omnibus militibus suis colligatione aliquâ devincitur, quia ab omnibus militibus maximo colitur studio. In istâ servitute sæpe consistit ipsius generositas. Et cupiditas sibi conciliandæ existimationis apud eos omnes quorum oculos in se convertit eum sæpe ad id adigit



ut alia desideria magis sensibilia aut rationi consentanea huic postponat. Circa eos qui in potestate sunt constituti, vel gratiâ inter populares suos valent, res non secus se habet; eorum virtus ambitione sæpe sustentatur; quia amor gloriæ amori veritatis ut plurimum antecedit. Hic de amore gloriæ loquor, non ut de simplici inclinatione, sed ut de affectu; quia revera amor ille potest esse sensibilis, & cum spirituum commotionibus satis vividis & violentis sæpe conjunctus est.

Varia ætates & varii sexus sunt etiam causæ præcipuæ discriminis quod intercedit inter affectus hominum. Infantes eadem non amant quæ viri aut senes, aut ea saltem non amant æquè fortiter & constanter. Mulieres soli familiæ & vicinæ, sed viri toti patriæ adherent; ipsorum est eam tueri; egregia munera, dignitates, imperia adamant.

Tanta est in muneribus, & in variis hominum rebus atque conditionibus varietas, ut eam explicare nemo possit. Ingenium hominis conjugati eodem modo affectum non est ac calibis. Familiæ cura illum sæpe totum habet. Religiosi ordinis Sectatores mente & corde aliter dispositi sunt quàm mundani, & etiam quàm Ecclesiastici, cum paucioribus colligantur, sed iis fortius adherent; sic in genere possumus judicare de variis hominum statibus; sed varia vincula sensibilia in unoquoque individuo penè diversa explicari nequeunt, non rarò enim contingit ut homines quibusdam rebus peculiari quadam colligatione restringantur, quibus tamen, si ipsorum conditionem respicias, adstringi non deberent: sed quamvis varii virorum ac mulierum, senum & juvenum, divitum ac pauperum, doctorum & indoctorum, denique variorum sexuum, & variarum ætatum ingenii characteres possint in genere exprimi; hæc tamen iis qui in mundo vivunt, & ad ea quæ in eo vident tantillum attendunt, notiora sunt quàm ut iis hoc volumen augeatur. Qui hæc jucundè & solidè doceri cupient, aperiant duntaxat oculos. Qui verò hæc græcè legere malunt, quàm ex iis quæ oculis quotidie usurpant addiscere, secundum librum Rhetoricæ Aristotelis legere possunt. Istud ni fallor omnium hujusce Philosophi operum optimum est, quia ibi pauca dicit in quibus sit periculum errandi, & quia ea quæ profert probare rarò nititur.

Conjunctionem igitur illam sensibilem mentis hominum cum iis omnibus quæ ad ipsorum vitæ aut societatis cujus partem constituunt conservationem aliquam habent relationem, diversam esse in diversis hominibus manifestum est, quia, nempe, latius patet in iis qui plura cognoscunt, quibus est fors nobilior, qui munia obeunt graviora, quique imaginatione pollent fecundiori, & quia arctior & firmior est in iis qui sensibus magis addicti sunt, qui imaginationem habent vividiorum, quique affectuum motus cæco impetu sequuntur.

Ad modos quibus homines rebus sensibilibus colligantur propè infirmos



nitos sæpe attendere utilissimum est; nec potiori ratione horum idoneam cognitionem assequi possumus, quàm nosmet ipsos scrutando & accuratè explorando. Eorum experienciã quæ apud nosmet ipsos sentimus, omnes aliorum hominum inclinationes, & plerosque quibus obnoxii sunt affectus certò & accuratè cognoscere possumus. Si his experimentis adjungamus cognitionem variorum vinculorum peculiarium quibus quodammodo detinentur, & cognitionem judiciorum unicuique affectui peculiarium, de quibus infra sumus acturi, faciliori fortè negotio poterimus prævidere & prædicere ipsorum actiones, quàm astronomi Eclipses. Quamvis enim homines sint liberi, rarò tamen libertate suã utuntur, renitentibus ipsorum inclinationibus naturalibus & affectibus violentis.

Priusquàm huic capiti finem imponam necesse est præterea moneam hanc esse unam ex legibus conjunctionis mentis cum corpore, ut omnes inclinationes mentis, illæ etiam quibus fertur versùs bona quæ nullam ad corpus habent relationem, sint comitatæ commotionibus spirituum animalium, quæ illas inclinationes reddant sensibiles: quia cum homo non sit mens pura, fieri nequit ut ullam habeat inclinationem puram sine admisione alicujus affectûs vehementis aut temperari. Ita, amorem veritatis, justitiæ, virtutis, & Dei ipsius semper comitantur motus quidam spirituum, quibus amor ille sensibilis evadit, etsi id fiat modo impercepto, quia plerumque aliis sensationibus vividioribus afficimur, quemadmodum cognitionem rerum spiritualium semper comitantur quædam cerebri vestigia, quibus illa cognitio fit vividior, sed ut plurimum magis confusa. Sæpe quidem nos imaginari non cognoscimus, eodem tempore quo veritatem aliquam abstractam concipimus, atque hujusce rei ratio hæc est. Nempe, veritates illæ nullas habent imagines, seu nulla vestigia a naturâ in eum finem instituta, ut iis veritates illæ repræsententur; & omnia vestigia quæ illas in mente excitant nullam aliam cum iis relationem habent quàm relationem ab hominum arbitrio aut à casu fortuito pendentem. Nam Arithmetici, & ipsi Analytæ, qui nihil præter res abstractas contemplantur, imaginatione valde utuntur, ut mentem suam in ideis defigant. Notæ arithmeticæ, litteræ alphabeticæ, & aliæ figuræ quas videre aut imaginari possunt, semper alligantur ideis quas habent de rebus; quamvis vestigia quæ ex iis characteribus formantur nullam habeant ad ideas illas relationem, & eas proinde non reddant falsas aut confusas; unde fit ut notarum arithmeticarum & litterarum usu benè instituto veritates difficillimas, & sine his nunquam retegendas retegant.

Cum igitur ideæ rerum quæ percipi nequeunt nisi intellectu puro possint colligari cum vestigiis cerebri, cumque præsentia rerum objectarum quas amamus, odio habemus, timemus, inclinatione naturali possit conjungi cum motu spirituum; hinc manifestò patet æternitatis cogi-



cogitationem, inferorum formidinem, felicitatis aeternae spem, quamvis eae res sensus non afficiant, posse tamen in nobis excitare affectus vehementes.

Itaque nos modo sensibili non tantum cum rebus omnibus quae ad vitae conservationem referuntur, verum etiam cum rebus spiritualibus, quibuscum mens per se immediate conjungitur, colligari dicere possumus. Immo saepe fit ut Fides, Charitas, & philautia istam conjunctionem cum rebus spiritualibus reddant firmiorem eam quam omnibus sensibilibus adhærescimus. Verorum Martyrum mens Deo quam corpori suo arctius cohæret, & qui falsae Religionis, quam tamen veram existimant, tuendae causam moriuntur, satis ostendunt inferorum terrorem in eos vehementius agere mortis formidine. In bellis Religionis ergo susceptis & in superstitionum propugnatione tantus animorum æstus, tantaque pertinacia utrinque erumpit, ut in iis affectum inesse dubium non sit. Immo affectus ille caeteris longè vehementior & constantior est, quia rationis specie nititur, in iis qui falluntur non secus ac in aliis.

Igitur per affectus nostros iis omnibus cohæremus quae bonum aut malum mentis aequè ac iis quae bonum aut malum corporis esse nobis videntur. Nihil aliquam ad nos relationem habere cognoscimus quod nos agitare non possit. Jam autem rerum omnium quas cognoscimus nulla est quae ad nos aliquatenus non referatur. Veritatibus etiam maximè abstractis aliquo modo afficimur ubi eas cognoscimus, quoniam illa saltem inter eas & mentem nostram est relatio quod illas cognoscimus. Nostrae sunt, ut ita dicam, quia eas cognoscimus. Quum quis eas impugnat, lædimur, si autem lædimur, certè agitamur, & sollicitudine afficimur. Itaque affectuum imperium adeò latè patet, ut nihil quicquam concipi possit cujus respectu asserere possimus omnes homines ab isto affectuum imperio esse liberos. Sed jam videamus quænam sit illorum affectuum natura, & omnia quae in se includunt scrutemur.

---

### C A P U T III.

*Explicatio peculiaris omnium mutationum quæ menti & corpori a perturbationibus seu affectibus asseruntur.*

**S**eptem in unoquoque affectu possunt distinctè observari; si ab iis excipias admirationem, quæ revera non est affectus nisi admodum imperfectus.

Primum est iudicium ab intellectu latum de re objectâ, seu potius,



perceptio confusa vel distincta relationis quæ est inter rem aliquam objectam & nos.

Secundum est nova motus voluntatis determinatio versus illam rem objectam, posito quod bona sit vel saltem videatur. Ante illam perceptionem motus naturalis mentis aut erat indeterminatus, hoc est, versus bonum in genere ferebatur, aut cognitione aliûs alicujus rei objectæ specialis aliorum determinabatur. Sed statim atque mens percipit relationem istius novæ rei objectæ ad seipsam, motus ille generalis voluntatis illico determinatur modo mentis perceptioni consentaneo. Mens ad illam rem objectam amore suo accedit, ut illam degustet, & in eo bonum suum agnoscat, suavitatis sensu quem Author naturæ in ipsâ excitat ut remunerationem inclinationis ipsius versus bonum. Istam rem objectam bonam esse ratione quadam abstractâ, & quâ non afficiebatur, antea judicabat, nunc verò ipsius bonitatis convincitur sensationis efficacità; quò autem ista sensatio efficacior est eò arctius adhæret bono quod illam produxisse ipsi videtur.

At verò si peculiaris ista res objecta ut malum consideratur, vel ad id apta nata sit ut nos aliquo bono possit privare, nulla nova accedit voluntatis motui determinatio; sed solum augetur ipsius motus versus bonum oppositum rei objectæ quæ mala apparet, illud autem motus incrementum eò majus est, quò malum formidabilius videtur. Revera non odimus nisi quia amamus, & malum quod est extra nos malum non judicatur, nisi relatè ad bonum quo nos privat. Cùm itaque malum consideretur ut privatio boni, malum fugere nihil aliud est quàm fugere privationem boni, hoc est, tendere versus bonum. Nulla igitur nova in motu naturali voluntatis accedit determinatio ad præsentiam rei objectæ nobis displicentis, sed tantum sensus doloris, fastidii, aut amaritudinis quem author naturæ imprimit in mente ut pœnam naturalem quam ipsi infligit quia bono privatur. \* Ratio sola non sufficiebat ut mens ad bonum ferretur, isto præterea molesto & duro sensu ipsam excitari opus erat. Itaque in omnibus affectibus omnes mentis motus versus bonum nihil aliud sunt præter amoris motus. Sed quia variis sensationibus afficimur juxta varias circumstantias quæ boni perceptionem & motum mentis versus bonum comitantur, sensationes cum mentis commotionibus confundimus, & totidem in affectibus varios motus imaginamur, quot sunt variæ sensationes.

Jam autem hæc observandum est dolorem esse malum reale & verum,

\* Ante peccatum sensus iste non erat pœna; sed tantum admonitio quædam; quia ut jam dixi, Adam poterat quotiescunque volebat sistere motum spirituum animalium, qui dolorem gignebant. Ita si dolorem sentiret; illum sentiebat quia volebat, aut potius nullum sentiebat dolorem; quia volebat sentire.



verum, nec magis esse privationem voluptatis quam voluptas est privatio doloris; nam ingens est discrimen inter nullam sentire voluptatem, aut sensu voluptatis privari, & dolorem actu pati. Itaque omne malum præcisè tale non est quia nos privat bono; sed tantum ut rem explicui, malum quod est extra nos, quòdque non est modus essendi qui sit in nobis. Nihilominus quia per bona & mala vulgò intelliguntur res bonæ & malæ, non verò sensationes voluptatis & doloris, quibus potius velut indicium mens discernit bonum à malo; dicere, ni fallor, possumus sine ullâ æquivocatione, malum nihil aliud esse quàm privationem boni, & motum naturalem mentis quo a malo arcetur eundem esse cum motu quo versùs bonum fertur. Etenim omnis motus naturalis cum sit impressio Authoris naturæ qui non agit nisi propter seipsum, quique nos stectere nequit nisi versùs se, verus motus mentis semper essentialiter est amor boni, & non est fuga mali nisi per accidens.

Dolor quidem potest considerari ut malum; & eo sensu motus affectuum quem excitat non est realis, etenim dolorem nemo est qui velit; ac dum positivè volumus dolorem non esse, volumus positivè conservationem aut perfectionem entis nostri.

Tertium quod in singulis affectibus observandum venit, est sensus qui illos comitatur; sensus amoris, sensus odii, desiderii, gaudii, tristitiæ. Isti sensus semper diversi sunt in diversis affectibus.

Quartum est nova determinatio cursùs spirituum & sanguinis versùs partes externas corporis, & versùs internas; ante perceptionem rei objectæ quæ movit affectum spiritus animales per totum corpus diffundebantur, ut omnes ipsius partes in genere conservarent, sed ad istius novæ rei objectæ præsentiam tota ista turbatur œconomia. Plerique spiritus in brachiorum, crurum, faciei, & cæterarum externarum corporis partium musculos mittuntur, ut corpus disponant accommodatè ad affectum dominantem; utque habitum ejus externum componant, & motum necessarium ad acquisitionem boni, vel ad fugam mali præsentis ei subministrant. Quòd si propriæ vires quantum opus est non sufficiant, iidem spiritus eo modo distribuuntur ut mechanicè quasdam proferat voces, & quosdam edat clamores, utque per ipsius faciem & cæteras corporis partes nescio quem externum efforment habitum, quo alii eodem affectu possint agitari quo ipse agitur. Nam, cum homines ut & cætera animalia inter se auribus & oculis colligentur, quum quis agitur, omnes inspicientes & audientes necessariò commovet, & in ipsorum imaginationem facit naturaliter impressionem quâ turbantur, & ad id feruntur ut illius qui primus agitatus fuerat conservationi consulant.

Ceteri verò spiritus animales in cor, pulmones, jecur, lienem, & alia viscera cum impetu descendunt, ut has omnes partes suppetias ferre, & brevi tempore spiritus suppeditare cogant necessarios ad



conservandum corpus in actione extraordinariâ in quâ tum esse debet.

Quintum est commotio sensibilis mentis quæ istâ spirituum nec opinâ inundatione agitur. Hæc sensibilis mentis commotio semper comitatur istum spirituum motum, ut quæcunque corpus spectant participet; non secus ac motus spirituum excitatur in corpore statim atque mens versûs aliquam rem objectam fertur. Cùm enim mens cum corpore conjuncta sit, ut etiam corpus cum mente, utriusque motus debent reciprocari.

Sextum sunt varii sensus, amoris, averfationis, gaudii, desiderii, tristitiæ, nati non ex perceptione intellectuali boni aut mali, ut ii de quibus suprâ, sed ex variis commotionibus in cerebro ortis spirituum animalium ope.

Septimum est sensus quidam gaudii seu potiùs suavitatis internæ, qui mentem sistit in affectu, quique ipsi testatur ipsam in eo esse statu in quo par est esse, relatè ad rem objectam quam contemplatur. Suavitas illa interna omnes in genere affectus, qui ex perceptione mali, æquè ac qui ex perceptione boni nascuntur, tristitiam ut gaudium æqualiter comitatur. Hæc suavitas omnes nostros affectus nobis efficit jucundos, eoque nos impellit ut iis assentiamur, nosque permittamus. Denique hæc suavitas nobis superanda est gratiæ suavitate, ac fidei & rationis gaudio. Nam, quemadmodum semper nascitur gaudium ex certâ aut evidenti cognitione nos in optimo statu relatè ad ea quæ percipimus versari, ita affectuum suavitas sequitur naturaliter ex sensu confuso quo credimus nos in optimo esse statu relatè ad ea quæ sentimus. Jam autem gaudio mentis & gratiæ suavitate, vincenda est falsa affectuum suavitas quâ bonis sensibilibus mancipamur.

Ea omnia de quibus suprâ in omnibus affectibus concurrunt, nisi quum sensibus quibusdam confusis excitantur, & mens nullum percipit bonum aut malum ex quo possint nasci, tunc enim tria priora in iis non occurrere patet.

Pariter hæc omnia non esse libera, & in nobis sine nobis, vel etiam nobis invitis esse ex quo peccatum irrepsit, solùmque voluntatis nostræ consensum a nobis revera pendere, nemo non videt. Sed hæc fusiùs explicare, & exemplis illustrare operæ pretium videtur.

Supponamus igitur hominem quempiam contumeliâ actu affici, aut eundem, quia forti & vividâ, vel aliquo agitâtâ casu, ut exempli gratiâ, morbo, seu melancholiâ, pollet imaginatione, in musæo seclusum in animum sibi inducere, hominem aliquem, qui de ipso forsân nequidem cogitat, velle tamen ipsi nocere, & ad id actu esse accinctum. Visus sensibilis, aut imaginatio relationis quæ est inter actiones inimici & sua consilia, prima erit causa, affectusque ille quem supposuimus movebitur.

Immo,



Immo, nequidem eum actu contumeliam pati, vel etiam eum credere se contumeliâ affectum omnino necesse est ut motus ipsius voluntatis novam aliquam accipiat determinationem; Sufficit ut intellectu puro sine ullâ corporis participatione rem illam cogitet. Sed hæc nova determinatio non esset determinatio ex affectu orta, sed mera inclinatio debilissima & languidissima, præstat supponere hominem illum vehementem consiliis suis oppositionem actu experiri, aut sibi futuram imaginari, quàm alium qui solâ mente sine sensuum ac imaginationis subsidio sibi injuriam inferri putaret.

Quod secundum in istius hominis affectu considerandum venit est incrementum motûs voluntatis versûs bonum, a cujus possessione arceri ab inimico reali vel imaginario metuit. Et istud incrementum eò majus est quò oppositio fortior ipsi videtur. Inimicum suum primâ fronte non odit, nisi quia bonum amat, & quò amor major est, eò vehementius est odium; quia motus ipsius voluntatis in odio aliud revera nihil est quàm motus amoris, cum motus mentis versûs bonum non differat a motu quo ipsius boni privationem fugimus, ut jam dictum est.

Tertium est sensus affectui consentaneus, jam autem in hoc affectu est sensus odii; motus odii idem est ac motus amoris, sed sensus odii omnino differt a sensu amoris, id propriâ experienciâ apud unumquemque constare debet. Motus sunt actiones voluntatis: sensus sunt modificationes mentis. Motus voluntatis sunt causæ naturales sensuum mentis, & vicissim isti sensus mentis voluntatis motus in suâ determinatione conservant, sensus odii in illo homine est naturalis sequela motûs voluntatis mali præsentia excitati, ac deinde motus ille a sensu cujus causa est fovetur.

Quod de isto homine diximus ipsi posset convenire, licet corpus non haberet. Sed quia ex duabus partibus a naturâ conjunctis constat; motus mentis cum corpore & motus corporis cum mente communicantur. Itaque, nova determinatio, vel incrementum motûs voluntatis, naturaliter producit novam determinationem in motu spirituum animalium, quæ semper diversa est in omnibus affectibus, quamvis motus mentis penè idem semper sit.

Spiritus igitur in brachia, crura, & faciem vehementer pelluntur ut in corpore eam informet dispositionem quæ affectui necessario competit, utque faciei cum aspergant habitum, eamque speciem quæ hominem injuriâ læsum exprimat, relatè ad omnes circumstantias injuriæ illatæ, & ad conditionem & vires lædentis & læsi. Jam autem ista spirituum effusio eò vehementior, copiosior, & velocior est quò bonum majus, oppositio fortior, & cerebrum vividius affectum est.

Si igitur homo ille de quo sermo est per imaginationem tantum  
inju-



injuriam accipiat, aut si realis ipsi inferatur sed levis, quæque ingentem non efficiat in cerebro commotionem; spirituum animalium effusio futura est debilis & languida, ac fortè debilior quàm ut dispositionem corporis ordinariam & naturalem possit immutare. At si injuria sit atrox, & imaginatio incalescat, ingens in cerebro fiet commotio, & spiritus tantâ vi diffundentur, ut in facie & in corpore eam speciem, eumque habitum sint formaturi qui affectui dominantis congruat, si ipsi vires ad vincendum suppetant, ipsius habitus minax & ferox erit. Si debilis sit, nec malo ipsi ingruenti possit resistere, habitus erit humilis & supplex. Ejus gemitus & lachrymæ in adstantium & ipsius hostis animum motus misericordiæ excitabunt; hoc modo auxilium obtinebit quod propriis viribus sibi ipsi ferre non valebat. At si adstantium & illius qui misero isti adversatur spiritus animales & fibræ cerebri jam commota sint motu violento, ac isti motui contrario quo menti ingignitur commiseratio, gemitus illius cui injuria fuit illata motum illum ipsi contrarium in inimico augebunt, ac nulla ipsi superesset auxiliû & salutis spes si in eodem habitu & situ ipse perstaret. Verùm huic malo obviam ivit natura; namque ubi ingentis alicujus boni jactura imminet, quædam rabiei & desperationis indicia tam vivida, tamque insolentia faciei naturaliter imprimuntur ut eos etiam mitigent qui vehementissimis perciti sunt animi motibus, eosque veluti immobiles efficiant. Adspectus ille terribilis & inopinatus imaginis mortis in facie istius miseri a naturâ depictæ in ipso inimico, cujus oculos illa imago feriit, spirituum & sanguinis motum, quo ad vindictam ferebatur, sistit. Ac eo favoris & attentionis ad miseriam momento, naturâ habitum humilem & summissum iterum imprimente faciei istius miseri, cui jam spes quædam affulget ob mutationem in inimici habitu & specie factum, inimici illius spiritus animales determinationem prius impossibilem accipiunt; adeo ut insensus ille inimicus misericordiæ motus mechanicè suscipiat, quibus ipsius mens ad id naturaliter fertur, ut charitatis & misericordiæ rationibus obsecundet.

Hic autem sedulò observandum est mentis nullas esse partes in hõce toto machinæ motu, sed hunc esse naturalem & necessarium sapientis atque admirabilis corporum nostrorum constructionis effectum. Infinitâ enim suâ sapientiâ Deus in nostris corporibus omnia posuit organa aut vires motrices quibus opus erat ad eorum conservationem. Hæc autem organa brevi disperirent, si ex nostrâ penderent vigilantia & curâ, ut ut cognosceremus quod in iis peragitur. Mentis quidem sensus & motus fibrarum cerebri succussionem, spirituumque animalium cursum semper comitantur, sed hujus succussionis hujusve cursûs nullatenus sunt causa. Præterquàm quòd enim certo mentis sensu corpus moveri posse non concipiatur, certò constat mentem aliquo commotam affectu ne cogitare quidem esse in suo corpore spiritus animales, musculos



culos & nervos, nec quorsum hæc tendant novisse. Ipsam latet quis corporis habitus, quive vultus tunc esse debeat; imo hunc oris corporisque habitum utut actualem nequaquam percipit, nisi commonstrante speculo, aut commoente amico. Denique certum est mentem utut obnitentem sæpe non posse impedire quin sua laxetur machina, nec eam aliter movere nisi cum aliam quampiam rem objectam fortiter imaginari valet, cujus aperta vestigia aliorum contorqueant spiritus animales. Non alia ipsi ratio datur affectuum sistendi effectus. Clarè ergo patet mentis, utut machinæ suæ motui præsentis, & quamvis, ex legibus suæ cum corpore conjunctionis, eo quatiatur motu, nullas esse tamen in his motibus partes, sive eam horum motuum veram causam nullatenus esse.

Ex his sequitur nihil probare argumenta quæ vulgò ad asserendam Brutorum animam afferuntur, aut etiam ea argumenta contrariam stabilire sententiam. Clamant, inquit, canes cum vulnerantur; Ergo iis inest anima quædam. Ergo, dic potius, nulla ipsis inest, clamor enim necessarius est ipsius machinæ constructionis effectus. Cum aliquis bene corpore valens non clamat etsi vulneretur, id est indicio mentem ipsius obniti machinæ motui; si nulla mens ipsi inesset, & bene dispositum foret ejus corpus, certè clamaret quotiescunque vulneraretur. Sentit unusquisque suum brachium sese cum ipsi vena aperitur, instar automati retracturum esse quo tempore pungitur, ni mens isti motui resisteret. Diaphragmatis autem aliarumque partium motus qui ad clamandum sunt necessarii partim a mente pendent ut brachii motus; cum quis itaque etsi vulneratus non clamat, neque brachium retrahit, id ex eo fit quòd ipsi mens inest quæ machinæ actioni obnitiatur; ergo quòd in pari casu bruta clament, quòd membra retrahant, non ex eo probari potest ipsis inesse animam.

Verùm, inquit, prædam assequuntur bruta, multasque exerunt actiones non minori quàm homines solertiâ. Et id quidem concedo; ipsorum machina motus suos multò melius peragit quàm nostra, quia ejus actionem nihil perturbat; quia nullam habent animam, nullasque ideo suscipiunt motus iis contrarios quos in ipsis, ex admirabili ipsorum corporis constructione, excitat rerum objectarum præsentia. Mirum sanè præjudiciorum effectum! Inde probari volunt dari sensum in brutis unde potius probatur nullum in iis dari.

A proposito longius aberrarem si fautores animæ brutorum ulterius sequerer; sui præjudicii causam ipsis ostendere præstat. Cum non cognoscamus, neque unquam cognituri simus quibus constet partibus cerebri nostrum, quive sint earum partium usus, aut quomodo cum organis quæ rerum objectarum impressionem excipiunt, ceterisque corporis partibus colligentur, cumque præterea non possit esse mens nostra quin sui sit conscia, corporis sui constructioni quam actu non cognoscit, & de quâ ne cogitat quidem, eos effectus ideo non tribuit,



qui tamen inde vere pendent; eoque impellitur ut se solam judicet esse horum effectuum causam, quia sola sibi actu præsens est, & quia non potest esse quin actu de se cogitet. Quodque hocce adhuc fovet præjudicium illud est, quod in nobis multi sæpe peragantur motus e voluntate nostrâ pendentes, & quorum proinde sola nobis videmur esse causa. Inde enim judicamus ipsam esse mentem nostram quæ corpori nostro vitam conservat, aut in ipso omnes peragit motus qui ad vitæ conservationem tendunt. Cùm igitur bruta sui tuendi, speciè quæ conservandæ gratiâ, eosdem quos exserimus motus peragere cernamus, ipsis animam tribuimus quam falsò credimus esse omnium nostrorum motuum causam. Quia verò omnes causas humanâ induimus naturâ, nec concipi potest anima quæ non cogitet, velit, sentiat; inde canem nostrum judicamus nos cognoscere, nos amare, doloremque nostro per similem sentire cùm vulnus patitur. Cùm Deus in usum hominis imprimis canem creaverit, ut homo ex suâ parte cum cane suo mutuo colligaretur vinculo, in eo certam indidit habilitatem ad certas contorsiones, certòsve capitis, tergi & caudæ motus peragendos qui quamvis nullam per se habeant cum mentis cogitationibus relationem, eam tamen in homine excitat cogitationem, canem scilicet eum amare, ipsi blandiri. Eæ sunt, ni fallor, præcipuæ nostri illius præjudicii causæ quo putamus brutis inesse animam; quod præjudicium periculosas admodum secum trahit consequentias, ut alibi probavi.\*

\* Defensionem vide contra accusationem D. de la Ville, & supra lib. 2. cap. 4. † Vide ultimam illustrationem hujus operis sub finem.

Gloriam Deo reddamus, atque agnoscamus ipsum, utpote infinitâ præditum sapientiâ, omnibus indidisse animantibus omnia actionis principia quæ ad ipsorum vitæ conservationem, & speciei propagationem necessaria erant; imo ipsum primis indidisse animantibus † ac plantis infinite parva embrya quæ ex legibus motûs ita cretura esse & exsolutum iri prævidit, ut per omnia sæcula suam propagarent speciem. Sic non temerariò limitabimus creatoris sapientiam, quam ore quidem infinitam esse fateremur, sed quam infinite tamen mens nostra deprimit, ex eâ quæ fertur propensione ad eum humanâ induendum naturâ, & ad judicandum id ab ipso peragi non posse quod ipsa non potest comprehendere. Sic neque in hoc aliud vitium incidemus quo rebus creatis tribuimus id quod ad eum tantummodo pertinere potest. Qui enim brutis animam tribuit, eâ solâ adductus ratione quod eorum actiones solertiam & intelligentiam prodant, is certè Dei oblitus operi tribuit ipsius opificis sapientiam. Cùm sigillatim ea expenduntur quæ in hominis & animalium corpore singulis peraguntur momentis, in iis tanta deprehenditur regularium motuum varietas, ut eo ipso judicetur mentem finitam eos omnes cognoscere, & uno temporis momento regere haudquamquam posse: Siquæ ficta brutorum anima ipsorum machinæ motus præsentibus rebus objectis operaretur & dirigeret, certè multò plus iis inesset intelligentiæ quàm nobis. Præterquam quod enim innumeri in nobis absque nostrâ operâ peragantur, ne eorum quidem vera causa est

mens.



mens nostra qui ex nostris sequuntur voluntatibus. Loqui aut canere volumus, sed quinam ad loquendum aut canendum movendi sint musculi ne novimus quidem.

Intelligentiam procul dubio prodit quicquid Deus fecit. Seritur inversum tritici granum, crescens autem radix ad terram, stirps sursum versus aërem se reflectit; id intelligentiam clamat: Nodos continuo stirps contrahit, ut se contra venti conatus corroboret, id futuri præscitum indicat; hi nodi in imâ sibi sunt propiores quàm in superiori parte, quia ex Legibus mechanice ibi potentiores sunt venti cui resistendum est conatus: Cava stirps est quia, ut firma stet, pondus ejus non minuto robore minuendum erat. Hæc omnia & innumeri alii motus invisibiles, imo & puris intelligentiis fortè etiam ignoti, infinitam sapiunt intelligentiam: sed neque tritici granum, neque quicquam, quod huicce grano affingere potest imaginatio fœcunda chimæris, futuros venti conatus prævidere, aut mechanicæ leges callere vâlet. Sapientiam creatoris infinitam indicat illud tritici granum, & ipsius crescendi, aliâque grana sibi similia producendi ratio; illam miremur, adoremus; neque operi, aut animabus, aut chimæricis formis ullam eorum partem tribuamus quæ ad solum pertinent opificem. Redeo ad propositum.

Vir vehementi animi motu percitus, cum in cerebro imaginem infortunii sui satis vividam sine ingenti spirituum copiâ producere & conservare non possit, nec commotionem satis violentam ut in corpore formet habitum aut situm coactum & extraordinarium; nervi qui internis istius hominis afflicti corporis partibus respondent, ad alicujus mali præsentiam commotiones & agitationes ad id necessarias recipiunt, ut per omnia vasa quæ ad cor appelluntur transfundant humores idoneos ad producendos spiritus quos postulat præfens animi motus. Nam spiritus effusi per nervos qui ad jecur, lienem, & pancreas atque omnia viscera tendunt, nervos illos excutiunt ac commovent, ut ex iis exprimant eos humores qui in partibus illis conservantur ut machinæ corporis laboranti subveniant.

At si humores isti eodem semper modo in corde diffluerent, parèntque diversis temporibus fermentationem in eo acciperent, in affectuum motibus mutationes tam subitæ non deprehenderentur. Magistratûs aspectus, exempli gratiâ, furiosi ad vindictam prorumpentis impetum protinus non susteret; ipsiusque facies sanguine & spiritibus modò fervens, pallida ac, præ supplicii timore, exanimata repente non fieret.

Itaque, ne humores illi sanguini admixti eodem modo semper in cor transeant, sunt nervi quidam quibus ipsius officina circundantur, quique, sese constringendo & remittendo per impressionem ex rei objectæ præsentia & imaginationis vi ortam, istis humoribus iter præcludunt & aperiunt. Atque ne iidem humores similem diversis temporibus



bus agitationem, similemque in corde fermentationem recipiant, alii sunt nervi qui ipsius efficiunt palpitationes; cumque illi nervi in diversis spirituum motibus æqualiter non agitentur, hinc fit ut eadem vi sanguinem in arterias non pulsent. Alii nervi in pulmone diffusi aërem in corde distribuunt, constringendo & remittendo ramos canalis respirationi inservientis, & hoc pacto sanguinis fermentationem relatè ad circumstantias affectus dominantis regunt.

Denique ut spirituum cursus accuratiùs & promptiùs regatur, sunt nervi qui arterias, tam eas quæ ad cerebrum ascendunt, quàm quæ sanguinem perducunt ad cæteras omnes corporis partes, circumdant. Adeo ut commotio cerebri quæ comitatur visum inopinatum alicujus circumstantiæ, ob quam omnes affectus mutare opus est, subito determet cursus spirituum versùs nervos quibus arteriæ illæ circumdantur, ut earum contractione præcludat transitum sanguini versùs cerebrum adscendentis; ipsarumque remissione iter aperiat sanguini qui per cæteras omnes corporis partes diffunditur.

Cùm arteriæ illæ quæ sanguinem versùs cerebrum vehunt liberæ sint & ab omni vinculo solutæ, illæ verò, quæ sanguinem per cæteras corporis partes diffundunt, his nervis arctè constringantur, caput sanguini refertum esse debet, facies illo repleta. Sed aliquâ circumstantiâ immutante commotionem cerebri quæ illam in istis nervis efficiebat dispositionem, arteriæ ligatæ solvuntur, aliæ verò contrà arctissimè constringuntur. Itaque caput sanguine fit vacuum, pallor faciem invadit, ac parva sanguinis copia e corde effusa, quamque nervi de quibus fuit mentio, in illud transire sinunt vitæ conservandæ gratia, in partes corporis inferiores tota penè descendit, cerebro desunt spiritus animales, ac reliquum corpus tremor & debilitas invadunt.

Ut quæ hîc a nobis dicta sunt sigillatim explicarentur & probarentur, operæ pretium foret generalem Physicæ, & specialem corporis humani cognitionem tradere. Verùm illæ duæ scientiæ sunt adhuc & erunt semper imperfectiores, quàm ut earum ope, eâ quam optarem diligentia, rem explanare possim. Adde quòd si in his ulterius pergerem, extra institutum nimis divagarer; sufficit enim hîc ideam rudem & generalem tradere de affectibus, dummodo idea illa falsa non sit.

Commotiones illæ cerebri, & illi motus sanguinis & spirituum quârto occurrunt in unoquoque affectu, & quod quintum occurrit producunt, nempe commotionem sensibilem mentis.

Statim atque spiritus animales e cerebro in reliquum corpus pelluntur, ut in eo excitent motus idoneos ad fovendum affectum, mens versùs bonum perceptum pellitur; idque eò vehementiùs quòd spiritus e cerebro vehementiùs egrediuntur, quia eadem commotio cerebri agitat mentem & spiritus animales.

Motus mentis versùs bonum eò vehementior est quòd boni perceptio sensibilior; & motus spirituum qui e cerebro exeunt ut per reliquum corpus.



corpus diffundantur, eò violentior est quo commotio fibrarum ex impressione rei objectæ aut ex imaginatione orta violentior est. Itaque cum eadem ista commotio perceptionem boni reddat sensibiliorem, commotionem mentis in affectibus eadem proportione quâ spirituum motus auferere necesse est.

Istæ mentis commotiones ab iis quæ ex intellectuali perceptione boni, de quibus jam fuit sermo, immediatè oriuntur, non differunt: Tantummodo sunt vehementiores & vividiores propter conjunctionem mentis cum corpore, & quia ista perceptio ex quâ oriuntur, est sensibilis.

Sextum quod occurrit est sensus ex affectu ortus, sensus amoris, odii, gaudii, tristitiæ. Ab illo de quo jam loquuti sumus iste sensus non differt; vividior est duntaxat, quia in eo producendo corpus plurimum confert. Sed semper conjungitur cum quodam sensu jucundo, quo omnes nostri affectus nobis grati efficiuntur. Atque istud postremum est quod occurrit in unoquoque affectu, ut jam dictum est.

Hujusce ultimi sensus hæc est causa; ad præsentiam rei objectæ quæ affectum movet, aut novâ aliquâ circumstantiâ eveniente, quædam spirituum animalium pars a capite versus externas corporis partes pellitur, ut corpus eum fortiatur habitum quem postulat affectus; & quidam alii spiritus in cor, pulmones, & viscera cum impetu descendunt, ut inde auxilia necessaria contrahant; quod jam satis explicuimus. Jam autem quotiescunque corpus in eo est statu in quo par est ipsum esse, mens ob id semper maximo afficitur gaudio, contra quotiescunque corpus in statu ipsius bono & conservationi noxio est, mens ob id maximo afficitur dolore. Itaque, cum affectuum motus sequimur, nec spirituum cursum sistimus, quem perceptio rei objectæ efficit in corpore nostro, ut in eo constituatur statu in quo esse debet relatè ad illam rem objectam, mens legibus naturæ sensum illum suavitatis & voluptatis internæ experitur, quia corpus in eo est statu in quo esse debet. Vice versâ cum mens juxta rationis præscriptum cursum spirituum sistit & affectui reluctatur, ex eo patitur dolorem pro proportione mali quod inde ad corpus redundare posset.

Nam quemadmodum reflectio mentis in seipsam necessariò conjungitur cum gaudio aut cum tristitiâ intellectûs, ac deinde cum gaudio aut tristitiâ sensuum; quum officii sui memor & Dei præceptis morem gerens, agnoscit se esse in eo statu in quo esse debet, aut quum sese affectibus permittens conscientiæ moribus agitur, quibus se in perversâ dispositione esse docetur. Ita cursus spirituum ad corporis bonum excitatus conjungitur cum gaudio aut tristitiâ sensibili, & deinceps gaudio aut mœstitiâ spirituali: prout cursus iste spirituum animalium cohibetur aut promovetur a voluntate.

At hoc est discrimen & quidem non parvum inter gaudium spirituale quod cognitionem claram boni mentis status comitari solet, & voluptatem



tem sensibilem quæ comitatur sensum bonæ dispositionis corporis; quòd scilicet gaudium intellectuale solidum est, sine moribus & immutabile non secus ac veritas quæ illud parit gaudium: cum contrà gaudium sensibile semper jungatur cum tristitiâ mentis aut cum conscientia morfu, sollicitum est & mutabile, non secus ac affectus aut agitatio sanguinis ex quâ nascitur. Denique prius maximo sensuum gaudio semper comitatur, quotiescunque nascitur ex cognitione ingentis boni quod mens possidet; posterius verò nunquam ferè comitatur ullo mentis gaudio, quamvis ex magno oriatur bono, quod corpori tantum obtingit, menti verò officit.

Verum tamen est, eam suavitatem quam mens degustat sese permittendo affectibus, nisi adsit gratia JESU CHRISTI jucundior esse suavitatem quam experitur legibus rationis adhærendo. Atque ista suavitatis est origo omnium malorum ex peccato oriundorum, nosque omnes affectibus nostris manciparet, nisi Filius Dei ab eorum servitute nos delectatione gratiæ liberaret. Etenim quæ hîc dixi pro gaudio mentis adversus gaudium sensuum vera sunt duntaxat inter Christianos, & omnino falsa erant in ore Senecæ, Epicuri ipsius, omnium denique Philosophorum a ratione minùs abludentium, quia jugum JESU CHRISTI dulce non est nisi iis qui ipsius sunt, & quia ipsius onus nobis leve non videtur, nisi quum illud ipsius gratia nobiscum fert.

## C A P U T IV.

*Voluptates, & motus affectuum nos in errorem respectu boni injicere, ipsis indefinenter esse resistendum. Ratio impugnandi Libertinismum.\**

\* Gall. le  
Libertinage.

Quæ jam de affectibus in genere exposuimus non sunt libera; sunt in nobis sine nobis, solusque voluntatis assensus a nobis absolute dependet. Perceptio boni naturaliter conjungitur cum motu amoris, cum sensu amoris, cum commotione cerebri, & motu spirituum, cum novâ mentis commotione quæ auget primum amoris motum, cum novo mentis sensu, qui auget primum amoris sensum, ac denique cum sensu suavitatis qui mentem remuneratur, quòd corpus sit in statu in quo esse debet. Hæc omnia in mente & corpore aguntur naturaliter & mechanicè; hoc est, sine ullâ ipsius participatione, ac solus noster assensus a nobis verè dependet. Atque hic assensus nobis est moderandus, cohibendus, & ab affectuum impetu ac servitute in libertatem vindicandus. Soli Deo libertas nostra submitenda est. Soli authoris naturæ voci, evidentia internæ, & internis rationis exprobrationibus obsequen-



sequendum est. Nunquam assentiendum est nisi cum clarè videmus nos libertate nostrâ perperam esse usuros, nisi assentiamur. Hic præcipuus canon observandus est erroris & peccati evitandi causâ.

Deus solus nobis evidenter demonstrat obsequendum esse ipsius mandatis, ipsi igitur soli serviendum est. In affectuum lenociniis & blandimentis, minis & formidinibus nulla est evidentia, in iis nihil est præter sensus confusos & obscuros quibus resistendum est. Expectandum est dum nobis affulgeat lux purior, dissipentur falsi affectuum splendor, atque nos alloquatur ipse Deus. Intra nosmet ipsos nos colligere, ac in nobis eum qui nos nunquam deserit, nobisque semper illucescit quærere debemus. Summissâ, sed clarâ & distinctâ voce loquitur; Parvum quidem, sed purum ejus lumen est. Quid parvum dico: Æquè vividum est ac purum. Quid summissam vocem loquor? æquè magna est ac distincta. Sed affectus nostri nos semper extra nosmet ipsos abripiunt, suis tenebris & tumultu impediunt quominus vocem ipsius exaudiamus, & lumen videamus. Eos etiam qui ipsum non interrogant alloquitur; ac ii etiam qui affectuum impetu longius abrepti fuere, quædam tamen verba ab ipso audiunt, sed verba tonantia, minitiantia, formidabilia, gladio *δυσόμω* acutiora, intimos mentis recessus penetranti, cogitationesque & motus cordis scrutanti. Omnia enim coram ipso nuda patent; nec peccatorum crimina cernere potest quin ea ipsis intus vividè exprobet. Nos igitur apud nosmet ipsos recipere, & ad eum accedere par est. Ipsi interrogato & audito obediendum est. Si enim ipsum semper auscultemus, nunquam falleremur; si ipsi semper obediamus, affectuum inconstantia & miseris quas peccatum commeruit nunquam mancipabimur.

Haud arbitrandum est ut quidam præfracti ingenii homines qui sibi sapientes videntur, quos superbia ad brutorum conditionem demittit, quique, diu spretâ lege Divinâ, nullam tandem aliam audiunt quam vocem turpium affectuum suorum; cum iis, inquam, hominibus carnalibus arbitrandum non est, illos Deum sequi & voci authoris naturæ obedire qui affectuum suorum motus sequuntur & internis desideriis morem gerunt. Ii sanè summè aberrant: Et in hoc ipso juxta Divum Paulum, impietatis & idololatriæ, hoc est, gravissimum crimen, pœnam patiuntur. Revera ista pœna eò major est, quòd nedum iram Divinam placet, ut placant aliæ pœnæ hominibus inflictæ, illam contrâ indefinenter provocet & augeat; usque ad diem illum terribilem quo justa Dei ira in peccatores erumpet.

Illorum tamen ratiocinia verisimilitudine non carent; sensui communi admodum conformia esse videntur; affectuum favore adjuvantur, totaque Zenonis Philosophia ipsa infringere proculdubio nequit. Bonum amare decet, ajunt; voluptas est character quem natura bono impressit; & eo character qui fallax esse nequit, utpote divinitus impresso, bonum a malo discernimus. Malum fugere convenit, ajunt præ-



præterea; dolor est character malo proprius, & isto characterē qui fallax esse non potest, utpote a Deo impresso, malum a bono dignoscimus. Qui sese affectibus permittunt voluptate, qui iis resistunt molestiâ & dolore afficiuntur. Ergo Author naturæ nos affectibus obtemperare, nunquam iis resistere vult; cum voluptas & dolor quibus ex ipsius instituto tum afficimur, ipsius erga nos voluntatis certissima sint argumenta. Ergo, qui cordis desideria implet Deum sequitur; & qui isti naturæ instinctui, quo ad indulgendum sensibus & affectibus ferimur, cedit ipsius voci obsequitur. Sic ratiocinantur, & sese in turpibus opinionibus confirmant; sic intimas rationis exprobrationes eludere conantur, ac Deus, in ipsorum flagitiorum poenam, sinit ipsos falsis hîsce luminibus perstringi & decipi. Fallacia lumina, quibus nedum illuminentur, occæcantur! Sed ita occæcantur ut cæcitatem suam nec cognoscant, nec curari cupiant. Eos Deus sensui reprobo tradit, cordis desideriis, affectibus fordidis, actionibus homine indignis, ut loquitur scriptura, derelinquit, ut libidine suâ veluti pinguefacti, Deo irato in æternum immolentur.

Verùm solvendus est difficultatis nodus. Zenonis secta, cum illum solvere non posset, abscidit, negando voluptatem esse bonum, dolorem verò esse malum. Audax effugium & Philosophorum gravitate indignum! Certè haud facilè crediderim illos tali ratiocinio persuaderi posse, qui experienciâ convincuntur dolorem esse maximum malum. Itaque Zeno totaque Ethnica Philosophia difficultatem ab Epicureis propositam solvere nequit; ad Philosophiam solidiorem & saniozem confugiendum est.

Voluptatem esse bonam, dolorem verò malum verum est; voluptatem & dolorem ab auctore naturæ usui quarundam rerum alligata fuisse, ut judicemus an malæ an bonæ sint; nos bonis semper uti, malas verò fugere, ac motus affectuum ferè semper sequi debere. Ea omnia vera sunt, sed solum corpus spectant; affectibus & desideriis penè semper obtemperandum est ad corpus conservandum, vitamque brutorum vitæ similem producendam. Sensus & affectus nobis ad corporis bonum duntaxat dati sunt. Voluptas sensibilis est character quem natura alligavit usui quarundam rerum, ut sine difficili & molesto rationis examine, iis possimus uti ad conservationem corporis, non verò ut ipsas amaremus. Nihil enim amare debemus nisi id quod certissimè ratione agnoscimus esse bonum nostrum.

Ratione sumus præditi, nec Deo qui est bonum nostrum, acceptus esset amor cæcus, amor instinctus, amor veluti coactus: sed amor ex liberâ electione natus, amor cui prævia rationis lux affulgeat, amor qui ei mentem & cor nostrum subiciat. Nos ad ipsum amandum fert, nos lumine quod gratiæ ipsius delectationem comitatur docendo ipsum esse bonum nostrum: at verò ad bonum corporis instinctu solo & sensu voluptatis confuso duntaxat nos fert, quia bonum corporis, mentis appli-



applicatione rationisque attentione indignum est.

Sed præterea, corpus nostrum nos totos non componit; res est quidem ad nos pertinens, sed sine quâ, absolute loquendo, existere possumus; bonum corporis non est ergo nostrum. Corpora non possunt esse bonum nisi corporum. Iis possumus uti ad corporis nostri utilitatem, sed iis adhærescere non debemus. Mens nostra suum etiam habet bonum, nempe bonum illud solum quod supra ipsam est, quod solum ipsam conservat, quodque solum in ipsâ voluptatis aut doloris sensum gignit. Etenim omnia quæ sensus nostros afficiunt per se sentiri nequeunt, Deusque solus nos monet ipsa esse præsentia, sensationibus quas nobis imprimat. Atque illud est quod Philosophi Ethnici non capiebant.

Id amare, fateor, possumus & debemus quod voluptatem in nobis parere potest; sed ideo Deum solum amare debemus, quia Deus solus potest agere in mente nostrâ, nec quicquam aliud res sensibiles agere possunt quàm movere organa sensuum nostrorum. At, quid refert, inquis, unde oriuntur illæ sensationes jucundæ? Illas degustare volo. Hem, ingratus, agnosce manum quæ te bonis cumulat. A Deo justo mercedem injustam exiges. Vis eum te mercede afficere ob crimina in ipsum perpetrata, & eo momento quo illa perpetras. Ipsius voluntate immutabili, quæ est ordo & lex naturæ, uteris ut ab illo gratias immeritas extorqueas, namque in corpore tuo dexteritate flagitiosâ motus excitas qui ipsum ad id adigunt ut omne voluptatum genus in te producat. Sed mors istud corpus corrumpet; ac Deus quem ad injusta tua desideria implenda adegisti, justam suam in te convertens iram te vicissim ridebit.

Dolendum quidem est possessionem boni corporis conjunctam esse cum voluptate, possessionem verò boni mentis sæpe conjungi cum molestiâ & dolore. Id summæ inordinationi imputari merito potest hac ratione; nempe, cum voluptas sit character boni, dolor verò character mali, in amore Dei longè plus voluptatis sentire deberemus, quàm in usu rerum sensibilium, cum Deus sit verum seu potius unicum mentis bonum. Id sanè sic aliquando futurum est; atque ante peccatum fuisse verisimile est; saltem hominem ante peccatum nullum in officii sui exercitio sensisse dolorem constat.

Sed Deus a nobis ex primi hominis peccato recessit. Is bonum nostrum non est amplius naturâ, sed gratiâ duntaxat; suavitatem enim in ipsius amore naturaliter non amplius sentimus, ac tantum abest ut nos ad ipsum amandum ferat, ut potius nos a se amoveat. Si ipsum sequamur, nos repellit. Si ad ipsum currentes properemus, nos verberat: si in eo insequendo pertinaciter perstemus, nos malè excipere pergit, dolorisque vividissimos in nobis excitat. At verò postquam in duris & arduis virtutis semitis, nulla voluptate degustatâ, nulloque alimento jucundo recreati defessi sumus, & ad bona sensibilia nos converti-



mus ut iis pascamur, Deus iis nos veluti devincit voluptatis gustu. Nos ob id remunerari videtur quod ipsi terga damus, dum ad falsa bona transfugimus. Denique a peccato Deus a nobis amplius amari, atque ut unicum bonum nostrum haberi nolle videtur. Solâ Mediatoris nostri Jesu Christi gratiâ Deum esse bonum nostrum sentimus. Cùm enim voluptas sit character sensibilis boni, Deum esse bonum nostrum sentimus, quoniam Jesu Christi gratiâ, Deum amamus cum voluptate.

Itaque mens bonum suum neque visu neque sensu sine gratiâ Jesu Christi agnoscens, bonum corporis ut proprium bonum accipit, illud amat, illique voluntate arctius etiam adhæret, quàm primâ naturæ institutione adhærebat. Nam cùm bonum corporis solum superfuerit quod se præbeat sentiendum, in hominem vehementius necessario agit. Cerebrum illo vividius afficitur, ac proinde mens illud vividius sentit & imaginatur. Spiritus animales eò vehementius agitantur, ac ideo voluntas illud majori cum ardore & voluptate amat.

Mens ante peccatum imaginem boni corporis vividior e cerebro poterat delere, ac voluptatem sensibilem dissipare quæ istam imaginem comitabatur. Corpore menti submissò, mens continuo poterat sistere commotionem fibrarum cerebri & agitationem spirituum, solâ officii sui consideratione. Sed post peccatum id penès ipsam amplius non est. Hæc vestigia imaginationis, hique spirituum motus non amplius pendunt ab ipsâ, & sequelâ necessariâ voluptas; ordine naturæ alligata his vestigiis & motibus sola cordi dominatur. Homo propriis viribus huic voluptati diu resistere nequit, gratia sola potest illam vincere; ratio sola non valet. Quia uno verbo Deus ut Author gratiæ se ipsum, ut ita dicam, solus vincere potest ut authorem naturæ, seu potius ipse solus potest seipsum pacare & flectere ut ultorem transgressionis Adami.

Vid. quintum Dialogum colloquiorum Christianorum sub finem.

Stoici, qui mala ex peccato originis orta non nisi confusè noverant, Epicureis respondere nequibant; Nam ipsorum felicitas nihil erat præter inanem ideam, cùm nulla sit felicitas sine voluptate, nec possent voluptatem gustare in actionibus solidæ virtutis. Quoddam sentiebant quidem gaudium virtutis suæ imaginariæ leges sequendo, quia gaudium sequitur necessario & naturaliter cognitionem mentis, cùm videt se esse in optimo statu in quo esse queat. Gaudium illud mentis animum ipsorum ad tempus poterat sustentare, sed satis non habebat efficacitatis ut illius ope dolori resistere & voluptatem vincere possent. Interna superbia, non verò gaudium, lætitiâ quandam Philosophorum istorum vultui aspergebat; ubi verò ab hominum conspectu abierant, sapientiæ & virtuti profus valedicebant, ut Reges illi scenici, qui totam unico momento deponunt Majestatem suam.

De Christianis qui leges Evangelii ad amissim sequuntur res secus se habet. Ipsorum gaudium solidum est, quia certissimè norunt se in optimo versari statu in quo queant esse. Gaudium ipsorum ingens est, quia



quia infinitum est bonum quod fide & spe degustant. Nam spes ingentis boni cum ingenti gaudio semper conjungitur, & illud gaudium eò vividius est quò spes firmior: quia spes firma bonum veluti præsens imaginationi repræsentans, gaudium immo voluptatem sensibilem, quæ boni præsentiam semper comitatur, necessariò parit. Ipsorum gaudium nullâ admiscetur sollicitudine, quia promissis Dei nititur, sanguine filii ipsius confirmatur, pace internâ & ineffabili charitatis quâ spiritus sanctus cor eorum perfundit suavitate fovetur. A vero ipsorum bono eos nihil separare potest, ubi illud gustant & eo delectantur delectatione gratiæ. Voluptates ex bonis corporis ortæ iis inferiores sunt quas in amore Dei sentiunt. Contemptum & dolorem amant; opprobriis aluntur; & voluptas quam in perpeffionibus experiuntur, seu potiùs voluptas quam in Deo nanciscuntur, dum cætera, ut ipsi soli adhæreant, derelinquunt, adeo violenta est ut ipsos abripiat, ut novam ipsis suggerat linguam, utque etiam in miseriis & doloribus exantlatis, Apostolorum exemplo, glorientur. *At Apostoli*, inquit Scriptura, *e Concilio egressi sunt, gaudio pleni quòd digni judicati fuissent qui opprobria propter Christi nomen paterentur.* Talis est mentis dispositio verorum Christianorum, ubi veritatem defendendo extremis probriis obnoxii facti fuere.

Act. V. 41.

Cùm JESUS CHRISTUS eo fine venerit ut restitueret ordinem peccato turbatum, cùmque ordo postulet ut maxima bona cum solidissimis jungantur voluptatibus, res sic ut dictum est manifestò se habere debent. Sed rationi accedit experientia. Nam statim atque quis apud se tantummodo decernit omnia propter Deum derelinquere, ut plurimùm voluptate aut gaudio interno afficitur, quo æquè vividè sentit Deum esse ipsius bonum, ac id clarè antea cognoscebat.

Veri Christiani nobis quotidie asserunt gaudium quod percipiunt ex eo quòd Deum solum ament & colant exprimi non posse, sanè ipsis circa ea quorum intus conscii sunt credere æquum est. Impii contrà in perpetuis versantur anxietatibus; ac ii qui inter mundum & Deum diverfi aguntur, gaudium etiam justorum, & anxietates impiorum participant. Miseras suas queruntur, ac ipsorum querimonias gratis non fieri credere etiam par est. Deus homines in intimo corde sauciat, cùm aliud amant quàm ipsum. Atque in hoc vulnere posita est vera miseria. Gaudium summum, cùm ipsi soli adhærent, ipsorum cordibus affundit, atque in isto gaudio consistit solida felicitas. Divitiarum copia, dignitatum possessio sunt res extra nos; non possunt nos sanare cùm Deus nos lædit. Paupertas & contemptus sunt quoque extra nos, nec possunt nos lædere ubi Deus nos tuetur.

Ex suprâ dictis patet bonum nostrum in rebus objectis positum non esse, affectuum motus nobis non esse sequendos, nisi ad conservationem vitæ nostræ; voluptatem sensibilem esse respectu boni nostri id quod sensationes nostræ sunt respectu veritatis; ac quemadmodum sen-



sus nostri nos fallunt circa veritatem, affectus nostros nos fallere circa bonum nostrum: Delectationi gratiæ cedendum esse, quia nos cum evidentiâ fert ad amorem veri boni, quia internis rationis objurgationibus obnoxia non est, ut instinctus cæcus & voluptas confusa affectuum, & quia cum interno gaudio statui in quo versamur maxime congruo semper conjungitur: Denique, cum Deus solus possit agere in mentem hominis, hominem non posse invenire felicitatem extra Deum, nisi quis supponat, aut Deum inobedientiam remunerari, aut ipsum jubere id quod minus amabile est magis tamen amari. Quod involvit contradictionem.

## CAPUT V.

*Perfectionem mentis consistere in ipsius conjunctione cum Deo per cognitionem veritatis & per amorem virtutis, & contra ejus imperfectionem oriri ex corporis in ipsam imperio, propter inordinationem ipsius sensuum & affectuum.*

**B**onum mentis necessario esse aliquid spirituale vel minimâ anime attentione agnoscere possumus. Corpora longè inferiora sunt mente, in ipsam propriis viribus agere nequeunt, cum eâ ne conjungi quidem possunt immediatè; denique per se non sunt intelligibilia. Ergo mentis bonum esse nequeunt. Contra spiritualia sunt intelligibilia naturâ suâ, possunt cum mente conjungi; possunt ergo esse ipsius bonum, dum sint supra ipsam. Namque ut aliquid possit esse bonum mentis, non sufficit id esse spirituale, ut est mens; oportet præterea esse supra mentem, posse agere in eam, eandemque lumine perfundere & præmio afficere; alioqui res illa mentem nec potest perfectiorem reddere, nec feliciorem, ac ideo ipsius bonum esse nequit. Ex intelligibilibus aut spiritualibus Deus solus hoc modo in mentem agere potest: unde sequitur Deum solum esse, & esse posse verum bonum nostrum. Ergo nec perfectiores, nec feliciores fieri possumus nisi possessione Dei.

Cognitione veritatis, & amore virtutis mentem reddi perfectiorem; & cæcitate, ac cordis corruptione fieri imperfectiorem apud omnes in confesso est. Cognitio ergo veritatis & amor virtutis nihil aliud esse possunt præter conjunctionem mentis cum Deo, & quandam, ut ita loquar, Dei possessionem: & contra cæcitas mentis, affectuumque depravatio nihil aliud esse possunt præter separationem mentis a Deo, atque ejus conjunctionem cum aliquâ re infra ipsam positâ, id est, cum corpore, quandoquidem eâ solâ conjunctione & imperfecta & misera



evadere potest. Itaque cognitio veritatis, seu rerum juxta veritatem, non differt ab ipsius Dei cognitione; & Deum amat quicumque virtutem amat, vel res prout sunt amore dignæ seu juxta virtutis leges diligit.

Mens veluti sita est inter Deum & corpora, inter bonum & malum, inter lucem & tenebras, inter ea quibus in ordine continetur, vel extra ordinem abducitur, inter ea denique quorum ope perfecta ac felix, & ea quorum ope imperfecta ac misera evadere potest. Quum veritatem aliquam reteggit, aut res ut in se sunt videt; illas in ideis Dei videt, hoc est, visu clâro & distincto ejus rei quæ in Deo est, quâ istæ repræsentantur ideæ. Námque, ut jam dictum est, mens humana non includit in se perfectiones aut ideas omnium entium quæ videre potest: non est ens universale. Itaque in se non videt res a se distinctas, seipsam consulendo non eruditur & illuminatur; sibi ipsi enim non est perfectio & lumen: hoc lumine immenso veritatis internæ indiget ut illuminetur. Itaque cum cognoscit veritatem, cum Deo colligatur, ipsúmque aliquo modo cognoscit & possidet.

Sed mens quæ veritatem cognoscit non modò dici potest cognoscere Deum qui ipsam in se includit; dici etiam potest aliquatenus cognoscere res ut eas Deus cognoscit. Ac revera mens illa diversas rerum relationes cognoscit, Deus pariter: Illas cognoscit in perceptione seu in contemplatione perfectionum Divinarum, nec etiam alio modo cognoscuntur a Deo. Deus enim nec sentit nec imaginatur: In se ut in mundo intelligibili videt mundum materiale & sensibilem quem creavit. De mente quæ veritatem cognoscit res eodem se habet modo. Illam nec sentit nec imaginatur: sensationes & phantasmata nihil menti nisi falsas repræsentant relationes: & quicumque veritatem assequitur illam assequi nequit nisi in mundo intelligibili cui adhæret, & in quo Deus ipse illam videt, námque iste mundus materialis & sensibilis non est intelligibilis per se. Mens igitur videt in lumine Dei, sicut Deus ipse, quæcunque clarè videt; quamvis illa non videat nisi modo valde imperfecto, ideóque longè aliter ac Deus illa videt. Itaque cum mens veritatem videt, non modò conjungitur cum Deo, ipsúmque possidet, verùm etiam aliquo sensu videt veritatem eodem modo quo Deus.

Pariter quum amamus secundum virtutis leges, Deum amamus. Nam quum amamus secundum istas leges, impressio amoris quam Deus in corde nostro ut versùs ipsum convertamur indefinenter producit a libero arbitrio non deflectitur, nec in philautiam transmutatur. Mens tum liberè duntaxat sequitur impressionem ipsi a Deo datam; cum autem Deus ipsi nullam det impressionem quæ versùs ipsum non tendat, quoniam propter se solum agere potest; amare juxta leges virtutis idem esse ac amare Deum evidenter patet.

Sed id non modò est amare Deum, est præterea amare ut Deus amat: opera sua non amat nisi quia aliquam habent analogiam cum perfectionibus suis; & illa amat juxta proportionem relationis quam ha-



bent cum istis perfectionibus. Denique idem amor est quo Deus amat seipsum & omnia quæ fecit. Amare secundum leges virtutis, est Deum unicè amare; ipsum in omnibus amare, ac res amare prout bonitatem & perfectiones Dei participant, hoc est, ipsas amare prout sunt amabiles, uno verbo est amare per impressionem ejusdem amoris quo Deus seipsum amat; námque cum amamus ut par est tunc eo movemur amore quo Deus seipsum & omnia relatè ad se amat. Tunc igitur amamus ut Deus amat.

Igitur, omnem perfectionem nostram a cognitione veritatis & legitimo virtutis amore oriri evidens est; cum ista veritatis cognitio, isteque virtutis amor ex conjunctione nostrâ cum Deo ordinariò sequantur, ipsiusque Dei possessionem nobis concilient, quantum id fieri potest in hac vitâ. Ex cæcitate mentis, vice versâ, & cordis corruptione oritur tota imperfectio nostra; atque hæc duo ex conjunctione mentis nostræ cum corpore oriuntur, ut id in multis locis ostendi, ubi demonstravi nos nunquam veritatem cognoscere, verumque bonum amare, dum sequimur sensuum, imaginationis, & affectuum nostrorum impressiones.

Hæc sunt evidentiâ. Homines tamen qui entis sui perfectionem omnes ardentè cupiunt, suam cum Deo conjunctionem augere non fatigunt, & ad suam cum rebus sensibilibus fovendam & augendam conjunctionem perpetuò adlaborant. Tanti mali causâ nunquam satis explicari potest.

Possessio boni duos effectus in ipsius possessore naturaliter edere debet, ipsum nempe perfectiorem, & eodem tempore feliciorem reddere. Sed id non semper evenit. Fateor quidem mentem non posse actu aliquod bonum possidere, quin actu fiat perfectior; sed potest quandoque actu possidere aliquod bonum, nec tamen esse actu felicior. Qui veritatem meliùs cognoscunt, & bona amabiliora magis amant, semper actu perfectiores sunt iis qui in cæcitate & corruptione versantur, sed non semper actu sunt feliciores: De malo res eodem se habet modo; imperfectum simul & infelicem reddere debet: sed quamvis homines semper reddat imperfectiores; ipsos tamen non semper reddit infeliciores; aut illos non reddit infelices eâ proportionem quâ illos reddit imperfectos. Virtus sæpe dura est & amara, vitium verò dulce & jucundum. Ac probi potissimum fide & spe verè felices sunt, dum mali voluptatibus ex deliciis actu utuntur. Id quidem sic se habere non deberet, sic tamen se habet. Illud malum a peccato ortum est, ut dixi in capite præcedenti. Atque istud non modò totius cordis nostri pravitatis, verum etiam cæcitate & ignorantia mentis nostræ præcipua causâ est.

Hæc inordinatio imaginationi nostræ persuadet corpora posse esse bonum mentis, nam voluptas, ut sæpe dixi, est character aut indicium sensibile boni. Jam autem ex omnibus voluptatibus quibus hîc in terris fruimur maximè sensibiles illæ sunt quas per corpora percipere existima-



timamus. Ergo sine magno examine corpora esse posse, aut etiam actu esse bonum nostrum judicamus. Adversus enim naturæ instinctum obniti, & argumentis a sensu deductis resistere difficillimum est. Id nequidem mentem nostram subit. De inordinatione ex peccato ortâ neutiquam cogitamus. Corpora non posse agere in mentem nisi ut causas occasionales, mentem non posse immediatè aut per se aliquid corporei possidere, nec cum ullâ re conjungi, nisi per ipsius cognitionem & amorem; Deum solum supra ipsam esse, ipsamque ab eo duntaxat sensationibus voluptatis aut doloris remunerari aut puniri, illuminari & moveri, uno verbo affici posse, quocunque tandem sit modo, non attendimus. Istæ veritates quamquam ingeniis attentis evidentissimæ, ad nos convincendos eandem vim non habent ac fallax impressionis sensibilis experientia.

Quum aliquid ut nostrî partem, aut quum nos ut partem istius rei consideramus, tum nostram cum illâ re conjunctionem bonum nostrum esse judicamus; illam amore prosequimur, & amor iste eò major est quò res quâcum nos ut colligatos consideramus, nobis videtur pars præstantior totius quod cum ipsâ constituimus. Jam autem duo sunt argumenta quibus rem esse partem nostrî persuademur: instinctus a sensu ortus, & evidentia rationis.

Sensus instinctu mentem meam cum corpore meo conjunctam esse, meum constituere alteram partem entis mei persuadeor; illud non mihi evidentiam constat. Id lumine rationis non cognosco; sed dolore, aut voluptate quam sentio, dum res objectæ me feriunt, manus mea pungitur; & ex punctione dolorem patior; ergo manus mea entis mei partem constituit. Vestis mea laceratur, & ex laceratione nihil patior, ergo vestis mea non est pars mei: capilli mei sine dolore mihi abscinduntur, licet cum dolore vellantur; id Philosophos tenet ambiguos; quid decident nesciunt. Sed ex hoc ipsorum dubio liquet etiam sapientissimos instinctu sensus potius quàm lumine rationis judicare hæc vel illa efficere aut non efficere partem sui. Si enim hac de re per rationis evidentiam & lumen judicarent, nullo negotio cognoscerent mentem & corpus esse duo genera entium omnino opposita; mentem cum corpore non posse per se conjungi, sed per solam nostram cum Deo conjunctionem mentem lædi cum corpore percutitur, ut alibi dixi. Itaque, solo instinctu sensus corpus nostrum & omnia sensibilia quibus cohæremus, ut partes nostræ consideramus, hoc est ut partes illius quod in nobis cogitat & sentit: quia revera id quod non existit per evidentiam rationis agnosci nequit; cum evidentia veritatem solam videat.

At de rebus intelligibilibus res planè secus se habet; nam lumine rationis agnoscamus relationem quam habemus cum ipsis. Claro mentis visu percipimus nos cum Deo conjunctos esse modo longè strictiori & magis essentiali quàm cum corporibus, sine Deo nos nihil esse, nihil posse, nihil cognoscere, nihil sentire; ipsum esse totum quod sumus, nosque



nósque cum ipso, si id ita dici possit, partem perquam minimam duntaxat constituere. Lumen rationis innumera nobis proponit incitamenta ad Deum unice amandum, & corpora spernenda, utpote indigna amore nostro. Sed nostram cum Deo conjunctionem naturaliter non sentimus. Instinctu sensus Deum esse nobis instar omnium non cognoscimus nisi per gratiam Jesu Christi, quæ in quibusdam hunc sensum producit, ut per illum possint facilius vincere sensum contrarium, quo corporibus cohærent. Namque Deus ut author naturæ mentes fert ad sui amorem lumine rationis, non verò instinctus cognitione. Ac verisimile est ipsum ex quo duntaxat peccatum irrepsit, lumini addidisse, quasi authorem gratiæ, instinctum, delectationem prævenientem; quia lumen nostrum, utpote nunc debilissimum, ad Deum nos ferre nequit, & quia voluptatis aut instinctus contrarii impetu perpetuò debilitatur & inefficax redditur.

Nos igitur cum Deo & mundo intelligibili quem in se includit colligari lumine cognoscimus: at cum corpore nostro, ac per corpus nostrum cum mundo materiali & sensibili quem Deus creavit nos colligari sensu convincimur. Sed quia perceptiones ex sensibus ortæ sunt vividiores, efficaciores, frequentiores, & diutius durant quàm perceptiones ex lumine rationis ortæ, non mirum est quòd sensationes nostræ nos agitent, & amorem nostrum erga omnia sensibilia excitent, lumina verò rationis dissipentur, ac nullo in nobis erga veritatem ingenito ardore evanescant.

Non pauci quidem Deum esse verum ipsorum bonum persuasum habent, ipsum amant ut totum ipsorum & suam cum ipso conjunctionem augere & roborare enixè cupiunt. Sed pauci admodum sunt quibus notum sit nos per cognitionem veritatis cum Deo naturali conjunctione colligari; nos veras rerum ideas contemplando Deum aliquo modo possidere; & perceptiones istas abstractas quarundam veritatum generalium & immutabilium, quibus veritates speciales nituntur, esse conatus mentis quæ Deo adhærescit, & a corporibus recedit. Metaphysica, Mathematica puræ, & omnes scientiæ universales, quibus scientiæ speciales fundantur & includuntur, quemadmodum ens universale specialia omnia entia includit, omnibus penè hominibus, probis æquè ac iis qui nullo ducuntur veritatis amore, futiles videntur. Ad eò ut applicationem ad istas scientias esse purissimam & perfectissimam applicationem mentis ad Deum vix dicere ausim, & in contemplatione mundi intelligibilis circa quem eæ versantur scientiæ, Deum ipsum cognoscere & producere mundum istum sensibilem, a quo corpora accipiunt vitam, ut ex altero mentes alimentum recipiunt.

Qui sensuum impressiones, & affectuum motus duntaxat sequuntur, veritatem non possunt degustare, quia iis illa non adblanditur. Probi verò qui affectibus perpetuò obluçantur, illis, falsæ bona sibi offerentibus, semper non resistunt cum veritatem ipsorum oculis subducunt,



ducunt, aut illam ipsis despiciabilem præbent: Quia probi esse possumus, quamvis valde eruditi & perspicaces non simus. Ut Deo acceptissimi necesse non est accuratè scire sensus nostros, imaginationem, & affectus nobis semper res aliter repræsentare quàm revera sunt: Etenim Jesum Christum, nec Apostolos a multis erroribus, quos Cartesius circa hanc materiam retexit, nos expedire voluisse non patet.

Inter fidem & intelligentiam, Evangelium & Philosophiam, multum interest discriminis. Crassissimi homines fidei capaces sunt, quamvis paucissimi puræ cognitionis veritatum evidentium sint capaces. Fides Deum simplicibus repræsentat ut Creatorem cœli & terræ; atque id sufficit ut ad ipsum amandum & colendum ferantur. Ratio illum non modò considerat in operibus ejus; erat enim id quod est antequàm mundum creasset; illum in seipso contemplari conatur, aut per ingentem illam & vastam ideam Entis infinitè perfecti quam in se includit. Filius Dei qui est sapientia Patris aut veritas æterna, humanam induit naturam, & factus est sensibilis, ut hominibus carnalibus & crassis innotesceret. Illos instituere voluit per id quod ipsos occæcabat, scilicet eos per sensus ad ipsum amandum ferre, & a bonis sensibilibus avertere ipsos voluit per res ipsas quibus mancipabantur. Cùm stultis acturus quadam stultitiæ speciem usus est, ut eos redderet sapientes. Itaque probi, ac qui majore præditi sunt fide, non semper majori præditi sunt intelligentiâ. Deum per fidem cognoscere, ipsumque auxilio gratiæ amare possunt, quamvis ipsum esse suum totum non intelligant, ut id Philosophi intelligere valent, & quamvis non cogitent cognitionem abstractam veritatis esse quamdam cum Deo conjunctionem. Mirum igitur non est quod tam pauci in id incumbant ut naturalem suam cum Deo conjunctionem per veritatis cognitionem augeant; cùm, ut eam augeant, adversus sensuum & affectuum impressiones pugnandum sit, modo longè diverso ab eo quo Viri piissimi adversus sensus & affectus pugnare solent. Nam probissimi viri sensus & affectus eo modo esse fallaces quo explicuimus in libris præcedentibus non semper persuadentur.

Solæ sensationes aut cogitationes quarum corpus particeps est, immediatè gignunt affectus, quia sola fibrarum cerebri commotio excitat aliquam agitationem specialem in spiritibus animalibus. Itaque solæ sensuum perceptiones nos convincunt modo sensibili, nos quibusdam rebus adhærere erga quas istæ perceptiones sensibiles amorem in nobis excitant. Jam autem conjunctionem quam habemus cum Deo, dum veritatem cognoscimus, sensu non percipimus; immò de ipso nequidem cogitamus, nam in nobis modo ita arcano & impercepto inest & operatur, ut illum nequaquam deprehendamus. Conjectio igitur quam naturaliter cum Deo habemus amorem nostrum erga ipsum non excitat. Sed de conjunctione quam habemus cum rebus sensibilibus res secus se habet. Omnes sensationes nostræ istam nobis probant conjun-



tionem. Corpora quum in nobis agunt visum nostrum feriunt, ipsorum actio nihil habet occulti. Immo corpus nostrum nobis propius ad est mente, illudque ut potiore nostrum partem consideramus. Itaque conjunctio quam cum corpore nostro habemus, & per corpus nostrum cum omnibus rebus sensibilibus excitat in nobis amorem violentum, quo ista conjunctio augetur, & a rebus nobis longè inferioribus dependentes efficimur.

## CAPUT VI.

*De erroribus generalioribus affectuum, Quædam exempla specialia asseruntur.*

**O**Mnes errores speciales in quos circa bonum nos injiciunt affectus nostri reterege; amores immoderatos, & inordinatos impugnare; cordis integritatem restituere & mores regere Ethicæ est. Sed propositum nostrum præcipuè postulat ut mentem dirigamus, & causas errorum nostrorum circa veritatem patefaciamus. Mentem solam considerandam habemus, si verò obiter de corde agamus, id fit quia cor menti dominatur. Veritatem in seipsâ sine ullâ relatione ad nos quærimus, & relationem quam habet nobiscum consideramus, quia illa relatio efficit ut philautia illam veritatem nobis abscondat, & velet. Nam de omnibus ex affectibus nostris judicamus, ac ideo in omnibus fallimur; quippe judicia affectuum cum veritate nunquam conveniunt.

Id nos docet D. Bernardus his verbis. *Amor sicut odium veritatis Joan. 5.30. judicium nescit. Vis judicium veritatis audire? Sicut audio, sic judico: non sicut odi, non sicut amo, non sicut timeo. Est judicium odii, ut il-*  
*Joan. 19. 7. lud: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori.*  
*Joan. 11. 48. Est & timoris, ut illud: Si dimittimus eum, venient Romani & tol-*  
*lent nostrum locum & gentem. Judicium verò amoris, ut David de*  
*2.Reg. 18. 5. filio parricidâ. Parcite, inquit, puero Absalom: Bernard. De grad.*  
*humilitatis. Amorem & odium sequendo falsò semper judicamus; pu-*  
*rum veritatis lumen nos solùm illuminat; nec nisi distinctam nostri om-*  
*nium Magistri vocem audiendo solida ferre possumus judicia; dummodo*  
*de iis tantum quæ nos docet, ac prout docet, judicemus. Sicut audio,*  
*judico. Sed quo pacto nos decipiant affectus videamus, ut iis resistere*  
*facilius possimus.*

Affectus autem tantam cum sensibus habent relationem, ut, quomodo illi in errorem nos injiciant, post ea quæ de his Primo Libro diximus, explicare difficile non sit. Generales enim affectuum erro-



errores, generalibus sensuum erroribus planè similes sunt.

Errores sensuum, ut primo Libro diximus, ex eo potissimum in genere oriuntur, quòd rebus externis, aut corpori nostro tribuamus sensationes menti soli proprias, quòd colores superficiei corporum alligemus; lucem, sonos, odores in aëre diffundi credamus: quòdque titillationem & dolorem in partibus corporis nostri, quibus mutationes quædam per motum corporum obviorem contingunt, inesse existimemus.

De affectibus idem penè ferendum est iudicium. Omnes cordis nostri affectiones, bonitatem, lenitatem, malignitatem, asperitatem nostram, omnesque animi affectus, rebus objectis, quæ ipsos movent aut movere videntur, imprudenter tribuimus. Res objecta quæ in nobis aliquem affectum excitat, id quod in nobis excitat, dum de illa cogitamus, in se includere aliquo modo nobis videtur; quemadmodum res sensibiles sensationes quas in nobis præsentia suâ excitant in se includere videntur. Quum aliquem amamus, ad id naturaliter ferimur ut credamus nos etiam ab ipso amari; ipsumque nobis nocere aut desiderii obstare velle ægrè possumus suspicari. At si odium amori succedat, illum hominem erga nos benevolo animo ferri credere non possumus: omnes ipsius actiones in malam partem accipimus. Ab ipso nobis perpetuò cavemus, quamquam aut de nobis ne cogitat quidem, aut nobis duntaxat prodesse quærit. Omnes denique cordis nostri affectiones, illi immeritò tribuimus a quo in nobis excitatur affectus quispiam; non secus ac rebus quæ sensibus se se objiciunt omnes mentis sensationes imprudenter affingimus.

Præterea eadem ratione quâ omnes homines iisdem ac nos affici sensationibus earumdem rerum objectarum occasione existimamus, eadem pariter ratione, omnes homines iisdem ac nos moveri affectibus ob eandem res credimus. Quod amamus ab aliis etiam amari, quod desideramus ab aliis desiderari arbitramur. Atque hinc oriuntur invidiæ, occulta odia, si bonum quod prosequimur a multis totum possideri nequeat; Nam si multi illud indivisum possidere queant, ut summum bonum, scientiam, virtutem, &c. res secus se habet. Eadem etiam ab aliis odio haberi, refugi, & timeri credimus quæ nos odimus, fugimus, timemus; atque hinc multæ societates, conspirationes occultæ, aut manifestæ, secundum naturam & statum rei exortæ, quia per eas societates nos e miseris emersuros confidimus.

Igitur rebus objectis commotiones quas in nobis edunt tribuimus, & alios homines, ac quandoque etiam bruta iis etiam agitari censemus, sed præterea causam affectum quæ sæpe imaginaria est, realiter in aliquâ re objectâ esse temerariò iudicamus.

Quum aliquem vehementi prosequimur amore, omnia in ipso amore digna iudicamus. Si sit ore contorto, id venustatis aliquid habere nobis videtur; ipsius deformitas non displicet; motus abnormes



& gestus malè compositi regulares, aut saltem ex ejus naturâ fluentes videntur. Si nunquam loquitur, sapit, si semper, mirifico præditus est ingenio; si de rebus omnibus, est ad omnia paratus; si alios, dum loquuntur, perpetuò interpellat, ad ipsius ingenii vivacitati imputabitur. Si primas ubique tenere ambiat, primo loco dignus est. Sic affectus omnia amicorum vitia tegit & incrustat, mediocrésque virtutes extollit.

At si ejusmodi amicitia sanguinis & spirituum animalium agitatione, ut cæteri affectus, duntaxat freta, deficientibus (spiritibus refrigescat, aut si aliquis alius affectus interveniens sycophantæ alicujus maledicentiâ cerebri dispositionem immutet; tum odium amori succedens imaginationem nostram ita inflectet, ut in eodem homine omnia sibi repræsentet vitia quæ legitimam parere possunt averfationem. In eodem homine dotes videbimus iis prorsus contrarias, quas in eo antea admirabamur. Ipsum amasse nos pudebit: ac affectus non dominans sibi ipsi patrocinabitur, & affectum priorem ridiculum reddet.

Affectuum imperium & injustitia ulterius longè excedunt; fucant quippe non modò rem ipsam objectam, sed omnia etiam quæ cum ipsa aliquam habent relationem. Non solùm omnes amicorum affectiones amore dignas nobis inducunt, sed etiam plerasque affectiones quas in amicorum amicis deprehendimus. Ulterius etiam progrediuntur in iis qui imaginatione vastâ & vividâ pollent. Ipsorum enim affectus tanto in mentem potiuntur imperio, ut ipsius limites designare difficile sit.

Ex his tot oriuntur præjudicia, & injustè facta, ut omnem numerum excedant. Pleræque veritates seu potius errores qui in quibusdam locis, temporibus, societatibus, familiis vigent, ex iis generalibus & fœcundis ducuntur principiis. Quod in Hispaniâ verum est, in Galliâ falsum habetur. Quod Parisiis admittitur, Romæ rejicitur. Quod apud Franciscanos certum est, apud Dominicanos damnatur ut error, & vice versâ. Dominicani a D. Thomæ partibus stant, quare verò? Quia Sanctus ille Doctor ex ipsorum ordine erat. Hi verò Scoti doctrinam amplectuntur, quia Scotus erat Franciscanus.

Sunt etiam veritates & errores quorumdam temporum. Ante bis mille annos terra movebatur; hætenus immobilis manserat; jam denuo moveri incipit. Aristotelis libri olim cremati fuere; & Concilium Provinciale a Papâ probatum prudentissimè interdixerat ne exponeretur ejus Physica. Abhinc omnium admirationem movit. Nunc contemtu esse incipit. In scholis opiniones nunc admittuntur quæ ut hærefes olim repudiatae fuerunt, & quarum defensores ut hæretici a nonnullis Episcopis anathemate percussi sunt. Quia cum ex affectibus partium studia orientur, hinc nascuntur ejusmodi veritates aut errores æquè instabiles ac causa e quâ nascuntur. Exempli gratiâ homines per se sunt adiaphori circa stabilitatem terræ, & formam *corporeitatis*; at verò ipsorum

Conc. Angl.  
Spelmann.  
ann. 1287.



forum circa istas opiniones adiaphoria definit, ubi ab iis quos odio habent defenduntur. Itaque odium confuso quodam pietatis sensu admixtum ac veluti fotum zelum parit temerarium, qui paulatim effervescentes eventus illos producit qui hominibus stupendi non videntur nisi diu postquam evenerunt.

Affectum eò usque extendi vix credibile est; sed affectus ad ea omnia extendi quibus ipsis potest satisfieri, sciendum est. Aman toti populo Judæo forsân non succensebat, verum quia Mardocheus gente Judæus ipsum non salutat, totam gentem Judæam perdere decernit, ut ultio sit memorabilior.

Litigatores de fundo quopiam litigant. Ut lis dirimeretur, titulos suos duntaxat proferre, & id solum quod ad rem pertinet, causæque prodesse valet, dicere deberent; attamen sese mutuo maledictis lacessere, sibi invicem contradicere, querelas & accusationes inutiles movere, ac litem innumeris rebus adventitiis, ac ut ajunt, accessoriis quæ summam rei confundunt, intermiscere non desinunt: omnes denique affectus æquè latè patent ac acies ingenii eorum qui ipsis moventur. Quippe, nihil ad rem objectam quæ movet affectum aliquam habere relationem existimamus, ad quod protinus motus affectuum illorum non extendatur, idque hoc modo.

Rerum objectarum vestigia inter se invicem in cerebro ita colligantur, ut cursus spirituum aliquod ex illis vestigiis excitare nequeant quin multa eodem tempore aperiantur. Præcipua igitur idea rei de quâ cogitamus necessariò conjungitur cum pluribus ideis adventitiis, quæ eò magis augentur quò spirituum animalium impressio violentior est. Jam autem ista spirituum impressio non potest quin sit violenta in affectibus, quia affectus in cerebrum affatim & magno impetu perpetuò mittunt spiritus ad id aptos ut conserventur vestigia idearum quæ rem objectam repræsentant. Itaque motus amoris & odii non modò extenditur ad præcipuam rem objectam quæ movet affectum, sed etiam ad ea omnia quæ cum illâ re objectâ aliquam relationem habere videntur. Quia motus affectu excitatus sequitur perceptionem mentis, quemadmodum motus spirituum animalium in cerebro sequitur vestigia cerebri, tum ea quæ ideam præcipuam rei objectæ excitant, tum alia quæ ad illam referuntur.

Mirum igitur non est quòd iram & odium tam longè ferant homines, & actiones tam ridiculas & stupendas patrent. Horum omnium effectuum ratio quædam est specialis; etsi illam non cognoscamus. Ipsorum ideæ adventitiæ seu accessoriæ nostris semper similes non sunt; ipsasque cognoscere nequimus. Itaque semper quædam est ratio ob quam ita absurde agere nobis videntur.



## CAPUT VII.

*De affectibus speciatim, & primò de admiratione & pravis ipsius effectibus.*

**H**Actenus de affectibus in genere duntaxat actum est, sed inde consequentias speciales elicere non est difficile, dummodo ad ea quæ in nobis aguntur, & ad cæterorum hominum actiones animus advertatur. Quippe hoc pacto uno intuitu plures reteguntur veritates, quæ non nisi longo temporis spatio possent explicari. Sed homines intra seipsum tam rarò se recipiunt, ac id tantopere refugiunt, ut in specialem hinc explicationem descendere operæ pretium sit, ad ipsorum attentionem excitandam.

Dum nosmet ipsos palpamus ac percutimus, sensu destituti penè nobis videmur. Verùm cum ab aliis duntaxat tangimur, satis vividè afficimur, ut attentio nostra excitetur. Uno verbo, nosmet ipsos non titillamus, id nequidem mentem nostram subit, ac forsan frustra tentaretur. Res eodem fermè modo se habet de mente. Mens seipsam explorare ac scrutari non aggreditur, ejusmodi scrutinium ipsi displicet & fastidium parit, ac omnes mentis proprietates & affectiones non agnoscit & sentit nisi ubi ab aliis monetur & excitatur. Itaque ut nonnullis cognitio sui facilior fiat, affectus paulò specialius sunt explicandi, ut ipsos tangendo & movendo, omnes mentis affectiones meliùs exponi queant.

Eos tamen qui infrà dicenda legent monitos velim ne mirentur, si iis quæ sum dicturus semper non afficiantur, nec se affectibus & erroribus de quibus loquar obnoxios agnoscant, quippe omnes affectus speciales iidem semper non sunt in omnibus hominibus.

Omnes homines easdem habent inclinationes naturales, quæ nullam ad corpus relationem habent. Easdem etiam omnes habent quæ ad corpus referuntur, quum bene dispositum est. Sed varia corporum temperamenta, ipsorumque frequentes mutationes infinitam in affectibus specialibus varietatem pariunt: quòd si varietati constitutionis corporum addatur diversitas rerum objectarum quæ in eos qui eadem non obeunt munera, vitamque eodem modo non instituunt, impressiones planè diversas agunt; evidentè patebit homines iidem rebus æqualiter non affici. Itaque maximum esset erroris periculum, si quid alii sentire debeant per id quod nos sentimus semper judicemus.

Haud credo me hallucinari, dum assero omnes homines velle esse beatos.



beatos. Certò enim mihi constat Sinenses & Tartaros, Angelos & ipsos Dæmonas, omnes denique spiritus felicitatem optare. Immo notum est mihi nullam unquam mentem a Deo creari posse sine illo desiderio. Id me non docuit experientia: Nec Sinensem nec Tartarum unquam vidi. Id mihi conscientia intus non testatur; interno enim illo conscientia testimonio tantum comperio me velle esse beatum. Deus solus potest me convincere cæteros omnes homines Angelos & Dæmones velle esse felices. Ipse solus potest me certiore facere, mentem a se nunquam creatum iri quæ erga felicitatem sit adiphora. Quis enim præter ipsum positivè docere me posset ea quæ facit, aut etiam quæ cogitat? Quia verò nunquam me fallere potest, quæ ipse me docet in dubium revocare nequeo. Certò igitur scio omnes homines velle esse felices, quia ista inclinatio naturalis est, nec pendet a corpore.

De specialibus affectibus res eodem modo non se habet. Si musicam, choream, venationem præ cæteris adamo, si saporibus dulcibus aut acutis delector, hinc nihil quicquam certi circa cæteros homines concludere mihi licet. Voluptas sanè dulcis & grata est omnibus hominibus, sed omnes ex iisdem rebus non percipiunt voluptatem. Amor voluptatis est inclinatio naturalis, nec pendet a corpore: igitur communis est omnibus hominibus. Sed musicæ, venationis, aut saltationis amor non est generalis; quia cum diversa sit in omnibus hominibus corporis dispositio e quâ pendet, omnes affectus qui ab eâ pendent iisdem semper non sunt.

Affectus generales, ut desiderium, gaudium & tristitia, inter inclinationes naturales & affectus speciales medium locum obtinent, generales sunt non secus ac inclinationes, sed æquè vehementes non sunt; quia causa ex quâ oriuntur & foventur æqualiter non agit in omnibus. In gradibus agitationis spirituum animalium, in ipsorum copiâ & paucitate, soliditate aut tenuitate, & in relatione fibrarum cum his spiritibus varietas est infinita.

Itaque sæpe contingit ut de quibusdam affectibus specialibus loquendo alios nequaquam, ac, ut ita dicam, in nullâ mentis parte tangas; at verò si semel de affectibus specialibus loquendo illos tetigeris, tum vehementer moventur. De affectibus generalibus & inclinationibus res planè secus se habet, dum enim de illis loqueris, omnes quidem afficiuntur, sed modo debilissimo, ac veluti impercepto. Hæc præmitto, ne quis de sententiæ meæ veritate judicet, ex iis quæ dictorum meorum occasione jam sensit, aut in posterum ex dicendis sentiet, sed considerando naturam affectuum de quibus sermo est.

Si de omnibus affectibus specialibus agere aggredieremur, aut si illos per res objectas quibus excitantur distingueremus, nullus esset dicendi finis, & eadem semper dicenda recurrerent; tum quia innumeræ sunt res quæ affectus movent, tum etiam quia de eodem argumento semper



per ageretur. Speciales erga Poesin, Historiam, Mathematicas Disciplinas, Venationem, Saltationem, affectus, nihil sunt præter eundem affectum generalem. Quippe, exempli gratiâ, desiderii, aut gaudii affectus circa omnia quæ nobis arident inter se non differunt, quamvis singulæ res objectæ quæ arident inter se discrepent.

Numerus igitur affectuum non est multiplicandus, juxta numerum rerum objectarum quæ innumeræ sunt propemodum, sed duntaxat juxta præcipuas relationes quæ nobiscum habere possunt. Atque hoc pacto patebit amorem & odium esse principia omnium affectuum; ab illis alios non gigni affectus generales quàm desiderium, gaudium & tristitiam: affectus speciales ex his tribus primitivis derivari; ac eò magis esse complexos, quò idea præcipua boni aut mali quæ excitantur majori numero idearum adventitiarum comitatur, vel quò bonum & malum plures circumstantias ad nos relativas comites habet, ut inferiùs explicabitur.

Lib. 2. c. 5.

Si ea quæ de idearum connexionem dicta sunt in memoriâ revocentur, & attendamus in vehementibus affectibus spiritus animales, utpote valde agitato, excitare in cerebro omnia vestigia quæ cum re objectâ quæ exagitamur relationem habent, facile agnoscemus varios & multiformes esse affectus quæ nomine peculiari & proprio carent, ac proinde explicari nequeunt.

Si affectus primitivi ex quorum combinatione alii gignuntur diversos gradus suscipere non possent, omnium affectuum numerus nullo negotio determinaretur. Sed numerus affectuum ex aliorum combinatione ortus infinitus esse necessariò debet; quippe cum idem affectus innumeris habeat gradus, sese cum aliis jungendo potest combinari innumeris diversis modis. Adeo ut duos fortè nunquam reperias homines eodem affectu motos; si per eundem affectum intelligas omnium motuum æqualium & sensationum similium quæ in nobis rei alicujus objectæ occasione excitantur, connexionem.

Sed cum hi diversi gradus non mutant speciem, numerus affectuum infinitus dici nequit, quia circumstantiæ quæ bonum & malum comitantur non sunt infinitæ. Sed ad affectuum specialium explicationem deveniamus.

Quum primùm quid videmus, aut jam multoties visum denuò cernimus, aliis indutum circumstantiis, tum obstupescimus, & rem illam miramur. Itaque nova idea, vel nova connexio pristinarum idearum affectum imperfectum in nobis gignit, qui omnium primus est, quemque admirationem vocamus. Istum affectum imperfectum dico, quia ideâ aut sensu boni non excitatur.

Cerebro tum in quibusdam locis agitato ubi nunquam fuerat agitato, aut modo planè novo & insolenti, mens agitatione illâ vehementer afficitur, ac proinde ad istius rei objectæ novitatem enixè incumbit: eadem ratione quæ simplex titillatio in plantâ pedum, novitate potius



tius quàm vehementiâ impressionis<sup>o</sup> excitat in mente sensationem maxime vividam. Multæ adhuc sunt causæ cur mens rebus novis adjungatur, quæ, quando de inclinationibus naturalibus actum fuit, explicui. Mens hîc duntaxat consideratur relatè ad corpus, & secundùm illam relationem commotio spirituum est causa naturalis ipsius applicationis ad res novas.

In admiratione, quâ tali, res non considerantur nisi ut in se sunt, vel prout nobis videntur: illas nec relatè ad nos, nec ut bonas, aut malas consideramus. Atque hanc ob causam spiritus in musculos non diffunduntur, ut in corpore dispositionem forment aptam ad prosequendum bonum, vel fugiendum malum, nec nervos, ad cor, aut viscera pertinentes agitant, ut sanguinis fermentationem & motum accelerent aut morentur; ut fieri solet in cæteris affectibus. Omnes spiritus versùs cerebrum tendunt ut in eo forment imaginem vividam & distinctam rei objectæ quæ stupefecit, ut illud mens contempletur, & agnoscat: sed reliquum corpus veluti immobile & in eodem situ remanet. Sicut nulla est in mente commotio, nullus pariter est in corpore motus.

Si magna nobis videntur quæ miramur, admirationem semper sequitur existimatio, & nonnunquam veneratio. At contrà si parva videntur, admirationem semper sequitur contemptus & sæpenumero fastidium.

Magnitudinis idea ingentem excitat in cerebro spirituum motum; & vestigium quo repræsentatur diutissime conservatur. Ingens pariter spirituum motus magnitudinis ideam in mente excitat, ipsamque istius ideæ contemplationi diu applicat.

Parvitas idea parvum in cerebro excitat spirituum motum, & vestigium quo repræsentatur diu non durat. Exiguus spirituum motus parvitas ideam etiam in mente excitat ac mens istius ideæ contemplationi tantisper appellitur. Hæc attentione dignissima sunt.

Quum nosmet ipsos consideramus, aut aliquid nobis adhærens, admiratio nostra nunquam subsistit in nobis sine aliquo affectu. Sed agitatio nostra est in solâ mente, & in spiritibus qui ad cor deferuntur; cum enim nullum bonum sit prosequendum, aut malum fugiendum, spiritus in musculos non diffunduntur ut corpus ad aliquam actionem præparent.

Consideratio perfectionis entis nostri, aut alicujus rei quæ ad illam perfectionem pertineat, superbiam, aut nostrî existimationem, aliorum contemptum, gaudium, & quosdam alios affectus naturaliter parit, propriæ nostræ magnitudinis contemplatio arrogantiam gignit. Roboris nostri cognitio generositatem, aut audaciam, & consideratio alius cujuspiam prærogativæ, alium affectum superbiæ quàm proximum producet.

Contrà verò consideratio alicujus imperfectionis entis nostri, aut alicujus rei ad nos pertinentis animi demissionem, nostrî contemptum, erga alios venerationem, tristitiam, & alios quosdam affectus movet. Parvitas nostræ cognitio animi infractionem, debilitatis conscientia timiditatem; & alicujus vitii nobis innati consideratio alium producet affe-



etum animi demissioni valde propinquum. Sed ista animi demissio non secus ac superbia, propriè loquendo, nec vitium, nec virtus est. Utrumque nihil aliud est præter affectus, aut commotiones involuntarias, societati civili tamen utilissimas; immo in quibusdam casibus ad vitæ aut bonorum conservationem omnino necessarias.

Animi demissio, exempli gratiâ, & timiditas necessariae sunt, immo istam mentis affectionem habitu modesto & venerabundo testari necesse est, ubi adstant coram viro nobili, vel feroci, & potenti: nam penè semper utile est bono corporis, ut imaginatio deprimatur ad conspectum magnitudinis sensibilis, ac summissionis & internæ venerationis externa præbeat testimonia. Verùm id fit naturæ ductu, & mechanicè, sine ullâ voluntatis participatione; immo sæpe ipsâ reluctante. Ipsâ bruta, exempli gratiâ, canes, quibus necesse est eos quibuscum vivunt demulcere, machinam ut plurimum ita habent dispositam, ut eum induant habitum externum, qui relatè ad eos quibus circumdantur sit consentaneus; id enim ad illorum conservationem planè necessarium est. Si verò aves aut quædam alia animalia dispositionem corporis aptam non habeant ad inducendum illum habitum, id fit quia non opus est ut eos pacent quorum iram fugâ vitare possunt, aut quibus ad vitæ conservationem non indigent.

Nunquam satis attendere possumus omnes affectus in nobis præfentiâ alicujus rei extra nos positæ excitatos in facie nostrâ imprimere mechanicè habitum affectui consentaneum, hoc est, habitum qui impressione suâ omnes adstantes mechanicè fingat ad affectus & motus utiles societati. Ipsa admiratio, quum in nobis duntaxat excitatur visu alicujus rei quæ sit extra nos, quamque aliî possint considerare; in facie nostrâ producit habitum qui in aliis admirationem mechanicè imprimat; & in ipsorum cerebro ita agit, ut spiritus in eo contenti in musculos faciei mittantur, ut in eo habitum nostro similem forment.

Ista affectuum mentis & motuum spirituum animalium communicatio, ut homines inter se colligentur relatè ad bonum & malum, utque sibi invicem prorsus similes fiant, non modò mentis affectione, verùm etiam situ corporis, eò major est, & faciliùs deprehendi potest, quò affectus sunt vehementiores; quia tum spiritus animales velociùs agitantur. Jam autem id sic se habere debet, quia quum bona & mala sunt majora & propinquiora, iis animus magis appellendus est, ac homines arctiùs inter se conjuncti esse debent, ut illa vel prosequi, vel fugere queant. Ubi verò affectus sunt moderati, ut solet esse admiratio, vix modo sensibili communicantur; nec habitum quo communicari solent penè imprimunt. Cum nihil sit quod urgeat, ipsos in aliorum imaginationem impetum facere, & a negotiis istorum affectuum consideratione forsan utilioribus dimovere necesse non est.

Hac affectuum nostrorum œconomiâ, & corporis dispositione relatè

ad



ad res objectas, quibus circumcingimur, mirabilius nihil est. Quicquid in nobis mechanicè agitur sapientià authoris nostri dignissimum est. Cumque Deus affectuum quibus agitatur eo fine nos rediderit capaces, ut præcipuè cum rebus omnibus sensibilibus nos colligaret ad societatis & entis nostri sensibilis conservationem, ipsius hac in re consilium tam fidelem, & accuratum fortitur executionem ut operis istius artem & varia quibus construitur organa satis mirari non possimus.

Attamen affectus nostri & omnia illa vincula impercepta, quibus cum rebus omnibus nobis circumjacentibus colligamur, nostrâ culpâ sæpe fiunt errorum & peccatorum causæ. Affectibus enim non utimur ut par est: omnia ipsis permittimus, nec vel limites quibus a nobis circumscribi debent novimus. Unde fit ut affectus per se debilissimi qualis est admiratio, nos sæpe tamen injiciant in errorem. Rem aliquot exemplis illustro.

Quum homines, ac ii præcipuè quibus est imaginatio vasta, sese considerant per illam partem quæ ipsis præstantior videtur, tum ipsi sibi met valde arrident, & internus ille applausus augetur, quotiescunque sese comparant cum aliis quorum imaginatio minùs agitur. Præterea tot hominum admirationem movent, & tam pauci sunt qui ipsis cum successu & approbatione resistant, (quis enim unquam rationi, coram homine imaginatione forti & vividâ prædito, plaudere aggrediatur?) Denique in auditorum facie, habitus summisionis & venerationis ita sensibilis, & indicia admirationis ita manifesta formantur, quotiescunque novum aliquod proferunt verbum, ut seipsos etiam mirentur, & imaginatio quæ ipsorum prærogativas auget, ipsis maximam sui existimationem injiciat. Si enim hominem affectu aliquo permotum videre non possimus, quin ipsius affectus impressionem in nobis recipiamus, ipsiusque sententiam amplectamur; quomodo fieri posset ut qui ingenti admiratorum cohorte stipantur, affectum philautiæ tam suaviter indulgentem non induerent?

Jam autem existimatio illa, quâ homines imaginatione forti & vividâ præditi sese & virtutes suas prosequuntur, ipsorum animum inflat, & habitum ita imperiosum imprimat, ut de omnibus decidere audeant. Alios nonnisi aspernabundi audiunt, ipsis cavillando duntaxat respondent, nihil nisi relatè ad se cogitant. Et mentis attentionem, quâ sine veritas inveniri nequit, veluti servitutum quandam habentes, nihil quicquam amplius discere valent. Superbia, ignorantia, & cæcitas unà semper procedunt. Homines illi qui ingenii fortitudinem affectant, vel potius homines vani & superbi, veritatis discipuli esse nolunt, apud seipsos se non recipiunt nisi ut sese contemplantur & admirentur. Itaque qui superbis resistit, in ipsorum tenebris lucet quidem, sed tenebræ non discutuntur.

Contra, quædam est dispositio in spiritibus animalibus & sanguine, quæ nos nimis dejicit, efficitque ut de nobis demissius æquo sentiamus.



tiamus. Inopia, tarditas, & tenuitas spirituum animalium conjuncta cum crassitudine fibrarum cerebri imaginationem nostram efficiunt debilem & languentem. Atque istius debilitatis & languoris imaginationis nostrae cognitio confusa nos in quandam adducit animi demissionem violentam, quae animi infractio dici potest.

Omnes homines veritatis capaces sunt, sed eum non adeunt qui solus ipso eam docere potest. Superbi ad seipso sese convertunt, alioque audire recusant; qui vero pravâ animi demissione laborant ad superbos confugiunt, ac sese illorum decisionibus mancipant. Utrique homines duntaxat audiunt. Ingenium superbiorum fermentationi sanguinis, hoc est propriae imaginationi morem gerit. Ingenium eorum qui pravâ animi demissione laborant imperioso superbiorum habitui cedit. Et sic utrique vanitati & mendacio mancipantur. Superbus dives est & potens, ingenti stipatur famulantium catervâ, & magnitudinem suam juxta potentiam, divitias, & dignitates quibus supra alios eminent metitur; qui vero pravâ animi demissione laborat, eodem quidem spiritu ducitur, sed quoniam miser est, egenus, debilis, & languidus, se nihil esse arbitratur, quia nihil possidet. Attamen divitiarum, dignitates, & cetera ejusmodi externa nobis sunt merè accidentalia; in his nequaquam consistit essentia nostra, ac tantum abest ut copia sanguinis & spirituum, imaginationis vigor & impetus, ad veritatem nos ducant, ut contra ab eâ nullâ aliâ re magis abducamur. Ingenia obtusa, ut ita loquar, frigida, & languida, veritates solidissimas & abstrusissimas melius apprehendere & veritatem ipso in intimo rationis recessu docentem silentibus affectibus facilius audire possunt: sed ipso verbis attentionem præbere nequeunt. Sine ullo sensibili fulgore, & summissima voce loquitur, jam vero illi solo tumultu excitantur. Id solum quod micat, magnumque, & magnificum sensuum iudicio videtur ipso convincere potest. Splendore ipso perstringente gaudent. Philosophos phantasmata & somnia ipso obrudentes, ac Pseudoprophetarum exemplo falso gloriantes se a veritate eruditos fuisse, ipso veritati reapse loquenti anteponunt. Ante quater mille annos superbia ingenii humani ipso non renuentibus illudit: immo istius superbiae mendacia tanquam traditiones Sanctas & Divinas venerantur & conservant. Deum veritatis ab ipso discessisse diceres, de ipso non amplius cogitant, ipsum non amplius consulunt, non amplius meditantur, suamque pigritiam & socordiam falsis animi demissionis speciebus tegunt.

Veritatem propriis viribus nostris nos non posse deprehendere concedo quidem, sed, Deo nos illuminante, id possumus quod omnium omnino hominum auxilio nunquam fieri posset. Immo qui veritatem certius cognovere, illam nos docere non possunt, nisi eum interrogemus quem ipso interrogavere, ac nisi pariter attentioni nostrae respondeat. Hominibus igitur credendum non est, quia ipso lo-

quuti



quiti sunt, nam omnis homo fallax est; sed quia Deus, qui fallere nunquam potest, nos alloquutus est, ipsum indefinenter interrogare debemus. Iis credere non debemus qui aures duntaxat alloquuntur, corpus solum instituunt, & in solam imaginationem agunt. Sed eum attentè auscultare debemus qui mentem alloquitur, rationem instituit, ac in intimum hominis interni recessum penetrans, ipsum illuminare, & corroborare potest adversus hominem externum & sensibilem, a quo perpetuò decipitur. Hæc utpote maximâ animi attentione digna sæpius repeto. Deus solus colendus est. Ipse solus lumen nobis effundere potest, ut solus etiam potest voluptates, in nobis excitare.

In spiritibus animalibus & in reliquo corpore quædam nonnquam inest dispositio quâ ad venationem, choream, cursum, & in genere ad omnia exercitia, in quibus corporis robur & dexteritas exeruntur, excitamur. Hæc dispositio juvenibus ac iis præcipuè quorum corpus nondum omnino formatum est, inesse solet. Pueri in eodem loco perstare diu nequeunt, in perpetuâ versantur actione, quum indoli suæ sese permittunt. Cum ipsorum muscoli perfectum nondum attigerint robur, nec sint omnino conformati, Deus utpote Author naturæ voluptates mentis corporis bono adtemperans, efficit ut exercitiis corporeis delectentur ad corroborandum corpus. Itaque, dum carnes & fibræ nervorum adhuc molles sunt, viæ per quas spiritus animales necessariò emitti debent ad producendos quoslibet motus sternuntur & conservantur, nullique coacervantur humores quibus istæ viæ præcludantur, vel quorum putrefactione pars aliqua corrumpatur.

Plerique juvenes corporis sui dispositionem confuso quodam modo sentiunt, ac ideo ipsius robur & agilitatem cum voluptate vident. Sese demirantur dum ipsius motus moderari, aut illud novo quodam modo movere possunt. Ab aliis spectari & laudem accipere gestiunt. Atque hoc pacto amorem suum erga omnia corporis exercitia fovent & adaugent; ac iste amor inter præcipuas ignorantiae & ferocitatis hominum causas ultimum non obtinet locum. Præterquam quod enim multum temporis in ejusmodi exercitiis teritur, infrequens ac penè nullus rationis usus efficit, ut pars præcipua cerebri, in cujus flexilitate consistit vis & vivacitas ingenii, inflexilis prorsus fiat, & spiritus animales faciliè non diffundantur in cerebrum modo idoneo ad excitandas rerum quarumlibet cogitationes, prout casus postulat.

Hinc fit ut plerique rebus bellicis occupati, & nobiles omnis attentionis incapaces sint. De omnibus perfunctoriè ac leviter ratiocinantur. Ac si ipsis quod audire recusant oggerere audeas, quid sint responsuri neutiquam cogitant, sed ipsorum spiritus animales in musculos quibus brachium attollitur sensim feruntur. Ac penè incogitantes aliqua ictu vel gestu minaci respondent. Quia spiritus verbis quæ pro-



feruntur agitati in loca exercitio magis trita transeunt. Et quia corporis sui robur sensu cognoscunt in hisce petulantibus agendi modis confirmantur; adstantiumque habitus summissus & , ut ita dicam , venerabundus ipsis inspirat audaciam ineptias superbe & ferociter proferendi. Immo se egregia quædam esse loquutos arbitrantur , quia præ prudentiâ & timore ab aliis non fuerunt explosi.

Ad aliquod studium incumbere , aut scientiam aliquam actu profiteri nemo potest , quin id cognoscat ; nullus se Authorem , vel Doctorem esse oblivisci potest. Verùm cognitio & recordatio ista in multorum animo tot vitia gignit , ut ipsis utile foret si titulis quibus gloriantur destituerentur. Quia in titulo illo maximum sui decus constituunt , illum semper cum voluptate considerant ; illiusque alios mirâ cum solertiâ commonefaciunt , ac propter illum sibi jus arrogant de omnibus sine examine judicandi. Si quis imprudens ipsis audeat obniti , tum lenitatem & charitatem præ se ferentes , quid sint in memoriam revocare conantur , ac sibi decidendi jus esse innuunt. At si deinde quis adeo sit audax ut ipsis obistere pergat , nec sciant quid respondeant , tum palam faciunt & quid de se , & quid de illis qui ipsis perfractè resistunt , censeant.

Sensus internus seu conscientia alicujus prærogativæ animum semper inflare solet. Eques generoso insidens equo & armatus , cui sanguis & spiritus affatim suppetunt , nihil non potest aggredi. Hæc dispositio generosum & audacem ipsum efficit. De viro litterarum studiis addicto , cujus ingenium cordis superbiâ corruptum fuit , res non secus se habet , adversus veritatem strenuus & audax evadit. Illam quandoque nondum cognitam temerario impugnat , interdum verò illam agnitam prodit , ac falsâ eruditione fretus , affirmativam , aut negativam defendere semper paratus est , prout spiritu contradictionis movetur.

De iis qui eruditionis fastum non affectant res aliter se habet ; De rebus non decidunt. Rarò loquuntur , nisi ubi casus & res necessariò postulat. Ac sæpe contingit ut taceant etiam quum loqui deberent. Famam istam , & characteres eruditionis externos non habent quibus plerique ad id adiguntur ut loquantur quid dicant nescii , tacere ipsis licet. At Doctos filere pudet , norunt enim se aliis contemptui futuros esse si fileant , etiam ubi ipsis non est quod dicant ; ac contemptum sæpe evituros , licet meras proferant ineptias , dummodo illas scienter proferant.

Quod homines cogitandi capaces efficit , id ipsum illos veritatis capaces reddit. Atqui nec honoribus , nec opibus , nec dignitatibus , nec falsâ eruditione homines cogitandi capaces fiunt , sed naturâ suâ. Ad cogitandum apti nati sunt , quia ad veritatem possidendam destinati fuere. Immo prosperâ corporis valetudine bene cogitandi capaces non efficiuntur ; id duntaxat potest efficere , ut ad id tanto non  
sit



fit obstaculo quanto adversa valetudo. Corpore nostro ad sentiendum & imaginandum aliquomodo adjuvamus, ad cogitandum nequaquam. Quamvis enim sine auxilio corporis non possumus meditando figere ac determinare ideas nostras adversus impetum perpetuum sensuum & affectuum, quibus ideae nostrae indefinenter turbantur & delentur, quia nunc corpus vincere nequimus nisi corporis ope; attamen corpus mentem illuminare, ac in ipsa intelligentiam producere non posse evidens est: Omnis enim idea quae veritas retegitur a veritate ipsa procedit. Quicquid mens accipit a corpore, corporis usui duntaxat inservit, ac dum sese versus phantasmata convertit, nihil praeter chimeras & phantasmata videt; hoc est, res ut in se sunt non videt, sed tantum relate ad corpus.

Si idea magnitudinis aut parvitas, secundum quam nosmet ipsos consideramus, errandi occasionem saepe nobis praebet, idea quam de rebus extra nos positis, quaeque aliqua relatione ad nos pertinent, habemus, leviori non efficit impressionem. Ideam magnitudinis, ingenti spirituum motu semper comitatam esse, ingentemque motum cum idea magnitudinis semper conjunctum esse, ac contra ideam parvitas exiguum spirituum motum semper excitare, parvumque motum spirituum cum parvitas ideam conjungi mox vidimus, unde colligere est, ea quae in nobis ingentes excitant spirituum motus majori cum magnitudine, hoc est, majori cum vi, realitate, perfectione apparere debere, quam caetera; namque haec omnia & multa alia intelligo per magnitudinem. Itaque bona sensibilia majora & solidiora nobis videri debent, iis quae sensus non feriunt, si de eorum soliditate per motum spirituum, non vero per puram veritatis ideam judicemus. Aedes superbae, magnifica Ministrorum cohors, ampla supellex, munera egregia, dignitates, divitiae plus realitatis & magnitudinis habere videntur quam virtus, & justitia.

Ubi visu mentis claro virtutem cum divitiis conferimus, tum illis virtutem anteponimus. At vero ubi solis oculis & imaginatione utimur, ac de rebus ex spirituum commotione duntaxat judicamus, tum proculdubio divitiae virtuti a nobis praeferruntur.

Atque hinc spiritualia quae sub sensus non cadunt nihil penè esse autumamus, ideas mentis nostrae rebus objectis quae per eas representantur inferiores esse, in aere minus esse realitatis & substantiae quam in metallis, in aqua quam in glacie, spatia a terra usque ad firmamentum esse vacua, aut corpora, quae in illis continentur spatiis, tantum non habere realitatis & soliditatis quam Solem & Stellas. Denique omnes in quos circa rerum naturam incidimus errores, inde habent originem.

Cum ingens spirituum motus, ac ideo vehemens affectus semper comitetur ideam magnitudinis sensibilem, levis contra spirituum motus, ac proinde debilis affectus ideam pariter parvitas sensibilem sequatur,  
hinc



hinc fit ut enixè incumbamus & nimium temporis infumamus in eorum omnium studium quæ ideam sensibilem magnitudinis in nobis excitant, ea verò omnia negligamus quæ ideam sensibilem parvitatibus nobis duntaxat gignunt. Ingentia, exempli gratiâ, illa corpora capitibus nostris imminetia, altas ab omni tempore in animos ediderunt impressiones; propter ideam sensibilem ipsorum magnitudinis & splendoris initio adorata fuere; quædam ingenia audaciora ipsorum motus examinaverunt, & hinc factum est ut illa affra plurimorum in omnibus sæculis aut studium aut venerationem moverint. Immo non immeritò forsan crederemus vanum illorum influxuum metum, quo adhuc astrologi & pusillanimi percelluntur, esse speciem quandam adorationis, quam imaginatio ferviliter demissa præstat ideæ magnitudinis quæ corpora cælestia repræsentat.

At verò corpus humanum Jove, Saturno, & cæteris omnibus Planetis longè mirabilius & præstantius vix notum est. Idea sensibilis partium carnis dissectæ nihil magni præ se fert, immo horrorem quendam & fastidium parit; hinc fit ut ab aliquot duntaxat annis Anatomia virorum cordatorum applicatione digna habeatur. Principes & Reges Astronomiæ studio gloriati sunt. Astrorum magnitudo cum ipsorum dignitatis magnitudine consonare ipsis videbatur. At non credam ullos Principes unquam fuisse qui Anatomiam callere, & cor vel cerebrum peritè disseccare gloriæ duxerint. De multis aliis scientiis idem esto iudicium.

Rara & extraordinaria motus vehementiores & sensibiliores in spiritibus excitant quàm res quas quotidie oculis nostris usurpamus, illa miramur, ac ideo aliquam magnitudinis ideam iis alligamus, & sic affectus exultationis & venerationis in animos injiciunt. Atque id multorum rationem evertit. Quamplurimi tantâ ducuntur veneratione & curiositate erga antiqua, extranea, rara, & extraordinaria, ut ipsorum mens iis sese quasi mancipet, namque mens de iis quæ veneratur iudicare, aut sese supra illa erigere non audet.

Veritati quidem magnopere non officit studium nonnullorum erga numismata, arma, & vestimenta prisorum aut Sinensium, & Barbarorum. Veteris Romæ Chorographiam, aut iter a Tomquin ad Nânquin ducens, cognoscere plane inutile non est, quamvis utilius sit viam callere quâ Parisiis ad *S. Germain*, aut *Versailles* itur. Denique nemini vitio vertere licet, quòd nonnulli veram bellorum inter Græcos & Persas, aut Tartaros & Sinenses historiam addiscere velint, ac Thucididem & Xenophontem aut quemlibet alium exosculentur. At stupidam antiquitatis admirationem rationi dominari, ingenio suo vii ad examinandas veterum sententias nefas esse, ac eos qui illarum opinionum falsitatem deprehendunt & demonstrant haberi superbos & temerarios, illud est quod viri cordati ferre nullatenus possunt.

Veritas



Veritas omnis est temporis. Si Aristoteles quasdam veritates retegisset, quidni etiam hodie reteri poterunt? Istius Authoris opiniones rationibus quæ nunc possint admitti sunt probandæ; namque si opiniones istæ Aristotelis ætate sanæ erant, sanæ pariter nunc esse debent. Veritates naturæ autoritatibus humanis probare ridiculum est. Quid circa nonnullas quæstiones senserit Aristoteles forsitan hoc pacto probari poterit; at verò ii operâ miserè abutuntur qui Aristotelem, aut quemlibet alium Authorem assidue legendo eo tantum consilio desudant, ut illius opiniones tantummodo historicè addiscant, illasque alios doceant.

Quis non stupeat videndo quasdam Universitates ad Veritatis investigationem & defensionem duntaxat institutas, in quasdam sectas evasisse, & quorundam hominum sententiis gloriari, iisque præfractè adhærescere? Quis ab ira temperaret legendo libros a Philosophis & Medicis quotidie in lucem editos, in quibus loca Authorum ita frequenter citantur, ut eos potius diceres esse Theologorum & Canonistarum scripta, quàm tractatus Physicos aut Medicos? Quis enim placita Aristotelis, Platonis, Epicuri, aut cujuslibet alius Philosophi rationi & experientiæ anteponi agrè non ferret.

Attamen qui sic se gerunt ob istam agendi rationem forsitan ipsi obstupescerent, nisi ipsorum interesset ad eum modum se gerere, hoc est, nisi adversus veritatem, quæ sola esset retinenda, pugnarent. Verum admiratio quæ veterum deliria prosequuntur iis falsum adversus veritates recens retegendas zelum inspirat: Illas quamquam sibi non notas exhibulant & impugnant; ac vi imaginationis sectatores & admiratores in eadem ferunt judicia.

Cùm de veritatibus recens inventis duntaxat judicent ex ipsarum inventoribus, isti verò inventores, ii saltem quorum conspectu & familiaritate usi sunt, cum præ se non ferant extraordinarium habitum quem imaginatio authoribus antiquis alligavit, illos magnificere nequeunt. Idea enim hominum nostri sæculi, ut pote cum motibus extraordinariis & sensibilibus non conjuncta, contemptum duntaxat apud vulgus excitat.

Pictores & Sculptores, Philosophos antiquos ut cæteros homines nunquam exhibent, ipsos cum prætumido capite, largâ & elatâ fronte, barbâ oblongâ & venerabili depingunt; Id satis arguit vulgus hominum hanc de illis sibi efformare ideam: namque Pictores motus naturales imaginationis pingendo sequuntur. Itaque Antiqui ut homines extraordinarii considerari solent: At contra imaginatio homines sæculi nostri iis repræsentat similes quos quotidie videmus; adeo ut cum nulum in spiritibus excitet motum extraordinarium, in mente nil nisi contemptum pariat.

Cartesium vidi, ajebat quidam inter Doctos istos qui solam demirantur antiquitatem, cum ipso multa habui colloquia; erat quidem vir

*Malebrancii de Inquisit. Verit.*

A a a

probus,



probus, ingenio præditus, at in ipso nihil extraordinarii a me unquam fuit observatum. Scilicet, homo iste Cartesii Philosophiam parvi pendebat, quia cum illius Authore per aliquot horas confabulatus nihil magni & extraordinarii, quod imaginationem exagitaret in externo ipsius habitu observaverat. Immo rationibus istius Philosophi difficilioribus satis se respondisse arbitrabatur, si audenter diceret istum Philosophum sibi olim notum fuisse. Utinam ejusmodi homines Aristotelem qualis reapse erat dum in terris degebat videre, & cum ipso per aliquot horas sermones conferere possent, dummodo ipsos non Græcè, sed Gallicè alloqueretur, noménque suum ipsis non declararet, nisi postquam judicium tulissent.

Quæ novitatis characterem præ se ferunt, sive quia in se nova sunt, sive quia in novo ordine aut novo situ constituta, nos vehementer agitant; namque cerebrum movent in locis eò sensibilibus quò cursui spirituum minùs obnoxii sunt. Iis quæ sensibilem gerunt magnitudinis characterem vehementer quoque agitamur; namque ingentem spirituum motum in nobis excitant. Sed quæ simul magnitudinis, & novitatis habent indicia non modò nos agitant, violentis etiam commotionibus nos commovent, rapiunt, & perstringunt.

Qui, exempli gratia, nihil nisi paradoxa proferunt admirationem apud ingenia debilia sibi conciliant; quæcunque enim dicunt novitatis habent characterem. Qui nonnisi sententiosè loquuntur, & elegantibus, politis, ac magnificis loquendi formulis duntaxat utuntur, venerationem sibi conciliant, quippe magnum quid proferre videntur. Qui verò sublime novo, magnum extraordinario adjungunt, licèt meras effutirent ineptias, vulgus tamen hominum proculdubio rapient, & obstupescient. Magnifica ista verborum moles, insani Declamatorum fulgores, ingenio debiles penè semper perstringunt. In ipsorum imaginationem tam vividè & altè agunt, ut stupidi & attoniti potentiam illam, quâ dejiciuntur & occæcantur, summâ prosequantur veneratione, & sensationes confusas ut veritates claras admirentur.

## CAPUT VIII.

*Tractatur eadem materia. De recto admirationis, & cæterorum affectuum usu.*

**E**X omnibus affectibus duo consequuntur effectus valde memorabiles; mentem scilicet applicant, & cor devincunt. Ac in eo quòd mentem applicant ad veritatis cognitionem utilissimæ esse possunt, dummodo iis ritè utamur: namque applicatio lumen, lumen verò veritatem produ-



producit. At in eo quòd cor devincunt malum semper edunt effectum; quoniam cor non devincunt nisi rationem corrumpendo, ipsique res, non ut in se sunt, aut secundum veritatem representando, sed juxta relationem quam habent nobiscum.

Ex omnibus affectibus nullus est qui cor minus attingat quam admiratio. Namque rerum, quatenus bonæ aut malæ sunt, conspectu agitatur; conspectus verò rerum, quatenus magnæ aut parvæ sunt, sine ulla alia relatione ad nos, non nisi mediocriter nos afficit. Itaque admiratio quæ cognitionem magnitudinis aut parvitas rerum novarum quas consideramus comitari solet, rationem longè minus corrumpit quàm cæteri affectus: immo ad veritatis cognitionem utilissima esse potest; dummodo sedulo caveamus ne ipsam cæteri affectus comitentur, ut penè semper contingit.

In admiratione spiritus animales pelluntur versùs loca cerebri, quæ novam rem objectam prout in se est representant: Vestigia distincta & satis alta ut diu permaneant in eo excitant; ac proinde mens istius rei objectæ claram habet ideam, ac ejus facillè recordatur. Itaque cum admiratio mentem applicet & illuminet, dubium non est quin ad scientias sit utilissima. De aliis affectibus res secus se habet; mentem applicant, quia spiritus animales excitant; ac illam non illuminant nisi falso splendore & fallaci luce, quia istos spiritus ita pellunt, ut res objectas nobis non representent, nisi relatè ad nos, non verò quales sunt in se.

Ad rem aliquam diu incumbere difficillimum est ubi illam non admiramur, quia tum spiritus animales facillè non feruntur in loca necessaria ad rem illam nobis representandam. Frustra ad attentionem præbendam sollicitamur; attendere diu saltem nequimus; quamvis tamen persuadeamur persuasione abstractâ, quâ spiritus nequaquam agitantur, rem de quâ agitur attentione nostrâ maximè dignam esse. Imaginatio nostra fallenda nobis est ad excitandos spiritus nostros, ac materia circa quam meditari volumus novo quodam modo nobis est representanda, ut aliquem admirationis motum in nobis excitemus.

Quotidie videas ingenia quibus studium fastidio est. Mentis attentione nihil magis laboriosum ipsis videtur. Iphis incumbit necessitas meditandi & studendi circa quasdam quæstiones, & in id omnem movent lapidem; Verùm ipsorum conamina inutilia sunt, magnos non edunt progressus, ac illico fatigati desistunt. Spiritus quidem animales voluntatis imperio obtemperant, ac rebus attendimus ubi attendere optamus; sed ubi voluntas imperans est voluntas puræ rationis, nullo affectu freta, attentio nostra ita debilis & languida est, ut ideæ nostræ similes sint phantasmatibus quæ confusè tantum videmus quæque eodem momento evanescent. Spiritus animales tam variè & occultè ab affectibus excitantur, tantàmque a naturâ & habitu acceperere facilitatem ad illa affectuum imperia exequenda, ut nullo negotio divertantur a viis



illis novis & difficilibus in quas voluntas ipsos injicere volebat. Ac fanè potissimum in hisce casibus gratiâ speciali ad cognoscendam veritatem indigemus, quia propriis nostris viribus corporis ponderi mentem opprimenti diu resistere non valemus; aut si possumus, nunquam facimus id quod possumus.

Verùm ubi aliquis admirationis motus nos excitat, spiritus animales versùs vestigia ejus quod miramur naturaliter diffunduntur, id nitidè menti repræsentant, ac omnia in cerebro aguntur quæ ad producendum lumen & evidentiam necessaria sunt, sine ullo voluntatis ad spiritus rebelles pellendos labore. Qui itaque ad admirationem proni sunt ad studia longè aptissimi sunt iis qui admirationis sunt incapaces; illi enim sunt ingeniosi, hi verò stupidi.

Attamen ubi admiratio modum excedit, & ad stuporem ac pavorem usque excurrit, vel denique ad legitimam non fert curiositatem, tum valde noxia est. Tunc enim spiritus animales toti detinentur in repræsentandâ re objectâ per illud, ut ita dicam, ex ipsius lateribus quod miramur. Ad alia, juxta quæ illa res objecta considerari potest, ne cogitamus quidem. Spiritus animales in corporis partes, ut sua obire possint munera, nequidem diffunduntur: Sed vestigia adeo alta imprimunt de re quam repræsentant, tot fibras in cerebro frangunt, ut idea quam excitarunt non possit amplius deleri.

Nos admiratione attentos fieri non sufficit, illâ etiam curiosi effici debemus. Unam partem alicujus rei objectæ nos considerasse satis non est ad illam plenè cognoscendam, singulas examinare debemus, ut de illâ solidum ferre queamus judicium. Itaque, ubi admiratio nos non fert ad res, quàm accuratissimè fieri potest, examinandas, vel ubi nos ab illo examine amovet, tum ad veritatis cognitionem planè inutilis est; mentem verisimilitudinibus & probabilitatibus tantùm implet, & nos ad temeraria ferendâ judicia impellit.

Sola admiratio per se inutilis est, utilis est duntaxat quatenus eò nos adducit ut res facilius examinare queamus. Spiritus animales qui in admiratione naturaliter excitantur menti sese offerunt, ut iis utatur ad rem objectam distinctius sibi repræsentandam, & accuratius cognoscendam. Ista est naturæ institutio: nam admiratio ad curiositatem, & curiositas ad veritatis cognitionem ducere debet. Verùm mens viribus suis ritè non utitur, quendam suavitatis sensum, quem ex illâ spirituum copiâ percipit, cognitioni rei objectæ quæ spiritus illos excitat, anteponit; copiâ illâ spirituum frui mavult, quàm illos usu diffundere; similis avaris qui opes possidere malunt, quàm illis ubi casus postulat uti.

Homines iis omnibus in genere delectantur quæ aliquem affectum excitant; non modò tristitiæ in repræsentatione tragoediæ, verùm etiam admirationis in spectandis Circulatorum præstigiis sensum argenteum: nam ipsos ejusmodi præstigiatoribus pecuniam solvere, eo con-



filio ut ab iis decipiantur, credendum non est. Iste igitur suavitatis internæ sensus quo per admirationem afficimur præcipua est causa ob quam in admiratione subsistimus, missò usu quem ratio & natura nobis præscribunt. Nam ob istum suavitatis sensum admiratores in re objectâ quæ admirationem movet tam assiduè defiguntur, ut ab irâ temperare nequeant, ubi istius rei objectæ vanitatem quis ipsis demonstrare aggreditur. Cùm quis calamitate pressus ex mœstitiæ sensu voluptatem percipit, succenset si ipsum exhilarare velis. De admiratoribus res non secus se habet. Injuriam sibi fieri putant, cùm quis iis ostendere conatur ipsos immeritò admirari: quia voluptatem internam quam ex affectu præsentis percipiunt eo magis minui sentiunt, quò idea quæ istam pariebat voluptatem debilior evadit.

Affectus sese excusare semper conantur; ac meritò ipsis obtemperari sensim persuadent. Suavitas & voluptas quam gignunt in mente, cuius est de ipsis judicare, illam in sui gratiam corrumpunt. Unde fit ut mens propemodum sic ratiocinetur. De rebus judicare non debemus nisi juxta ideas quas de ipsis habemus; jam autem ex omnibus ideis nostris quæ maxime sunt sensibiles, sunt etiam omnium maxime reales, cùm in nos agant omnium vehementissimè; ergo juxta illas potissimum judicare debemus. Atque res objecta quam demiror ideam sensibilem magnitudinis includit; ergo de illâ juxta hanc ideam judicare debeo, quippe magnitudinem existimatione, & amore completi par est. Itaque huic rei objectæ meritò adhæresco, & in illâ contemplandâ detineor. Revera voluptas quam ego percipio, & præsentia ideæ quâ illa res objecta repræsentatur, manifestò arguit istius rei objectæ contemplationem mihi utilem esse, etenim major jam factus mihi videor, ex quo de eâ re cogitavi, ac mens plus capacitatis habere mihi videtur dum tantam amplectitur ideam. Mens desinit esse ubi nihil cogitat: si hæc idea evanesceret, mens cum ipsâ pariter evanesceret aut saltem angustior fieret, si minori adhæreret ideæ. Conservatio igitur magnæ istius ideæ est conservatio magnitudinis & perfectionis entis mei: Meritò igitur admiror. Immo alii me admirari deberent, si de me ut par est judicarent. Revera relatio quam ego cum magnis rebus habeo, efficit ut ipse magnum quid evadam. Admiratio quâ erga illas detineor mihi possessionis loco est, me in quandam illas possidendi spem injicit. Cæteri homines eâdem quâ ego potirentur felicitate, si cognitâ magnitudine meâ, ipsius causæ etiam adhærerent: Verùm eâ sunt cæcitate ut magna & grandia non cognoscant, nec sese extollere & insignire valeant.

Mentem ad ejusmodi ratiocinia naturaliter ferri dicere possumus ubi sese falsis affectuum luminibus permittit. Hæc quidem ratiocinia aliquam habent verisimilitudinem, sed ipsa omni soliditate carere evidens est. Attamen verisimilitudo quam præ se ferunt tantum valet in mentem, ut nisi cautè rem prospiciamus, nobis fucam fit factura.



Poësis, exempli gratiâ, Historia, Chymia, aut quælibet alia Scientia humana, juvenem quempiam rapuit in admirationem: nisi a motibus in imaginatione tunc excitatis sibi prudenter caveat; ejusmodi scientiarum utilitatem sedulò inspiciat; laborem in iis addiscendis tolerandum cum fructu percipiendo conferat, denique nisi eam induat curiositatem quæ necessaria est ad tutum ferendum judicium; timendum est ne admiratio quâ primùm fuit occupatus ipsi scientias illas quales in se sunt non offerens, sed tantùm a parte jucundissimâ, ipsum decipiat & in errorem injiciat. Immo eò forsan discriminis adducetur, ut ab errore desistere non possit etsi illum agnoscat; quia vestigia cerebro altè impressa frequenti admiratione deleri non poterunt. Hanc ob causam imaginationis puritati perpetuò studendum est, & a periculosis istis vestigiis quibus mens & cor corrumpuntur cavendum. Atque in hac cautione hac ratione procedendum est quâ non modò admirationis sed & cæterorum affectuum malis occurratur.

Ubi motus spirituum animalium sat violentus est ad imprimenda in cerebro alta vestigia quæ corrumpant imaginationem, semper conjunctus est cum aliquâ mentis commotione. Cùm itaque mens commoveri non possit quin id sentiat, hac commotione satis monetur ut sibi consulat, & examinet an ipsi utile sit hæc vestigia confirmari & auferre, an secus. At verò, quia ipso commotionis momento, mens eâ non fruitur libertate quâ possit judicare de utilitate istorum vestigiorum; quoniam commotio ipsam decipit & ad id fert ut illis saveat vestigiis; in id enixè laborandum est ut hæc commotio sistatur, vel ut motus spirituum qui illam excitat aliorum deflectatur: ac interim judicium necessariò est sustinendum.

Verùm enim verò arbitrandum non est mentem posse semper solâ suâ voluntate illum sistere cursum spirituum qui obstat quominus juxta rationem agere possit. Ipsius vires ordinariæ non sufficiunt ad cohibendos motus quos non excitavit. Adeo ut cautè se gerere debeat ne ab inimico tam subdolè cum ipso agente imprudens occupetur.

Quemadmodum motus spirituum quasdam in mente excitat cogitationes; pariter cogitationes nostræ in cerebro quosdam excitant motus. Itaque ubi aliquem spirituum motum in nobis excitatum sistere volumus, non sufficit nos velle ut desinat ille motus; sed hoc artificio utendum est; nempe aliquid nobis repræsentandum est planè contrarium rei quæ illum motum in nobis excitaverat & fovebat, atque hoc pacto fiet *revulsio*. Si verò motum spirituum jam excitatum aliorum duntaxat velimus determinare, tum ad res contrarias cogitare non debemus, sed tantùm ad res diversas ab iis quæ illum producerunt motum, & hoc pacto fiet *diversio*.

Quia verò diversio & revulsio magna erit aut parva, prout novæ cogitationes nostræ conjungentur cum magno aut modico spirituum motu; accuratè advertendum est quibus cogitationibus vehementissimè agitemur,



temur, ut, ubi urgebit casus, illas imaginationi nostræ repræsentare possimus; atque huic rationi impugnandorum affectuum ita affuescere debemus, ut nullo amplius subitaneo, & improvise mens occupetur motu.

Si æternitatis aut alius cujuscumque solidi boni cogitationem motibus extraordinariis qui in nobis excitantur alligare studeamus; nulli amplius violenti & extraordinarii excitabuntur in posterum motus, qui hanc ideam illico non gignant, ac proinde non suppeditent arma quibus ipsis resistatur. Hæc tum experientiâ, tum rationibus Capite de *idearum connexionem* allatis comprobantur: Arbitrandum igitur non est affectus studio & arte vinci nequaquam posse, ubi id serio & constanter volumus.

Hoc tamen resistendi modo nos impeccabiles & ab omni errore alienos fieri posse, non est quod autememus. Nam primò, istum alligandi motibus extraordinariis ideas quasdam, quibus impugnentur, habitum contrahere & conservare perquam difficillimum est. Secundò, licet istum habitum acquisivissemus, continget ut isti spirituum motus directè excitent ideas impugnandas, indirectè verò duntaxat ideas quibus illæ impugnari debent. Unde fiet ut malæ ideæ utpote præcipuæ plus habituræ sint virtutis, quàm bonæ quæ tantum indirectæ & accessoriæ erunt, & voluntatem resistere sic necesse semper erit. Tertiò, isti spirituum motus adeo violenti esse possunt, ut totam mentis capacitatem impleant, adeo ut in ipsâ non supersit locus ad recipiendam ideam accessoriam faciendæ in spiritibus revulsioni idoneam; aut saltem ad illam ita recipiendam ut cum attentione possit considerari. Denique tot sunt circumstantiæ speciales quæ illud remedium inutile reddere possunt, ut plus æquo illi fidere tutum non sit, quamvis negligi non debeat. Auxilium Dei perpetuò implorandum est ut nobis, ubi periculum imminebit, adesse dignetur; ac interim veritas aliqua adeo solida & efficax in mentem nobis est inducenda, ut hoc pacto de affectibus violentissimis victoriam reportare queamus. Hic enim obiter monitum velim, non paucos viros pios in eisdem sæpius errores relabi, quia mentem plurimis replent veritatibus quibus plus fulgoris inest quàm soliditatis, & quæ ad animum in diversa agendum aptiores sunt, quàm ad ipsum adversus tentationes corroborandum: cum contrà rudes & ignari in officio fideliter persistant, quia veritatem aliquam magnam & solidam, quâ in omnibus casibus sustinentur, familiarem sibi reddiderunt.



## CAPUT IX.

*De amore & odio, variisque utriusque speciebus.*

**A**Mor & odium admirationi proximè succedunt. Rem aliquam objectam diu non consideramus quin relationes quas nobiscum habet, aut cum re aliqua quam amamus, eodem tempore comperiamus. Cum res quam amamus, cuique ideo amore nostro adhæremus, nobis semper præsens sit, æquè ac res quam actu miramur; mens res illas objectas ita inter se facili negotio confert, ut mutuas illarum relationes deprehendat; aut istarum relationum monetur sensationibus voluptatis & doloris quæ ipsam præveniunt. Tunc verò motus amoris quo erga nos & rem objectam quam amamus ducimur, extenditur usque ad rem quam miramur, si relatio quam immediatè habet nobiscum aut cum aliquâ re quæ nobis cohæreat, nobis vel cognitione vel sensu utilis appareat. Jam autem novus ille mentis motus, seu potius iste mentis motus recens determinatus, ubi conjungitur cum motu spirituum animalium, & cum sensu qui comitatur novam dispositionem, quam novus ille spirituum motus producit, est affectus dictus *Amor*.

Contrà verò si dolore aliquo sentiamus, aut cognitione clarâ & evidenti deprehendamus, cohæsiōnem seu relationem rei objectæ quam admiramur, nobis, aut rei alicui nobis cohærenti noxiam esse; tum motus amoris quo nosmet ipsos aut rem nobis cohærentem complectimur, in nobis terminatur, aut versùs rem illam fertur; motus non sequitur visum mentis, nec versùs rem quam admiramur diffunditur, sed cum motus versùs bonum in genere, quem Author naturæ indefinenter imprimit in mente, illam ferat versùs id omne quod cognoscimus aut sentimus, quia quicquid sentimus aut cognoscimus est bonum in se; dicere possumus pugnam mentis adversùs istum naturalem motum quo abripitur, esse speciem quandam motus voluntarii, cujus terminus est *ò* nihil. Jam autem motus ille voluntarius mentis junctus cum motu spirituum & sanguinis & cum sensu qui comitatur novam dispositionem quam motus ille spirituum producit in cerebro, est affectus hîc *odium* dictus.

Affectus ille amoris est planè contrarius, sed nunquam extat sine amore. Contrarius est amoris, quia sejungit; amor verò conjungit; terminum habet *ò* nihil; amor verò *ò* ens; motui naturali resistit, illumque reddit inutilem; amor verò isti motui se permittit, illumque efficacem reddit. At iste tamen affectus sine amore nunquam existit.

Námque



Námque, si malum quod averfatur accipiatur pro privatione boni, fugere malum est fugere privationem boni, hoc est tendere versus bonum; itaque fuga privationis boni est ipse amor boni. At si malum accipiatur pro dolore, averfatio seu fuga doloris, non est fuga privationis voluptatis; quoniam cum dolor fit sensus æquè realis ac voluptas, non est privatio. Sed cum averfatio seu fuga doloris fit fuga miseriæ alicujus internæ, istâ non laboraremus averfatione, nisi nosmet ipsos amaremus. Denique malum accipi potest pro eo quod gignit in nobis dolorem, aut nos privat bono, & tum odium pendet ab amore nostrî, aut ab amore alicujus rei quacum nos colligari optamus. Amor & odium sunt igitur duo affectus primarii inter se oppositi, at verò amor prior est, potior atque universalior amborum.

In Ethicâ virtutes, aut diversæ charitatis species sæpe distinguuntur pro diversitate eorum in quibus versantur. Sed hoc pacto vera sæpe confunditur virtutis idea, quæ a fine potiùs pendet quàm ab omni aliâ re. Hanc igitur methodum circa affectus non sequemur. Illos hîc non distinguemus pro diversitate rerum circa quas versantur, quia res eadem omnes affectus potest excitare, cum contrâ decies mille res unum eundemque possint excitare affectum. Quamvis enim res objectæ in se revera differant, semper tamen non differunt relatè ad nos, nec in nobis diversos excitant affectus. *Marescalli Baculus* promissus, exempli gratiâ, differt a *Pontificali lituo* promisso; attamen hæc duo honoris insignia quamvis diversâ, eundem propè in ambiosis excitant affectum, quia eandem boni ideam in mente excitant. Sed *Marescalli Baculus* promissus, concessus, actu traditus, postea ademptus, affectus inter se planè diversos excitat, quia in mente diversas boni producit ideas.

Affectus igitur non sunt multiplicandi pro variis rebus objectis quæ ipsos gignunt: Sed totidem sunt admittendi quot sunt ideæ adventitiæ quæ præcipuam boni aut mali ideam comitantur, & in illâ memorabilem relatè ad nos pariunt mutationem. Námque idea generalis boni, aut sensatio voluptatis, quæ illam degustanti bonum est, mentem & spiritus animales agitans, generalem amoris affectum producit; & ideæ adventitiæ istius boni agitationem mentis generalem & cursum spirituum animalium modo quodam speciali ita determinant, ut mens & corpus in statu constituantur consentaneo relatè ad bonum perceptum, & omnes affectus speciales producant.

Itaque idea generalis boni amorem indeterminatum gignit qui nihil aliud est præter philautiæ extensionem.

Idea boni quod possidemus actu, amorem gaudiî parit.

Idea boni quod non possidemus, sed speramus tamen nos aliquando possessuros, hoc est quod existimamus a nobis posse possideri, amorem desiderii excitat.

Denique idea boni, quod nec possidemus, nec nos possessuros speramus; seu quod idem est, idea boni cujus possessionem non speramus,



mus, nisi per jacturam alicujus alius boni, vel quod possessum conservare nequimus, amorem tristitiæ producit. Hi sunt tres affectus simplices, aut primarii, qui circa bonum versantur, nam spes quæ efficit gaudium, non est commotio mentis, sed simplex judicium.

Sed observandum est homines ens suum in seipsis non terminare, illudque ad ea omnia, vel eos omnes extendere quibuscum colligari sibi utile ducunt. Itaque bonum aliquo modo possidere existimandi sunt, cum illo ipsorum amici potiuntur, quamvis illud ipsi immediate non possideant. Quum igitur dico ex boni possessione gaudium oriri, id non duntaxat intelligo de possessione immediatâ sed de qualibet aliâ; quippe sic a naturâ sumus comparati ut gaudium sentiamus, ubi aliquid prospere cedit amicis.

Malum, ut jam dictum est, triplici modo accipi potest, vel pro privatione boni, vel pro dolore, vel denique pro ipsâ re quæ privationem boni efficit, aut dolorem producit.

Primo sensu, cum idea mali eadem sit ad idea boni quod non possidemus, hanc ideam evidens est parere tristitiam aut desiderium, vel etiam gaudium: nam gaudium semper excitatur ubi sentimus nos privatione boni privari, hoc est, ubi bonum possidemus. Adeo ut affectus circa malum hoc sensu acceptum, iidem sint ac affectus circa bonum, quia reapse circa bonum etiam versantur.

Si verò per malum intelligatur dolor, qui solus semper est malum reale dolorem patienti, quo tempore eum patitur, tum sensus istius mali, affectus tristitiæ, desiderii, & gaudii producit, qui species quædam sunt odii seu aversionis, non verò amoris. Nam ipsorum motus planè contrarius est motui qui boni perceptionem comitari solet; cum iste motus nihil aliud sit quàm oppositio mentis resistentis impressioni naturali.

Actualis sensus doloris tristitiæ odium parit. Dolor quem non patimur, sed pati metuimus desiderii odium gignit, cujus terminus est ~~et~~ nihil hujus doloris.

Denique dolor, quem nec patimur, nec pati timemus; vel quod idem est, quem pati sine ingenti aliquâ mercede non metuimus, seu dolor quo nos sentimus liberatos, odium gaudii producit. Hi sunt tres affectus simplices aut primarii qui versantur circa malum; namque metus ex quo oritur tristitia non est commotio mentis, sed simplex judicium.

Postremò, si per malum intelligatur res per quam bono privamur, aut dolorem patimur, idea mali producit in nobis motum amoris & odii simul, vel simpliciter motum amoris. Idea mali producit motum amoris & odii seu aversionis simul, ubi malum est illud per quod bono privamur: eodem enim motu tendimus versùs bonum, & ab eo recedimus quod illius possessionem a nobis arcere possit. At verò illa idea motum aversionis duntaxat gignit, ubi de malo agitur quo  
dolorem.



dolorem patimur, quia eodem odii motu & dolorem odimus, & illum qui eo nos afficit dolore.

Itaque tres sunt affectus simplices, seu primarii ad bonum spectantes, totidem verò ad dolorem, aut ad eum qui doloris causa est; Nempe gaudium, desiderium, & tristitia. Gaudio enim afficimur; ubi bonum præsens adest, vel ubi malum præteriit; tristitiam sentimus, ubi bonum præteriit, malum verò præsens est, & desiderio movemur, ubi bonum & malum futura sunt.

Affectus ad bonum spectantes sunt speciales determinationes motus quem Deus nobis indit erga bonum in genere, atque hanc ob causam circa res reales versantur; cæteri verò affectus quorum motus Deus non est causa, pro termino duntaxat habent *in* nihil, hoc est in affectus sunt potius motus cessationes, quàm motus reales; tunc potius velle desinimus quàm volumus.

## CAPUT X.

*De affectibus speciatim, & in genere de ratione illos explicandi, & agnoscendi errores ex iis oriundos.*

**S**I quâ ratione affectus componantur animadvertamus, ipsorum numerum determinari non posse, nec ad omnes exprimendos verba nobis sufficere manifestò patebit. Affectuum varietas non modò ex varietate trium primariorum combinatione oritur, nam hoc pacto pauci admodum essent, verùm illorum differentia oritur etiam ex variis perceptionibus, diversisque judiciis quæ ipsos gignunt aut comitantur. Diversa istæc judicia quæ mens fert circa bona & mala, diversos in spiritibus animalibus motus edunt, ad ritè disponendum corpus relatè ad rem objectam; ac proinde in mente sensationes excitant inter se non prorsus similes: unde fit ut diversitas deprehendatur in quibusdam affectibus, quorum commotiones non sunt diversæ.

Cùm tamen commotio mentis inter ea quæ in singulis affectibus deprehendi solent præcipuum obtineat locum, ad tres primarios affectus in quibus istæc commotiones admodum diversæ sunt, cæteros omnes referre multò satius est, quàm de illis confusè & absque ordine agere, relatè ad varias perceptiones quas de innumeris bonis aut malis, ex quibus illi oriuntur affectus, habere possumus.

Ubi mens bonum aliquod exiguum quo frui potest percipit, illud sperare forsan dici potest, quamvis illud non cupiat; at ipsius spem non esse affectum sed simplex iudicium evidenter patet. Itaque commotio quæ comitatur ideam boni, cujus possessionem possibilem esse



judicamus efficit ut spes sit verus affectus. Ubi spes in securitatem convertitur res eodem se habet modo. Illa securitas non est affectus nisi propter commotionem gaudii, quæ tum conjungitur cum commotione desiderii: namque judicium mentis considerantis bonum aliquod sibi certò adventurum, non est affectus nisi quia prægustu boni agitur. Denique ubi spes minuitur, desperatio verò ipsi succedit, hanc desperationem non esse affectum, nisi propter tristitiæ commotionem, quæ cum desiderii commotione conjungitur, manifestum est: namque judicium mentis considerantis bonum aliquod sibi nunquam adventurum, non est affectus, nisi isto judicio agitemur.

Quia verò mens nullum unquam bonum aut malum sine aliquâ commotione, immo sine aliquâ in corpore immutatione, considerat, judicio affectum producenti sæpe tribuitur nomen affectus ipsius; quia quod in mente & in corpore agitur ad conspectum alicujus boni, aut alicujus mali semper confundimus. Namque, istis vocibus, spe, metu, audaciâ, pudore, irâ, commiseratione, derisione, mœrore, uno verbo nominibus singulorum affectuum uti solemus ut formulis quibusdam loquendi compendiosis, quibus quicquid in affectibus agitur explicamus.

Per hanc vocem *affectus* intelligimus perceptionem relationis quam res quæpiam habet nobiscum, commotionem & sensationem mentis, agitationem cerebri & motum spirituum; novam commotionem & novam sensationem mentis, ac denique novum suavitatis sensum qui affectus comitari solet, illòsque efficit jucundos, hæc omnia per affectum intelligi solent. Quandoque verò per nomen alicujus affectus duntaxat intelligitur vel judicium quod illum affectum excitat, vel sola mentis commotio, vel solus spirituum & sanguinis motus, vel denique aliquid aliud quod mentis commotionem comitatur.

Ad veritatis cognitionem utilissimum est abbreviare ideas, & voces quibus ideæ exprimuntur. Id tamen sæpe erroris causa est, præcipuè cum usu vulgari istæ ideæ abbreviantur. Ideæ enim nunquam sunt abbreviandæ, nisi postquam ingenti mentis attentione clarissimæ & distinctissimæ factæ sunt; non verò, ut fieri solet circa affectus & omnia sensibilia, postquam sensationibus, & solâ fallaci imaginationis actione, nobis familiares redditæ sunt.

Ideæ puræ intellectus, & sensationes seu commotiones mentis multum inter se differunt. Ideæ puræ sunt claræ & distinctæ; sed non nisi difficulter familiares redduntur. Vice verò versâ sensationes & commotiones mentis sunt per quàm familiares, ac clarè & distinctè cognosci nequeunt. Numeri, extensio, illorùmque proprietates clarè quidem cognoscuntur, sed nisi quibusdam characteribus sensibilia facta fuerint, illa sibi representare difficile est; quicquid enim abstractum est nos non afficit. Contrà sensationes & commotiones mentis sese facile nobis offerunt, quamvis illas confusè, & inadæquatè tantum cognosca-



gnoscamus, ac omnes quibus exprimuntur voces mentem vividè tangunt & attentam reddunt. Hinc fit ut orationes prorsus obscuras & incomprehensibiles clarissimè nos intelligere sæpe arbitremur: Atque ubi quasdam affectuum & motuum mentis descriptiones legimus, illas a nobis clarissimè intelligi putamus, quia iis vividè afficimur, omnibusque vocibus quibus oculi feriuntur, mens pariter agitur. Statim atque voces pudoris, desperationis, impudentiæ, &c. proferri audimus, quædam confusa idea, & sensatio obscura in mente nostrâ excitatur quâ vehementer afficimur; quia verò ejusmodi sensatio nobis est valdè familiaris, ac nullo negotio nobis offertur, credimus illam esse clarissimam & distinctissimam. Hæc tamen voces sunt nomina affectuum complexorum, ac ideo sunt voces compendiosæ multarum idearum usu vulgari contractarum.

Quia vocibus usu probatis uti tenemur nemini mirum esse debet si in iis quæ a nobis dicuntur quædam deprehendatur obscuritas, immo contradictionis species. Ac si lectores animadvertere velint sensationes & commotiones mentis, quæ respondent vocibus nostris, easdem planè non esse in omnibus hominibus, propter varias mentis affectiones, nos non damnabunt quotiescunque nostræ opiniones ipsis non satis probabuntur. Cæterum hæc non tam dico ut ab iis me tutum faciam quæ mihi objici possent, quàm ut affectuum naturam doceam, & quid de tractatibus qui circa hanc materiam componuntur sentiendum sit.

His in antecessum positis, jam, ni fallor, dicere possum omnes affectus posse referri ad tres primarios, nempe, ad desiderium, gaudium, & tristitiam; ac affectus qui ad eundem primarium referuntur, inter se præcipue differre per varia judicia quæ mens fert de bonis & malis.

Possunt etiam dicere, spem, metum, & animi hæsitacionem, quæ inter hæc duo medium occupat, esse desiderii species: Audaciam, fortitudinem, æmulationem, &c. ad spem magis referri quàm ad cæteros affectus: & pavorem, sœcordiam, invidiam, &c. esse metus species.

Præterea dicere possum alacritatem, & gloriam, favorem, & beneficiorum memoriam esse species quasdam gaudii nati ex perceptione boni quod deprehendimus in nobis, vel in iis quibuscum colligati sumus; sicut risus & irrisio est species quædam gaudii quod in nobis excitari solet, ex perceptione mali quod accidit inimicis nostris. Denique fastidium, tædium, mœrorem, commiserationem & indignationem esse species quasdam tristitiæ ortæ ex perceptione alicujus rei nobis non aridentis.

Verùm præter hos affectus & plurimos alios quos hîc non recenseo, Plures sunt affectus qui speciatim ad aliquem ex affectibus primitivis referuntur, multi ad hæc alii sunt quorum commotio æqualiter ferè constat vel ex affectibus quàm voces quibus desiderii & gaudii, ut sunt impudentia, ira, & vindicta; vel ex affectibus tristitiæ, & tristitiæ; ut pudor, mœror, indignatio; vel ex primis.



tribus affectibus primariis simul, quum gaudii & tristitiæ incitamenta simul juncta occurrunt; sed quamvis hi postremi affectus careant nominibus specialibus, sunt tamen omnium maximè ordinarii: Quia dum in hisce terris degimus, nullum ferè unquam bonum gustamus, quin aliquid mali ipsi sit admixtum; nec ullum penè unquam patimur malum, quin ab eo liberationem & alicujus boni possessionem speremus. Quamvis autem gaudium tristitiæ sit planè contrarium, illud tamen admittit; immo gaudium & tristitia simul occupant capacitatem quam mens habet volendi, uti visus boni & mali simul etiam occupant capacitatem quam mens habet percipiendi.

Omnes igitur affectus sunt species quædam desiderii, gaudii, & tristitiæ. Ac præcipuum discrimen quod interest inter affectus ejusdem speciei oritur ex variis perceptionibus, aut ex variis judiciis quæ illos affectus excitant aut comitantur. Qui itaque in affectuum cognitione periti evadere, & illos accuratè enumerare cupiunt, necessariò investigare debent varia judicia quæ circa bona & mala ferri possunt. Quia verò errorum nostrorum causas hîc præcipuè inquirimus, judicia quæ affectus antecedere & gignere solent non tam nobis sunt examinanda, quàm judicia quæ illos sequuntur, quæque mens format de rebus ubi aliquo affectu agitur; hæc enim postrema judicia errori sunt potissimùm obnoxia.

Judicia quæ affectus præcedunt & gignunt penè semper falsa sunt in aliquâ re, quia penè semper nituntur perceptionibus mentis quatenus considerat res objectas relatè ad se ipsam, non verò prout sunt in se. Sed judicia quæ sequuntur affectus, sunt falsa omnibus modis. Nam judicia quæ a solis formantur affectibus, duntaxat nituntur perceptionibus quas mens habet de rebus objectis relatè ad seipsam, vel potius relatè ad commotionem suam.

In judiciis quæ præcedunt affectus, verum & falsum simul conjunguntur: ubi verò mens agitur, & juxta affectus inspirationem judicat, verum evanescit, falsumque conservatur, unde eò plures falsæ eliciuntur conclusiones quò affectus vehementior est.

Omnes affectus sese excusant, menti indefinenter repræsentant rem objectam quâ agitur modo aptissimo ad conservandam & augendam ipsius agitationem. Judicium seu perceptio unde oritur affectus cum ipso crescit, & affectus eò magis augetur quò judicium unde natus est magis corroboratur. Falsa judicia & affectus mutux suæ conservationi perpetuò consulunt. Si itaque cor nunquam desineret spiritus suppeditare idoneos ad fovenda vestigia cerebri, & ad fovendam distributionem eorundem spirituum, quæ duo necessaria sunt ad conservandum sensum & commotionem mentis quæ cum affectibus conjungi solent; affectus perpetuò auferentur, erroresque nostros nunquam cognosceremus. Sed cum omnes affectus pendeant a sanguinis fermentatione & circulatione, cor verò non possit semper administrare spiritus aptos ad  
illarum



illarum conservationem, necesse est ut affectus definant, ubi spiritus minuuntur sanguisque refrigescit.

Quamvis admodum facile sit judicia quæ ab affectibus ferri solent cognoscere, illa tamen cognitio non est negligenda. Ejusmodi cura inter cæteras maximè digna est viris qui veritatem investigant, corporis jugum excutere conantur, & de rebus juxta veras earum ideas judicare volunt.

Istam autem cognitionem bifariam possumus assequi: Vel ratione purâ, vel sensu interno quem de nobis habemus, ubi aliquo agitatur affectu. Exempli gratiâ, propriâ experienciâ nobis constat nos ad id ferri ut de iis quos non amamus malè judicemus; ita ut totam, si fas sit ita loqui, odii nostri malignitatem in eum qui nobis odio est aspergamus. Purâ etiam ratione cognoscimus, cum nihil possumus odisse nisi id quod malum est, necesse esse, quò odium conservari possit, ut mens sibi repræsentet rem objectam secundum partem pessimam. Etenim sufficit nos supponere omnes affectus sese excusare, imaginationemque, ac deinde mentem inflectere modo apto ad conservandam agitationem suam, ut concludamus ad quænam judicia affectuum inspiratione ferenda impellamur.

Qui pollent imaginatione forti & vividâ, sensibûsque sunt maximè addicti, & affectuum motibus sæpe percelluntur, hæc optimè cognoscunt utpote qui sint conscii eorum quæ in ipsis aguntur, ac de iis sæpe elegantius & penitius loquuntur, quàm ii qui majori pollent ratione quàm imaginatione. Arbitrandum enim non est eos qui philantiæ strophas maximâ retegunt industriâ, quique intimos cordis recessus maximâ dexteritate rimantur & aperiunt, semper esse omnium peritissimos. Id sæpe arguit, ipsos esse ingenio vivaci, imaginatione egregiâ, & cæteris maligniores.

At verò qui non consultâ conscientiâ, seu sensu interno, ratione solâ utuntur ad disquirendam affectuum naturam, quidque producere possint, quamvis non sint ita perspicaces, cæteros tamen judicio antecellunt, ac errori minùs obnoxii sunt. Nam judicant de rebus ut in se sunt. Vident quid ii qui aliquo affectu perculsi sunt factitare valeant, prout magis vel minùs agitantur. Nec de iis quæ alii facerent vel non facerent in iisdem occasionibus temerariò judicant, per ea quæ ipsi facerent si in his versarentur occasionibus; quia norunt omnes homines iisdem æqualiter non affici, nec commotionibus involuntariis æqualiter agitari. Itaque consulendæ non sunt sensationes quas affectus in nobis excitant, sed consulenda est ratio, ut peritè loqui possimus de judiciis quæ comitantur affectus; ne, dum naturam affectuum in genere patefacere satagimus nosmet ipsos cognoscendos præbeamus.



## CAPUT XI.

*Omnes affectus sese excusare : & de judiciis in quæ nos conjiciunt ad sui excusationem.*

**L**ongâ verborum serie non opus est ad demonstrandum omnes affectus sese excusare. Id ex conscientia seu ex sensu interno quem de nobis habemus, & ex eorum qui aliquo agitantur animi motu agendi ratione, evidenter satis patet. Id igitur duntaxat exponemus, ut nobis in posterum ab eo caveamus. Mens imaginationi ita mancipata est ut ipsi statim atque incaluit obsequatur. Ipsi furenti quicquam non audet reponere; quia si resistat malè mulctatur, cum contrâ mercedem aliquam semper consequatur ubi imaginationis imperio obtemperavit. Immo iis quorum imaginatio ita inordinata est, ut sese in bruta transformatos putent, non desunt rationes quibus ipsis probetur se brutorum instar agere debere, quatuor pedibus incedere, herbis sylvestribus vesci, &c. Plerosque homines juvat vivere juxta affectuum impressiones; ubi iis resistunt aliquâ poenâ intus puniuntur; atque id sufficit ut ratio quæ voluptati ut plurimum obsequitur, utatur ratiociniis idoneis ad tutandam affectuum causam.

Cum igitur constet affectus sese excusare, constat pariter desiderium eò nos ferre debere per se, ut in bonam partem de re circa quam versatur, si sit desiderium amoris; in malam verò, si sit desiderium odii, judicemus. Desiderium amoris est motus mentis excitatus a spiritibus, qui illam ad id pronam faciunt ut iis quæ penes ipsam non sunt frui aut uti velit: namque si etiam desideremus continuationem fruitionis nostræ, id fit quia futura non sunt penes nos. Necessè igitur est ad desiderii excusationem, ut res objecta ex quâ nascitur judicetur bona per se, aut relatè ad aliquam aliam rem objectam; ac judicium contrarium ferendum est de desiderio averfationis.

Haud quidem possumus judicare rem quampiam in se esse bonam vel malam, nisi aliqua id credendi nobis suppetat ratio: Sed ex iis circa quæ versantur affectus nostri nihil est quod non sit bonum aliquo sensu. Et quamvis dicere possimus quædam esse quæ nihil boni in se includant, ac ideo ut bona a mente purâ judicari nequeant, dicere tamen nequimus illa non posse gustari ut bona, quandoquidem supponimus nos ab illis agitari; jam autem gustus aut sensus sufficit ut mens feratur ad judicandum de re objectâ in bonam partem.

Si tam facilè judicemus ignem continere in se calorem quem sentimus, & panem saporem quem gustamus, propter sensationem istorum corporum occasione in nobis excitatam, quamvis in mentem omnino



omnino fugiat, quoniam mens capere non potest calorem & saporem esse modificationes corporum; certe si id ita se habeat, nulla est res objecta ut vilis & aspernanda quam tamen bonam non judicemus ubi ex ipsius possessione voluptatem percipimus. Quemadmodum enim putamus calorem ex igne oriri ad ipsius presentiam; sic perperam credimus res circa quas versantur affectus nostri parere voluptatem quam gustamus ubi illis rebus objectis fruimur; ac illas esse bonas, cum nobis bonum conferre valeant. De affectibus qui versantur circa malum idem esto iudicium.

Verum, ut modò dictum est, nihil est quod per se aut per aliquid ad quod referatur, non sit dignum amore vel odio; ac ubi affectu aliquo movemur, nullo negotio deprehendimus in re circa quam versatur bonum & malum quod ipsi favet aut adversatur. Itaque ratione facillimè cognosci potest, quænam judicia affectus quibus agitamur forment in nobis.

Si enim amoris desiderio agitamur, colligere facile est, illud desiderium ad sui excusationem allaturum esse bona quæ in re cupitâ judicaverit inesse. Illa autem judicia eò latius patebunt, quò desiderium violentius erit; ac sæpe plena & absoluta erunt licet res objecta per unicam tantum partem, eamque minimam, bona videatur. Istæ judicia honorifica ad ea omnia quæ aliquam cum re objectâ habebunt relationem, aut saltem habere videbuntur, extensum iri facili negotio concipi potest; idque eò magis eveniet quò affectus erit vehementior, & imaginatio latius patebit. At verò si desiderio odii agitamur, effectus erit planè contrarius, ob rationes captu æquè faciles. Id experientiâ satis comprobatur, & in eo experientia quidem cum ratione apprimè consonat. Sed hæc veritates exemplis illustremus.

Omnes homines scientiæ desiderio naturâ tenentur; omnis enim mens ad veritatem possidendam est comparata: sed philomathia seu desiderium scientiæ, quanquam per se justum est, sæpe tamen maximè viciosum fit propter falsâ quæ ipsi adjunguntur judicia. Curiositas inania sæpe menti meditanda offert, his falsas magnitudinis ideas sæpenumero alligat: Illa fallaci novitatis splendore extollit; ac denique tantis circumcincta illecebris obducit, ut ab iis nimiam cum voluptate & attentione contemplan-dis vix possis temperare.

Nullæ sunt nugæ quibus quædam ingenia penitus non occupentur; ac ista ipsorum occupatio falsis in quæ a variâ curiositate conjiciuntur judicis legitima ipsis semper videtur: Qui vocum apices magnâ curiositate rimantur in illorum cognitione omnes scientias fitas esse innumeris quas ingeniosè fingunt rationibus sibi persuadent; inter quas, veneratio quam ipsis homines nonnulli voce obscurâ & incognitâ stupefacti testantur ultimum non occupat locum, quamvis omnium sit absurdissima.

Nonnulli sunt homines qui in id per totam vitam student ut artem loquendi sibi comparent, qui melius facerent si per totam vitam silerent; eum enim silere debere manifestum est cui nihil est quod dicat: Sed



quid facias? Illi artem loquendi non addiscunt ut sileant. At sciant illi se nunquam rectè esse loquuturos quin priùs rectè cogitent; in id incumbendum esse ut ingenium fiat accuratum & rectum; Verum a falso sedulò esse discernendum; ideas claras ab obscuris sejungendas; ac ea quæ a mente ab iis quæ ab imaginatione procedunt esse dignoscenda. Ii inter egregia & exquisita ingenia sese annumerant; quia iustis periodorum numeris autem titillare, figuris & motibus jucundis affectus palpare, vivis & sensibilibus loquendi formulis imaginationem recreare norunt, quamvis mentem ideis vacuum sine lumine & intelligentiâ relinquunt.

Perpetuum linguæ vernaculæ studium aliquâ quidem verisimili saltem ratione nititur, quia illâ per totam vitam utendum nobis est, & nonnullis hoc desiderio agitatæ hæc ratio excusationi esse potest; at verò non video quo pacto ii sese possint excusare qui omnes linguas indiscriminatum addiscendi desiderio tenentur. Illorum affectus qui Bibliothecam sibi conflant ex quibuslibet dictionariis potest excusari, non secus ac illorum curiositas qui omnium regionum & temporum numismata apud se habere ambiunt. Id ipsis aliquando potest esse utile. Ac si ex eo ad ipsos magnus non redeat fructus, saltem nihil affert incommodi. Gazam habent rerum curiositatem moventium quæ ipsis non est impedimento; secum enim libros & numismata non gerunt. Verùm quo pacto excusabitur illorum affectus qui memoriam tot vocabulis sæpe onerant, ut ipsorum caput fiat Bibliotheca quædam dictionariorum? Propria negotia & officia essentialia omittunt & obliviscuntur, ut voces profus inutiles retineant; linguam vernaculam non nisi hæsitando loquuntur; voces aut incognitas aut barbaras in colloquiis interferunt. Vulgati commercii monetâ nunquam utuntur. Denique ipsorum ratio feliciter non dirigitur quàm lingua. Omnes enim memoriæ recessus etymologiis ita referti sunt, ut mens numero vocum prope innumerabili veluti suffocata sit.

Ineptum tamen illud Philologorum desiderium non caret rationibus, quas præ se ferat. Quo pacto id fiat si quæras. Audi, quæso, judicia quæ falsi isti docti de linguis ferre solent. Vel suppose nonnulla axiomata apud ipsos indubitata, & ex iis consequentias eliciendas deducito. Suppose, exempli gratiâ, homines qui multas callent linguas, toties esse homines quot linguas exoticas loqui possunt; quandoquidem homines a brutis loquelâ distinguuntur. Suppose ignorantiam linguarum esse causam ignorantæ in quâ versamur circa res innumeras, quandoquidem veteres Philosophi & extranei nobis sunt doctiores; Suppose, inquam, ejusmodi axiomata, ac deinde concludito. Certe si ex his axiomatibus rectè concludas, judicia formabis ad id idonea ut te subeat desiderium callendi linguas; atque hæc sunt judicia quorum ope Philologi ejusmodi studiorum defendunt utilitatem.

Quælibet scientiæ quantumvis aspernabiles aliquâ tamen sui parte imaginationi affulgent, ac mentem, affectu colores iis adspergente, perfringunt. Minuitur quidem ille splendor statim atque spiritus & sanguis se-

dan-



dantur, ac veritatis lumen sese conspiciendum præbet: Verùm istud lumen pariter evanescit, ubi imaginatio denuo incalescit; ac tum rationes illas quibus affectus noster impugnari caperat per transfennam tantùm videmus.

Cæterùm ubi affectus quo agitatur se ad interitum vergentem sentit, ipsum agendi rationis non poenitet; quin omnia ad id disponit ut vel cum honore pereat, vel citò reviviscere possit; hoc est, mentem ad id semper pronam facit ut judicia formet quibus ipse possit defendi. Tunc etiam quandam veluti societatem cum cæteris affectibus inicit, ut ipsi opitulentur, spiritus & sanguinem sufficiant, atque hoc pacto veluti ex cineribus denuo suscitetur. Affectus enim sibi mutuò auxiliantur. Qui in eodem subjecto unà possunt subsistere opem mutuam sibi fideliter ferunt. Itaque indefinenter sollicitantur judicia linguarum aut alius cujuslibet rei desiderio faventia, & planè confirmantur ab omnibus affectibus isti desiderio non contrariis.

Pseudodoctus seipsum modò stipatum auditoribus venerabundis, modò victorem eorum quos vocibus inusitatis & incomprehensibilibus prostravit, ac penè semper supra vulgus hominum longè eminentem imaginationi suæ repræsentat. Laudibus quæ ipsi tribuuntur blandè palpatur. Commodorum sibi propositorum spe sese lætat, ac Sectatorum assiduitate gloriatur: Per omnia sæcula, omnesque regiones perpetuò maximâ cum voluptate diffunditur: in eo mediocribus istis ingeniis quæ intra temporis præsentis limites & urbis pomœria circumscribuntur multùm absimiles: Vides igitur quot affectus ad eum quo erga falsam eruditionem tenetur accedant, qui omnes simul ad illum affectum defendendum, & ad judicia in ipsius gratiam ferenda enixè contendunt.

Si unusquisque affectus sibi soli consuleret, cæteris neglectis, omnes eodem momento quo excitarentur evanescerent. Ipsis sat falsorum judiciorum non suppeteret ad subsistendum, nec imaginationem rationis lumini semper opponere valerent. Verùm ad affectuum nostrorum mutuam conservationem cuncta mirum in modum sunt ordinata. Sese mutuò corroborant, ac qui inter se sunt maximè dissiti sibi nihilominus mutuam ferunt operam. Ac dummodo aperta inter ipsos non vigeant odia, id sufficit ut omnes inter se accuratissimas Societatis leges observent.

Si affectus desiderii solus existeret, cuncta quæ ab ipso formarentur judicia eò duntaxat tenderent, ut possessionem boni veluti possibilem repræsentarent; namque desiderium amoris quâ tale est ab aliâ non producit causâ quàm a judicio quo judicamus possessionem alicujus boni esse possibilem. Itaque desiderium illud nihil formare posset præter judicia circa possibilitatem possessionis, cum judicia quæ sequuntur & conservant affectus prorsus similia sint judiciis quæ ipsos præcedunt & producant. Verùm desiderium ab amore animatur; spe corroboratur; gaudio augetur; metu renovatur; ac cum animi fortitudine, amulatione, irâ, anxietate, & multis aliis affectibus conjungitur, qui invicem judicia



infinite varia ferunt, quæ mutuò sibi succedunt, ac desiderium unde orta sunt fovent. Mirum igitur non est desiderium erga rem nihili, vel erga res nobis manifestò inutiles aut etiam noxias, rationi tamen reluctari per multos annos, vel etiam per totam illius qui hoc desiderio agitur vitam, cum tot affectus ad ipsius defensionem unà concurrant. Sed paucis explicemus quomodo affectus sese mutuò defendant, res enim semper sunt explicandæ per ideas distinctas.

Quilibet affectus sanguinem & spiritus agit. Jam verò spiritus agitati visu sensibili rei objectæ, vel vi imaginationis in cerebrum ducuntur, modo ad id idoneo ut vestigia in eo formentur profunda quæ illam rem objectam repræsentent. Immo quandoque velocitate suâ fibras cerebri flectunt & etiam rumpunt, ita ut imaginatio illâ fractione veluti inquinata & corrupta maneat. Hæc enim vestigia rationi non parent, pro ipsius arbitrio non delentur; quin potius ipsi vim inferunt, & ad id illam adigunt ut indefinenter res objectas consideret, ita ut iis, in gratiam affectuum, agitur ac perturbetur. Affectus itaque in imaginationem, imaginatio corrupta in rationem agit, ipsi perpetuò repræsentando res, non ut in se sunt, ut hoc pacto mens possit verum ferre iudicium, sed ut sunt relatè ad affectum præsentem, ut ferat iudicium quod isti faveat affectui.

Affectus imaginationem & mentem in sui gratiam & utilitatem non modò corrumpunt, in reliquo præterea corpore omnes formant dispositiones ad sui conservationem idoneas. Spiritus ab affectibus agitati in cerebro non subsistunt, in cæteras, ut alibi dictum est, corporis partes feruntur. In cor, jecur, lienem, & nervos, qui præcipuas circundant arterias, potissimum diffunduntur. Denique spiritus illi in omnes quasque partes emittuntur, quæ possunt suppeditare spiritus aptos ad conservationem affectus dominantis. Jam autem dum isti spiritus per omnes corporis partes ita diffunduntur, quicquid ipsorum cursui resistit paulatim destruunt, & in iis viam sternunt ita lubricam & rapidam, ut minimâ re objectâ summopere agitemur, & feramur ad formanda iudicia affectibus faventia. Atque sic affectus sese mutuò stabiliunt & defendunt.

Jam si attendamus quænam possit esse fibrarum cerebri constitutio, agitatio & abundantia spirituum & sanguinis in diversis sexibus & ætatibus; non magno negotio subolfaciamus quibusnam affectibus nonnulli sint addicti, ac proinde quænam de rebus objectis ferre soleant iudicia. Atque ut id exemplo comprobem; juxta copiam vel inopiam spirituum quæ in nonnullis deprehenduntur, cognoscere poterimus aliquatenus saltem, multos de eadem re sibi æqualiter propositâ & explicatâ formaturos esse iudicia spei & gaudii, dum alii de ipsâ formabunt iudicia timoris & tristitiæ.

Iis enim quibus magna suppetit sanguinis & spirituum copia, ut usu venit in juvenibus, sanguineis, biliosis, cum spem faciliè concipiant propter internam virium suarum cognitionem, credunt nullum fore suis consiliis obstaculum quod faciliè non superent, bonum cujus sperant possessionem



fionem veluti prægustabunt, & quælibet judicia ad excusandum spem & gaudium formabunt: alii verò quibus spiritus agitati defunt, ut senes, melancholici, & phlegmatici, cum ad metum & tristitiam ferantur, quia animo, utpote spiritibus ad exequenda mandata aptis destituto, diffidunt, judicia planè contraria ferent; difficultates insuperabiles ubique imaginabuntur, ut metum suum excusent, atque invidiæ, mœrori, desperationi & quibusdam odii speciebus quibus infirmi potissimum obnoxii sunt, sese permittent.

## C A P U T XII.

*Affectus qui versantur circa malum esse maximè periculosos & injustos; eosque qui cum minimâ conjunguntur cognitione esse omnium vividissimos, & maximè sensibiles.*

**I**Nter affectus qui judicia ferunt a ratione maximè distita, quique ideo periculosissimi sunt, omnes odii, seu averfationis species recenseri debent. Nulli sunt affectus qui rationem æquè corrumpant ac odium, & metus; odium præcipuè quidem in biliosis & in iis quorum spiritus perpetuò agitantur; metus verò in melancholicis, vel in iis quorum spiritus crassi & solidi nec facillè agitantur, nec semel agitati facillè sedantur. At verò ubi odium & metus unà conspirant ad rationem corrumpendam, quod valde frequens est, tum quævis judicia, quantumvis injusta & aloga formare & acerrimè defendere valemus.

Atque hujusce rei hæc est ratio. Hujus, scilicet, vitæ mala mentem nostram longè vividius afficiunt quàm bona; Doloris sensus vividior est sensu voluptatis. Injuriis & opprobriis multò magis lædimur quàm laudibus & applausu delectamur. Et quamvis nonnulli reperiantur qui voluptates quasdam, & honores sùsque déque habeant, admodum tamen pauci sunt qui dolorem, & contentum ægrè non ferant.

Itaque odium, metus, aliæque averfationis species, quæ versantur circa malum, sunt affectus violentissimi. Animum de improvise ita concutiunt ut illum stupefaciant & permoveant. Intima mentis adyta brevi subeunt, ac ratione e sede suâ deturbatâ, judicia falsa & iniqua de rebus quibuslibet ferunt, ut suam defendant ineptiam & tyrannidem.

Illi affectus omnium sunt crudelissimi & suspicacissimi, charitati, & societati civili maximè repugnantes, & eodem tempore absurdissimi; judicia enim adeo inepta & insulsa formant, ut omnium indignationem & risum in se moveant.

Hæc affectibus moti in hæc insulsa erumpebant verba Pharisei. *Quid Joan. c. xi. agimus? ille multa edit miracula. Si illum sinamus pergere, omnes in ipsam 47.*



*credent. Romani venient urbemque & gentem nostram diruent. Jesum Christum multa facere miracula fatebantur quidem; Lazari resurrectio erat extra omnem dubitationis aleam. Quanam judicia ipsis suggerebant affectus? ut nempe Jesum interficerent & Lazarum quem sulciterat. Sed quibus de causis Jesum interficere volebant? Quia, si sinamus ipsum pergere, omnes credent in eum; Romani venient, urbemque & gentem nostram diruent. Cur verò Lazarum interimere? Quia multi ab iis secedebant propter ipsum, & credebant in Jesum. Judicia simul crudelia & absurda! crudelia odio, & absurda metu: Romani venient & diruent urbem, gentemque.*

Joan. c. 12.  
11.

*Iisdem affectibus motum fuit synedrium illud in quo adstant Annas Summus Pontifex, Caiaphas, Johannes, Alexander, & qui erant ex stirpe Sacerdotali, dum hæc dixerunt. Quid hisce hominibus faciemus? miraculum enim ediderunt toti civitati notum, illud non possumus negare; Verum ne id amplius divulgetur, additis minis ipsis interdicamus amplius docere in nomine Christi.*

Act. 4:

*Viri alioqui cordati judicium ferunt injustum & absurdum simul, quia nempe affectibus agitantur, & falso zelo occæcantur. De Apostolis pœnas sumere non audent propter populum, & quia homo miraculo sanatus jam erat plusquam quadragenarius ac cœtui intererat; Verum ipsis minantur ne doceant in nomine Jesu. Doctrinam damnandi sibi necessitatem incumbere credunt, quia ipsius authorem interfecerunt. Vultis, aiebant ad Apostolos, istius hominis sanguinem super nos inducere.*

Act. 5:

*Ubi falsus zelus cum odio conjungitur, illud adversus rationis objurgationes munit, illudque ita legitimum repræsentat ut ipsius motibus non cedere piaculum videatur. Et quum ignorantia & infirmitas metum committant, illum ad innumeratas res extendunt, illiusque commotiones ita corroborant, ut minima suspicio rationem perstringat & perturbet.*

*Qui falso ducuntur zelo de Deo se bene mereri credunt, ubi affectibus suis obtemperant, internas odii sui inspirationes cœco impetu sequuntur, veluti inspirationes veritatis internæ; ac sensationes quæ ipsorum violentiæ velificantur argumentorum loco habentes, in erroribus suis præfractè ac invictè permanent.*

*Ignari verò & qui ingenio sunt debili, causas metus vanas & ridiculas sibi fingunt; in eo similes pueris qui sine duce & lumine in tenebris versantes, spectra terribilia sibi imaginantur; perturbantur & vociferantur quasi de ipsis conclamatum esset. Si tantum ignari sunt, lumine reficiuntur, at verò si debili sint cerebro, ipsorum imaginatio semel læsa restitui nequit. Simul ac quid vident quod ad id quod eos perterrefecerat aliquâ similitudine accedit, vestigia de integro aperiuntur ac idem spirituum cursus iteratur. Adeo ut sanari nequeant nisi ad tempus duntaxat.*

*At cum falsus zelus conjungitur cum odio & metu in cerebro debili, tot indefinenter formantur judicia adeo iniqua & violenta, ut vel sola illorum cogitatio horrorem pariat. Nec miraculum quo conversus est Paulus sufficeret ad mutandum animum sic percussus; immo si potentiæ & miseri-*



misericiendiæ Divinæ limites figere liceret, ipsius sanationem diceremus impossibilem.

Qui in tenebris versantur luminis præsentiam lætari solent, hic verò lumen pati nequit; quippe quod affectui quo agitatur resistendo ipsum lædat. Cùm ipsius metus sit aliquatenus voluntarius utpote ab odio procedens, metu illo percelli ipsum juvat, quoniam iis etiam affectibus qui versantur circa malum delectamur, ubi malum est imaginarium; vel potius ubi, ut fieri solet in spectaculis, certò scimus nos ab illo lædi non posse.

Spectra seu phantasmata, quæ sibi fingere solent ii qui in tenebris degunt, lumine adveniente evanescent. Hujus verò phantasmata lumine veritatis non dissipantur. Illud mentis tenebras faciliè penetrare nequit, ipsius imaginationem tantùm irritat, adeo ut, dum homo ille rei affectum moventi duntaxat intentus est, lumen reflectatur, & phantasmata seu umbræ verum corpus, seu aliquid realitatis habere ipsi videantur, quia debiles quosdam luminis quo feriuntur radios repellunt.

At, supponamus istius ingenii hominibus satis inesse docilitatis & attentionis ut rationes ad dissipandos ipsorum errores idoneas auscultare & intelligere possint, ipsorum imaginatio metu ita perturbata est, & cor odio & falso zelo ita corruptum, ut rationes illæ quantumvis in se solidæ, velocem tamen vehementium affectuum motum diu sistere non possent, nec impedire quominus illi argumentis sensibilibus sibi ipsis non multò post patrocinaerentur.

Observandum enim est affectus quosdam esse qui sine ullo reditu prætereant, alios verò constantes esse qui diu subsistant. Qui nullam mentis applicatione nituntur, sed tantùm visu sensibili alicujus rei objectæ, & sanguinis fermentatione producuntur & corroborantur, diu non perstant, ac eodem ferè tempore nascuntur & extinguuntur.

Qui verò cum mentis applicatione conjunguntur permanere solent; quia illorum principium mutationi æquè obnoxium non est ac sanguis & humores. Odium itaque, metus, cæterisque affectus qui in nobis mentis cognitione excitantur aut conservantur, non verò visu sensibili alicujus mali, diu subsistere debent. Isti igitur affectus duratione, violentiâ, & injusitiâ cæteros superant; sed non sunt omnium vividissimi, & maxime sensibiles, ut infra demonstrabitur.

Perceptio boni & mali quæ affectus excitat fit trifariam; per sensus, per imaginationem, & per mentem. Perceptio boni & mali per sensus, seu boni & mali sensatio affectus valde promptos & valde sensibiles producit. Perceptio boni & mali, per solam imaginationem, affectus excitat longè debiliores. Et perceptio boni & mali per mentem solam veros non producit affectus, nisi quia perceptio ista boni & mali per mentem conjungitur semper cum aliquo motu spirituum animalium.

Affectus ad solam corporis conservationem, ac ut per corpus ceteris sensibilibus cohæreamus, nobis concessi fuere: quamvis enim res sensibiles respectu mentis nec bonæ nec malæ esse queant, bonæ tamen vel malæ sunt relatè



relatè ad corpus quocum mens conjuncta est. Cùm itaque sensus & imaginatio relationes rerum sensibilium cum corpore multò melius cognoscant quàm mens ipsa; affectus longè vividiores excitare debent, quàm cognitio clara & evidens. Quia verò cognitiones nostræ cum aliquo spirituum motu semper conjunguntur, cognitio clara & evidens ingentis alicujus boni, vel ingentis alicujus mali, quod sensus non retegunt, occultum aliquem affectum semper excitat.

Nihilominus omnes nostræ cognitiones claræ & evidentes non semper trahunt post se affectum aliquem sensibilem & qui animadvertatur, quemadmodum omnes affectus nostri non semper conjunguntur cum aliquâ mentis cognitione: si enim quandoque contingat ut de bonis & de malis quibusdam cogitemus sine ullâ commotione, sæpe etiam aliquo affectu commovemur, non cognitâ tamen, nec vel sensu perceptâ illius causâ. Cùm quis aërem spirat salubrem gaudio quodam afficitur cujus causam ignorat; bonum ex quo illud oritur gaudium non novit, quamvis illud possideat. A corpore quodam invisibili per sanguinem sese insinuante si fermentatio impediatur, tristis est, & causam tristitiæ rei cuiuspiam visibili sibi affectûs momento occurrenti forsân tribuet.

Inter omnes affectus nulli sunt sensibiliores ac velociores, & proinde nulli cum minori mentis cognitione conjunguntur quàm horror & antipathia, amor seu allubescencia & sympathia. Evenit nonnunquam ut homo sub umbrosâ arbore dormitans ad muscæ aculeum vel frondis titillationem subito & de improvviso expergiscatur, non secus ac si a serpente morderetur. Sensu confuso rei terribilis qualis est mors expavescit, & hoc pacto affectu vehementissimo & violentissimo, desiderio, scilicet, odii seu aversationis sese incogitanter agitatum deprehendit. Contrâ verò si eveniat ut homo aliquis egenus fortè fortunâ incidat in pusillum aliquod bonum, cujus dulcedine demulcetur, circa exile istud bonum, non secus ac circa bonorum maximum, sensim & incogitanter occupatur. Id etiam evenit in motibus sympathiæ & antipathiæ. In societate quapiam videmus forsitan aliquem cujus habitus totâque externa species cum præsentis corporis nostri dispositione occultis quibusdam vinculis consonet; ipsius visu illico vehementer permovemur. Ad ipsum amandum, & benevolentiam profequendum occultâ & dulci quadam vi ferimur. *To Nescio quid*, nobis planè ignotum, sine ullâ rationis participatione, nos agit. Contrarium evenit de iis quorum habitus fastidium, & horrorem, ut ita dicam, aspergunt. Habent nescio quid insipidum quod repellit & perterret, sed illud fastidium menti ignotum est; quippe de pulchritudine, vel deformitate sensibili, quæ ejusmodi affectus excitare solent, soli sensus ritè judicare possunt.



